1907

BIBLIOTECA DELLA R. CASA
IN NAPOLI

N.° d'inventario ~~1758~~ 1717
Sala Grande
Scansia 27 Palchetto 5
N.° d'ord. ~~6 bis~~ 7.

Palat. XXVII 23

SICILIÆ
BIBLIOTHECA
VETUS.

582292

SICILIÆ BIBLIOTHECA VETUS,

CONTINENS

ELOGIA VETERUM SICULORUM,

Qui Literarum ſama claruerunt.

AUCTORE

HIERONYMO RENDA-RAGUSA,

SICULO MOTYCENSI.

Quamvìs non paucos protulerit Inſula celebres viros; tamen plerique ob temporis injuriam, atque Græcorum calamitates, ignorantur. Conſtantinus Laſcaris in epiſtolâ dedicatoriâ de Antiquis Philoſophis Siculis ad Ferdinandum Acunam, Siciliæ Proregem.

ROMAE, Typis Bernabò Anno Sæculari M DCC.

SUPERIORUM PERMISSU.

EXCELLENTISSIMO D. D. D.

JOANNI THOMÆ HENRIQUEZ,

ET CAPRERA,

Magno Caſtellæ Thalaſſiarcho,

MAGNO COMITI

Ampliſſimi, ac vetuſtiſſimi Comitatus Urbis Motycæ in Regno Siciliæ, aliarum Urbium, ac plurium Oppidorum Domino &c.

HISPANIARUM MAGNATI, &c.

VETUS deſiderium, novo exemplo incaleſcens, urget nos ad quærendam umbram nominis Tui, Excellentiſſime Domine. Paucis hinc annis Bibliothecam legalem, ab Auguſtino Fontana conſcriptam, quatuor ejus liberi, poſt conclamatam parentis valetudinem collatis pecuniis ediderunt, ac ſociis obſequiis Sereniſſimo Principi ſuo, Franciſco Mariæ Farneſio, Parmæ, ac Placentiæ Duci, conſecrarunt, magno dome-

ſticæ gloriæ incremento, non modicâ rei familiaris acceſſione. Recens hoc inſignis pietatis, & prudentis conſilii documentum ſtudia noſtra excitavit, ut Veterem Siciliæ Bibliothecam è domeſticis latebris in publicam lucem ſub auſpiciis Tuis tandem educeremus. Digeſſit hanc Bibliothecam avunculus noſter, loco parentis habitus, de quo plura ſubdere non abſterret, quod Plinius ſcribit Pompejo Saturnino, mittens eidem orationem, quam habuerat apud municipes ſuos, dedicaturus ibidem Bibliothecam: nimirum, moleſtam videri orationem, de ſe, aut de ſuis differentem. Id occaſio vetat, vix patiens longiuſculam digreſſionem. Deinde nobis erudiendis donavit, ut fructus lucubrationum ſuarum priùs propinquos, quàm externos, pertingeret. Nos quidem plurimùm ingenium noſtrum excultum ſentimus cognitione rerum geſtarum noſtràtium antiquorum Sapientum, nec minùs erectum animum experimur ad comparandam poſſeſſionem omnium bonarum artium, quibus illi claruerunt: quantùm non invidemus Taraſio, patritio Conſtantinopolitano, poſt acceptam à Photio, germano ſuo, Græcorum Scriptorum Bibliothecam. Hinc gemino titulo quodammodò Siculam hanc Bibliothecam effecimus noſtram, altero donationis, altero lectionis: ut autem redderemus Tuam multiplex ratio induxit.

Etenim Auctor operi deſignaverat patronum, non ignotum, non peregrinum, ſed ipſum Patriæ Dominum, ipſum Domus Tutelarem, quem quisquis probè intelligit Te eſſe, Magnæ Motycæ Comes. Ad exe-

quendum

quendum Auctoris mandatum, calcar addiderunt Fontanæ fratres, ſed auctoritas Tua perſuaſit. Una enim auctoritas Tua videbatur, unde ingens patrocinium colligeremus, cuiquè munuſculum aliquod offerendum cenſeremus. Ponunt quidam in ædium areâ proceras arbores, ut luxuriantibus ramis illas exornent, arceantque malignum æſtum, trophæis aliquando appenſis. Nos in fronte hujus Bibliothecæ ſtipitem Henriquiæ gentis figendum exiſtimavimus, ad ejuſdem ornatum, & tutelam, ad noſtram gratitudinem conteſtandam. Tu enim es Henriquiæ gentis ſtipes, propago Regum Caſtellanorum, quo in novem ramos quaquaverſum porrecto gaudet Iberum ſolum. Vix ullum eſt Regnum Hiſpaniarum, quod avitæ ditionis Tuæ portio aliqua non locupletet, hæreditariæ dignitatis Tuæ radius aliquis non illuſtret. Poſt inſertam huic trunco nobiliſſimam ſtirpem Caprerarum Aragonenſium, Domus Tua, inde coaleſcens ex Henriquiis, & Capreris, in quam magnitudinem excrevit? Non parva Siciliæ pars evaſit Tua: non enim parva Siciliæ pars eſt opulentiſſima Toparchia Alcami, Caccami, & Calataſimi, Ampliſſimus, ac vetuſtiſſimus Comitatus Motycenſis, qui tres florentiſſimas Urbes, totidem oppida comprehendit: quæ omnia Tua ſunt: imo univerſa Siciliæ jura Tua ſunt, ſi celeberrima ejus regio, Comitatus Motycenſis, Tua eſt. Nam Comitatus Motycenſis dignitas tanta eſt, ut penè Regiam Aulam, penè Regiam Curiam repræſentet.

Hactenus fortunas Tuas libavimus: fortunam

Tuam,

Tuam, virtutem Tuam, ſuprà fortunas, ac fortunam nondum attigimus. Utraque propè ſuprà mortalium conditionem ſeſe oſtendit, cùm ageres Caroli II. Regis Oratorem apud Romanum Pontificem, ſupremum Equitum Præfectum, deinde Gubernatorem apud Mediolanenſes, intimum Conſiliarium, in ſanctiori Senatu Mantuæ Carpetanorum apud Regem: ut omittam inferiora munia, quæ pari fortitudine, ac prudentiâ obiviſti: ut domi, militiæque perfectus heros in tyrocinio videreris. Decora hæc Tua, monumenta hæc Tua, ſatis eſſe ad noſtrum decus, & munimentum declarant obtrectatores ipſi; dum audaciam damnant, quòd ad tantam umbram pro tantulo corpore tegendo confugeremus. Sanè nos audaciam non diffitemur: maluimus tamen audaces videri, quàm eſſe ingrati. Et quidem ingrati eſſemus, ſi nullum munuſculum Tibi offerremus, poſt tot, tantaque beneficia in Patriam noſtram collata, nupero terræ motu everſam, ut alter Hercules dici potes, Motycæ, Metropolis Comitatus, conditor, aut inſtaurator.

Ergo Tua eſt hæc Bibliotheca: eam habeas ut Tuam: fac, habeant ut Tuam & alii, quibus noſtra parùm arrident. Nobis utere ut Tuis, nec unquam ſinas noſtram otiari ſervitutem. Quatuor germani fratres ſumus, Joannes Antonius, Joannes Baptiſta, Joannes Philippus, & Hieronymus, ſinguli diverſorum Doctoratuum inſignia geſtantes, non armis fulgentes, qui Tibi fœderatis officiis ſiſtimus: ut quatuor oratio plus valeat, quàm trium Horatiorum manus. Accedi-

mus

mus enim; non ad expugnandum Reipublicæ hoſtem, ſed ad Patriæ Patrem, ad Teipſum vinciendum nobis, ac demerendum venerabundi. Quantum autem induſtriæ, quantum laboris in ſublevandâ Patriâ poſt illatam terræ motus cladem tres priores germani fratres; majores natu, contulerint; teſtem locupletem, Joannem Antonium Romæum, habes apud Te, quem miſiſti publicæ calamitatis non inſpectorem modò, ſed reparatorem, miſiſti paterni amoris Tui, Regiæ liberalitatis Tuæ adminiſtrum. Ego verò ſingulorum nomine loquor: quià unus ego avunculi noſtri nomen refero, & ob id in unò nomine duos repræſento, Auctorem, qui ſcripſit Bibliothecam, & me, qui præ cæteris Bibliothecam edendam typis Romanis curavi: cognomentum geminatum meum eſt, poſterior ejus pars Auctoris: ut ita videar æmulatus conſilium Auberti Vanden Eede Miræi, qui Auberti Miræi, avunculi ſui, Bibliothecam Eccleſiaſticam edidit typis Antuerpianis. Motycæ Kalendis Novembris anno ſæculari M DCC.

E V.

Obſequentiſſimus Cliens, & Subditus
Hieronymus Renda-Raguſa.

Impri-

Imprimatur

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Dominicus B. de Bellis Epiſcopus Melphicten. Viceſgerens.

Imprimatur

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prędicatorum Sac. Apoſtol. Palatii Magiſter.

APPROBATIO OPERIS.

P*Rodiere decem iam ab hinc annis Typis Lugdunenſibus* Elogia Siculorum, qui veteri memoriâ literis floruerũt, *Auctore Hieronymo Raguſa Siculo Motycenſi Inclytæ Societatis Jeſu Doctore. Ut denuò nunc imprimantur Romanis Typis curat Authoris Nepos Hieronymus Renda-Raguſa, proprio, ex Avunculi permiſſione, inſcripto Nomine in Operis fronte, non ut eidẽ quidpiam laudis debitæ imminuatur, quam ingenuè ſibi nullatenùs adſcribendam, Excellentiſſimo eiuſdem Operis Patrono non ſemel teſtatur; ſed ut Auctor doctiſſimus multiplici eniteat præconii titulo, dum Opus, indefeſſo, me iudice, ſtudio concinnatum, commune dignatur reddere Nepoti, cum quo commune habet, & Nomen, ſicque in uno, duo perſpiciendi Hieronymi, Alter in Altero delineatus. Longè autem auctior Lugdunenſi eſt Romana hæc editio, dignaque proptereà, quæ ampliori donata ſit titulo:* Siciliæ Biblio-

theca

theca Vetus.: *Ipſam ego iuſſibus Reverendiſſimi P. Paulini Bernardinii S.P. A. Magiſtri obtemperans non ſemel luſtravi, præfatumque* Bibliothecæ *titulum iure applicatum deprehendi, ob copioſam, ac non vulgarem eruditionem, qua undique obſervavi refertam. Nihilque cum in ea ſit, quod aut Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur, publicæ luci poterit conſignari ad Eruditorum profectum, Auctoriſque gloriæ incrementum, ac incitamentum ſimul, ut* Bibliothecæ Recenti, *quam pollicetur, quantocitiùs edendæ allaboret. Dat. Romæ ex Collegio Siculo S. Pauli ad Arenulam. Kal. Decemb. Anno Jubilei Magni* 1700.

Fr. Bonaventura Sant' Elia à Panormo S.T.M. Tertii Ord. S.Franciſci Procurator Generalis, Sacræque Congreg. Indicis Conſultor.

SICI-

SICILIÆ BIBLIOTHECA VETUS

CONTINENS ELOGIA VETERUM SICULORUM

Qui Literarum fama claruerunt.

CONSTANTINUS Laſcaris, Patritius Byzantinus, cùm in Turcarum poteſtatem poſt fœdi, ac diuturni belli incommoda Byzantium ceſſiſſet, anno reparatæ ſalutis M CCCC LIV. vilem illam ſervitutem, atque indignam Barbarorum tyrannidem altiſſimo animo aſpernatus, aliò aliis nobilibus pari fortitudine commigrantibus; in Italiam, velut in commune ſummorum virorum domicilium, profugus venit; ſecumque, ut Æneas Trojanes Penates, Græcas literas illuc importavit. Primùm Mediolani à Franciſco Sfortia, Mediolanenſi Regulo, liberaliter exceptus, Inſubricæ juventutis emolumento ſanè maximo eas literas publicè docuit. Deinde Romam profectus, Cardinalem Beſſarionem, cùm generis, tùm morum affinitate, arctiſſimo amicitiæ vinculo ſibi

aſtrinxit. Magnis inde præmiis à Ferdinando I. invitatus, Neapoli eloquentiam, & patriam linguam omni laude profeſſus eſt. Poſtremò in Siciliam navigans, Meſſanæ perpetuam ſedem fixit, cęli ſalubri temperie, ſoli amœnitate humaniſſimis Civium moribus allectus, quòdque frequens eſſet navium appulſus Meſſanam ex Oriente, unde ſuorum literæ ultrò, citròque perferrentur faciliùs: acerbum exilii caſum honeſtâ ipſius causâ, & hoc quoque blandimento mitigaturus, Joanne Aragonio Rege MCCCCLXV. Donatus Civitate à Senatu, donis à Civibus, utriſque gratioſiſſimus, tantâ nominis celebritate mitiores ibi tradidit facultates; ut ex Italiâ in Siciliam præpotentes viri filios ſuos ad erudiendum ablegarent. Petrus Bembus Venetus, adoleſcens adhuc, pòſt inter Purpuratos Patres à Clemente VII. cooptatus, auditor extitit Conſtantini, eumque loco parentis coluit. Senatui Meſſanenſi Bibliothecam teſtamento legavit, quam ſelectiſſimorum librorum copiâ inſtructiſſimam à Græciâ aſportaverat, Civibus exempla ſuarum virtutum reliquit. Ab eodem Senatu publico ære, à Civibus mæſtiſſimis lacrymis mortuo parentatum: Peractâ juſtorum funebrium pompâ conditur in marmoreo tumulo, quem paucis ante annis dirutum in Templo Carmelitanorum Paulus Bellius Societatis Jeſu queritur: cùm ea ſit temporis voracitas, ut neque inſanis molibus parcat, laboreſque multarum gentium, ac plurium ſeculorum conatus, ſæpe uno die diſſolvat. Viget tamen Conſtantini memoria ad hanc ætatem, neque unquam conſeneſcet, majori nominis pretio ex annorum longinquitate derivato. Ab innumeris ferè Scriptoribus commendatur, quos, ab inſtituti mei ſemitâ deflecterem, ſi velim percenſere. Inter cætera præclariſſimi ingenii monumenta, quibus immortalem ſibi gloriam comparavit, Catalogum Veterum Siculorum, literarum famâ illuſtrium, juſſu Ferdinandi Acunæ, Siciliæ Proregis, ſcripſit, eidem inſcripſit. Vindicavit è tenebris Siculos noſtros, edidit in lucem ſingulorum nomina, ut ipſis laudi, poſteris eſſent incitamento ad ſcientias amplectendas, excolendaſque. Attamen paucos admodum Siculos invenit, nondum trito ad antiquorum Auctorum ſinus perſcrutandos aditu, & ea, quæ de ipſis profert, non multa ſunt, nudis tantùm vocabulis quorundam detectis, quæ

Junio-

Juniorum induſtriam acuerent, ut calcatum iter ingredientes in vetuſtatis receſſus pervaderent, & quæ deliteſcerent, in conſpectum extraherentur.

Poſt longam ætatis intercapedinem Hubertus Goltzius Herbipolita Venlonianus Veteris Siciliæ Numiſmata excuſit, Veterem ejuſdem Hiſtoriam, Recentemque compendio exaravit, adjecto in calce, velùt appendiculâ, Elencho Siculorum, qui doctrinâ floruerunt. Illos in claſſes ſcientiarum digeſſit elegantiori ſanè ſtylo: ſed vix unum, aut alterum, vix unam, aut alteram rem novo ſtudio addidit, aut quæſivit.

Tanta externorum hominum in Siciliam literatam promerita diſſimulanda hoc in loco non ſunt, verùm ad amoliendum ingratitudinis vitium libenter recenſenda. Et, ut debita reverentia magnis quidem viris exhibeatur, integros eorum textus in hanc Bibliothecam transferre ſtatui, additamentis, ubi res poſtulat, intertextis.

Cæterùm, cùm adhuc Laſcareorum cinerum urna intepeſceret, erumpentibus exinde igniculis, atque ingenitæ gloriæ ſtimulis perurgentibus, ingens cupido Noſtrates inceſſit Sicularum Rerum Hiſtoriam illuſtrandi. Præ reliquis Thomas Fazellus Saccenſis ſpartam hanc adornavit, confecto juſto volumine de Rebus Siculis, in duas Decades diſpertito, quarum prima continet locorum, tùm veterum, tùm recentiorum, deſcriptionem, altera profanam Hiſtoriam, jam inde à priſcis ſeculis uſque ad noſtra continuatam. Dignum ſanè opus, viginti annorum ſpatio elaboratum.

Sub idem tempus Franciſcus Maurolycus Meſſanenſis Sicularum Rerum Breviarium abſolvit, Scriptoris auctoritate non parùm probatum.

Uterque Siculorum eruditorum mentionem facit, ſeu res, ſeu locus occaſionem pariat: ſed ille effuſâ, & floridâ oratione, hic compreſsâ, & minùs comptâ, proprio quiſquis ſcribendi genere.

Poſt hos eadem ætas duos præclariſſimos viros tulit, Rocchum Pyrrhum Netinum, & Octavium Cajetanum Syracuſanum Societatis Jeſu, Sacræ Sicilienſis Hiſtoriæ parentes. Alter Sicilienſium Epiſcopatuum Annales, alter Siculorum Sanctorum

Vitas ſummâ contentione molitus: alter verò quibuſdam infenſus affectu potius, quam conſilio dirigente calamum, effudiſſe quædam; alter nullarum partium ſtudioſus, incorruptæ fidei teſtis exiſtimatur. Ille, dum Epiſcoporum, hic, dum Sanctorum geſta deſcribit, nonnullos Sapientes Siculos recenſet, plures ille ſub exitum narrationis cujuſlibet Civitatis, intra certæ Diœceſis fines contentæ, hic in Annotationibus ad Siculorum Sanctorum Vitas.

Non deſunt alii minores, qui Siculam Hiſtoriam, profanam, ac ſacram condiderunt, è Noſtratibus, de Siculis Sapientibus opportunè tractantes. Quod idem effecerunt Patriarum Urbium Scriptores: Vincentius Mirabella, & Jacobus Bonannius, viri patritii, de Syracuſanis ſuis, Joſephus Bonfilius, & Placidus Reina de Meſſanenſibus ſuis, Petrus Carrera, & Joannes Baptiſta Groſſus de Catanenſibus ſuis, Franciſcus Baronius de Panormitanis, Vincentius Littara de Netinis, Vincentius Solitius de Thermitanis, Leonardus Orlandinus de Drepanenſibus, Petrus Paulus Morretta de Calatajeronenſibus, Joannes Paulus Clarandaus Societatis Jeſu de Platienſibus ſuis, & plurima turba, inelegans magis, quàm inerudita, quæ Urbium ſuarum monumenta collegit, & quoquo modo exornavit. Nemo tamen abundè ſatisfecit: cùm aliam ſementem ſerere, ac metere decreviſſet.

Qui autem peculiari argumento Veterum Siculorum, literariis titulis inſignium, res geſtas proſecuti ſunt, extiterunt duo, Philadelphus Mugnos Leontinus, & Joannes Vingintimillius Meſſanenſis. At prior quidem multa comminiſci videtur, & aliena à vero profiteri, & nonniſi antiquiores Philoſophos Siculos videndos expoſuit. Ex quo Diogenem Laërtium imitatus, Novum Laërtium librum ſuum appellavit. Poſterior verò Poëtarum Siculorum Hiſtoriam aggreſſus, ſolùm de Poetis Siculis Bucolicis Græcis, & de Tito Calphurnio Latino multiplici eruditione diſſeruit. Fortaſſis ſi minùs exaggeratè opus ſuum inchoaſſet, Ueterum omnium Siculorum Poëtarum notitiam ad nos miſiſſet, quanta par fuiſſet levando deſiderio, quod, Index Siculorum Poëtarum, in operis veſtibulo appenſus, excitaverat.

Ergo univerſæ Siculæ rei Literariæ ſummam meditari oc-

cœpi, cùm adhuc adoleſcientia Phœbo incaleſcens Literariis exercitamentis aſſueſceret, fructu minimè parvo, nec mediocri voluptate identidem inſtauratus. Jam inde Siculos omnes Sapientes in Veteres, ac Recentes diſtributos, illos ab ultimâ mortalium recordatione uſque ad Auſtriacum Imperium, hos ab Auſtriacis Regibus uſque ad hanc diem comprehendere ſtatui. Quare meus hic totus qualiſcumque Labor *Siciliæ Bibliotheca Vetus, & Recens*, nuncupatur. Nec quicquam aut ſtudii, aut impenſæ deſiderabitur, certè quidem nulli horum peperci, ad abſolutam cunctorum notitiam aſſequendam. Sicula Hiſtoria, quæ hac parte imperfecta non ſine dedecore Sapientum jactabatur, quorum laus præ reliquis quærenda erat, cùm ab ipſis reliqua innoteſcerent, atque prædicarentur; ad perfectionem, ſplendoremque perducta videbitur, quantum argumento difficillimo amoris, ac diligentiæ conferre ualuerim. Recentiores in Centurias, Centurias ordine alphabetico digeſſi: eorum ſtylus venuſtus, ac luculentior, is, quem res recentes ſibi aſciſcunt.

Super Veterum Siculorum Elogiis præfari ulterius oportet. Equidem per iuvenilem defatigationem ea collegeram fermè iiſdem uerbis, quibus Auctores conceperant, quibuſdam meâ Minervâ compoſitis ad augendum numerum, uel ad inducendam integritatem. Sub eo charactere typis Lugdunensibus apud Aniſſonios Elogia Siculorum, qui Veteri memoriâ literis floruerunt, edidi, potius, ut aliis morem gererem, quàm mihi obtemperarem. Collectorem me, non Scriptorem ejuſmodi Elogiorum dixi. Facturum autem operæ pretium exiſtimavi referre alienas lucubrationes ſparſas, ac diſſolutas in unam veluti molem coalitas: cùm & quadrare lapides, & quadratos collocare in ædium ſubſtructionem mercede dignandum.

Retractanda ſecundis vigiliis arbitratus ſum, &, ut meo nomini conſulerem, & ut Siculorum dignitati non officerem. Præconcepta de meis ſtudiis opinio vileſcere viſa eſt, imminuta Siculorum magnitudo, fœturâ tàm impolitâ, tàm gracilentâ. Revocavi ad incudem non tenui curâ. Præter Laſcareos, & Goltzianos, alioſque textus per paucos intactos, ſymbolâ tamen adventitiâ locupletatos, Auctores, ex quibus ſilvam cæderem,

rem, noſtrates externoſque adivi quamplurimos: & jam propè tercentum, & quinquaginta refero: nec dubitandum, quin plures allegare potuiſſem, ſi nimiæ lectionis famam aucupari, quàm neceſſitati ſatisfacere, maluiſſem. Eundem, aut parùm varium, aptavi omnibus characterem, eundem locutionis tenorem, nec affectatum, nec neglectum, rebus antiquis conſentaneum, ſervavi. Quapropter Scriptorem me, non Collectorem, comparato per admixtionem dominio, quidam pronunciarunt. Ajebant enim lege Cæſareâ cautum, ut ſi quis alienæ purpuræ textum veſtimento aſſueret, in alienâ tabulâ colores penicillo induceret, aut, quicquam aliud bonis ſuis admiſceret; purpuram ſuam, tabulam ſuam, aut quicquam aliud redderet ſuum.

Sed hæc nomenclationis ambitio parùm negotii faceſſit: ut ut ſe ſe res habeat, præceſſerunt exemplo, præſertim ex recentioribus, qui Urbium ſuarum, aut Regnorum doctos viros encomiis afficiant, quamplures, quorum majorem partem evolui, quoſque Philippus Labbè Societatis Jeſu in ſuâ Bibliothecâ Bibliotecarum recenſet, aut alii memorant. Sequor horum exempla, quæ ſi non aſſequar puritate ſermonis, elegantiâ, nobilitate argutiarum; judicent, qui noſtra legerint. Equidem ego ab eorum humanitate præſtolor excuſationem, non judicium. Damnaveram ego antequàm publico judicio ſiſterem: ſed amicorum principes me, quamvis conſcientiam propriæ tenuitatis abiicere non perſuaderent, aliquid utilitatis, & ornamenti Siciliæ allaturum, laudem, etſi non ab ingenio, certè à voluntate gratificandi Patriæ litteratæ, conſecuturum hiſce commentationibus fatebantur. Quâ ſpe ſolatus, & eâ, quam benignus anagnoſtes pollicetur, non veritus ſum edere opus, inſcriptum: *Siciliæ Bibliotheca Vetus, continens Elogia Veterum Siculorum, qui literarum fama claruerunt*: abſolutum anno Dominicæ Nativitatis M DC VC. die Auguſti XV. Aſſumptæ in Cœlum Virgini ſacro, Carolo II. Auſtriaco Hiſpaniarum, ac Siciliæ Rege, Joanne Franciſco Paceco, Uſedæ Duce, Prorege: cùm Urbs Meſſana liberum emporium proclamatur, univerſo terrarum orbe acclamante, poſt totius Siciliæ vota, poſt totius Europæ, Aſiæ, atque Africæ præſtolationem, poſt Proregis officia,

quæ

quæ non obſcura ſunt, ut ignorentur, nec vulgaria, ut unquam obliterentur. Et nos, qui Regiam pietatem favoribus tàm fecundam experti ſumus, Regi noſtro Carolo II. Regiam prolem fœderatis precibus exoptamus, ut Auſtriacum nomen æternùm vivat.

Conſtantinus Laſcaris Byzantinus

FERDINANDO ACUNÆ,

Siciliæ Proregi, S. P. D.

SI antiqui illi tantoperè laboraverunt, Illuſtriſſime Princeps, ut non ſolùm docti efficerentur, verùm etiam, ut apud poſteros nomen haberent æternum; nonne & nos elaborabimus tùm patriæ, tùm ſcientiæ amore, ut illorum tàm diu oblivioni tradita nomina ob linguæ, ut arbitror, noſtræ ignorantiam, ac librorum inopiam, inſtaurare; & è tenebris in lucem edere, atque in hominum notitiam revocare poſſimus; præſertim, ut Siciliæ gloriam, quam de ſuis viris illuſtribus conſequitur, adaugeamus? Equidem, quamvis non paucos protulerit Inſula celebres viros; tamen plerique ob temporis injuriam, atque Græcorum calamitates, ignorantur. Itaque nos, quotquot potuimus, ex Laertio, Philoſtrato, Suida, aliiſque veterum monumentis carptim collectos, in hoc notavimus compendio, tibique, Prorex Excellentiſſime, dicavimus, qui rerum antiquitate, & ingenuis literarum ſtudiis apprimè delectaris: & ob id literatos ſingulari benevolentiâ proſequeris. Lege igitur felix, Ferdinande, Siciliæ decus; meque, ut facis, ama. Vale.

ELO-

ELOGIUM I.

ACHÆUS SYRACUSANUS

Achæus, ſive Achivus, Syracuſanus, Poëta Comicus, *Comœdias decem* compoſuit. Ex Conſtantino Laſcare.

Menedemus Eretrienſis, Philoſophus Platonicus, etiam inter Socraticos omnium graviſſimus, amabat Aratum, & Lycophronem Tragicum Poëtam, Antagoramque Rhodium, ſed maximè ſtudebat Homero, deinde Lyricis, deinde Sophocli, atque Achæo inter Satyros ſecundas partes, Æſchylo autem primas dabat. Ex Diogene Laërtio de Vitis Philoſophorum lib. 2: in Menedemo.

Achæus alter, Pythodori, vel Pithodoridis filius, Eretrienſis, Syracuſano antiquior extitit. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis. De utroque Achæo mentionem facit in ſuâ Bibliothecâ veteri, & novâ Georgius Matthias Konigius Auctor damnatus.

II.

ACRON AGRIGENTINUS.

Acron Agrigentinus, nobilis Philoſophus, ac Medicus, Hippocrate antiquior, Xenonis filius. Hic Athenis publicè legerat unà cum Empedocle Philoſopho, *multaque Doricè* ſcripſit *de Medicina*. Huic tribuere illud epitaphium, quod Laërtius in Vita Empedoclis refert:

Acronem ſummum Medicum, ex Acragante profectum,
Verticis excelſi tecta ſuperba tenent.

Ex Conſtantino Laſcare.

Acronem Zenonis filium vocat, eumque domi nobilem, ex Suidæ teſtimonio, *pleraque in Philoſophia volumina* etiam ſcripſiſſe tradit Thomas Fazellus de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 6. pag. 136.

Georgius Matthias Konigius in ſuâ Bibliothecâ ſcribit Acronem Agrigentinum vixiſſe tempore Regis Artaxerſis, cognomento Longimani, eumque compoſuiſſe librum unum de ſalubri victus ratione.

III.

ÆSCHYLUS GELOUS.

ASchylus Siculus Poëta, de quo Macrobius meminit. Illum quidam Caſmenæum, quidam Camarinæum, quidam alii Leontinum faciunt. At verò Philadelphus Mugnos religioni ſibi vertens Leontinum, patriam ſuam, augere alienis bonis; Æſchylum ſecundùm Theophilum Geloum aſſerit in Novo Laertio pag. 144.

Quidquid ornamenti addidit Tragœdiæ, veſtem nimirum, pulpitum, perſonas, Heroum nuntios, quibus ſcena, & proſcenium ornatur, à Gorgia Leontino mutuatus eſt. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 3. pag. 74.

Æſchylus Athenienſis, Euphorionis filius, qui Elegias, & Tragœdias XC. ſcripſit, victorias verò XXVIII. ab adverſariis reportavit; jam ſenior victus à Sophocle adoleſcente, Athenas reliquit, atque in Siciliam venit. Cùm ſenſiſſet certo quodam die ſe ruinâ moriturum, ex Urbe Siciliæ, in quâ morabatur, egreſſus, loco aperto conſedit: ſuper quem aquila volitans, teſtudinem, quam pedibus gerebat, ſuper caput ejus, ſplendore calvariæ decepta, tanquam ſuper petram, quò fractæ teſtudinis carne veſceretur, eliſit: quo ictu peremptus eſt. Lycurius Athenienſium Orator ſtatuam illi æneam poſuit, alteram Sophocli, amborumque Tragœdias publicè cuſtodiri mandavit. Ex Suidâ.

Gela, Urbs Siciliæ vetuſtiſſima, Æſchyli Athenienſis ſepulcro nobilitata fuit, ut Plutarchus de Exilio, & plures alii ſcribunt, de quo extat epigramma:

Æſchylus, Euphorionis, Athenis natus, in arvis
Frugiferis jacet hic poſt ſua fata Gelæ.

Cæterum & nominis, & Poëticæ artis ſimilitudo inter Eſchylum Siculum, & Athenienſem magnam induxit opinionum diverſitatem, adeo ut alterius geſta, ſcriptaque alteri tribuantur nullius diſcriminis ratione attentâ. Conſule Gerardum, Joannem Voſſium, & Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis.

AGA-

IV.

AGATHO AGRIGENTINUS.

AGatho, Cœnobii, cui Triginta nomen erat in Agrigentinis finibus, præfectus, Chriſtianæ Religionis, ac divinarum literarum præſtantiâ mirificè commendatus in Vitâ Sanctorum Peregrini, & Libertini, reliquarum virtutum acceſſione cumulatus, pervagatâ per omnem Siciliam famâ, deceſſit. Ex Octavio Caietano Societatis Jeſu tom. 2. Vitar. SS. Siculorum in Appendice pag. 270.

V.

AGATHO LEONTINUS.

AGatho Leontinus, Gorgiæ auditor, clariſſimus Poeta, ſcripſit *oratione metro alligata de geſtis Leontinorum, & Murgantinorum, deque Vrbium earundem origine. Verſibus jambis* Gorgiam exprimit. Hunc vnum ſapientem, pulcrèque loquentem, Tragica theatra mirantur. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1 lib. 3. pag. 74. Thoma Porcachio in Deſcriptione Inſularum, Philadelpho Mugnos in Nouo Laërtio pag. 142.

VI.

S. AGATHO PANORMITANUS, P. O. M.

S. Agatho Panormitanus ex Monacho Benedictino Presbyter Cardinalis, inde Romanus Pontifex omnium ſuffragio, ſalutatus. Ad profligandam Monothelitarum hæreſim, Europę, Aſiæque incubantem, in Angliâ, in Galliâ, in Hiſpaniâ, in Italiâ Concilia coegit. Demùm Sextam Synodum Generalem Conſtantinopolitanam III. celebrauit eo ſucceſſu, quem epigraphe in Bibliothecâ Vaticanâ inſcripta laconicè innuit:

Sancto Agathone Papa, Conſtantino Pogonato Imp.
Monothelitæ Hæretici, vnam tantùm in Chriſto
voluntatem docentes, exploduntur.

Miſit *Epiſtolas duas ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, unam cum actis Synodi, quam Romæ convocaverat, ac tertiam ad Archiepiſcopum Viennenſem*. Quibus functus operibus, annis, & meritis gravis, cùm Eccleſiæ res ſanctiſſimè adminiſtraſſet annos duos, & menſes ſex;nonagenario major,morbo,naturæque ceſſit anno DC LXXXII. IV. Idus Januarii. Ad hujus Sepulcrum olim in Vaticano Epitaphium legebatur:

Pontificalis apex, virtutum pondere fultus,
Ut jubar irradiat, fulgurat ut tonitru.
Quæ mox hic peragit doctrinæ fomes, & auctor:
Format enim geſtis, quos docet eloquiis.
Dum ſimul æquiparat virtus, & culmen honoris;
Officium decorat moribus, arte gerit.
Præditus his meritis Antiſtes ſummus Agatho,
Sedis Apoſtolicæ fœdera firma tenet.
En pietas, en priſca fides: inſignia Patrum
Intemerata manent niſibus, Alme, tuis.
Quis verò numeret morum documenta tuorum,
Formula virtutum cùm tua vita foret?

Ex Auguſtino Oldoino Societatis Jeſu in Athenæo Romano pag. 39. Gabriele Bucellino in Aquilâ Imperii Benedictinâ pag. 110.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Siculienſium nos ita luſimus de Agathone:

Agathonis Panormitani
ſi virtutes ſingulas excutias,
Singulares comperies:
ſi literaturam; multiplicem.
Abdicatis fortunis
in patrio Cœnobio Sancti Hermetis delituit,
ut jactâ totâ aleâ cœcam fortunam falleret.
At pretioſis animi dotibus extra jocum vicit:
nam Romanus Pontifex creatus,
ſupra omnem fortunam evaſit.
Graſſante per Italiam peſtilentiâ;
utrum omnium egiſſet patrem, an mediaſtinum;
jure dubites.

Exhau-

Exhauſtis frontis ſudoribus
in procurandâ corporum ſalute,
interim animorum haud immemor;
ad extinguendam luem
Oculorum lacrymas Deo creditori oppigneravit,
vel in publici criminis pretium exſolvit.
Legitimus Chriſti Vicarius,
Chriſtum vindicaturus ab hoſtibus,
ingentem Occidentalium Epiſcoporum exercitum
coactâ Synodo
adversùs Monothelitas objecit.
Eccleſiæ Romanæ, Chriſti ſponſæ,
quam Imperatoris vectigalibus exemerat;
Conſtantini Pogonati amicitiâ pro armis uſus,
Eccleſiam Græcorum fecit vectigalem.
Imperatoris Baſilii Menologio teſte
Thaumaturgus nuncupatur.
Peregrini montes
Agathonis munificentiâ Romam commigrantes,
ad Apoſtolorum delubrum conſtruendum,
aſſertores veritatis ſuperſunt.
Sed id gemmeum reddidit Agatho;
cùm propè ſepulcrum Apoſtolorum
ſeipſum condidit.

Vitam S. Agathonis Papæ, Panormi Civis, & Patroni, Agathoni Porto, Nobili anormitano, dicatam, latinam edidit Franciſcus Scorſus Societatis Jeſu Panormi apud Antonium Martarellum 1640. in 4. Ejuſdem Sanctiſſimi Pontificis vitam ex Anaſtaſio Bibliothecario adducit Octavius Cajetanus Societatis Jeſu tom.2. Vitar. SS. Sicul. pag.1. In ejuſdem Animadverſione pag.1. hæc inquit: ſed hìc pugnandum mihi eſt pro vero contra duos: alter eſt Alphonſus Ciacconus, alter Archangelus Maraphiottus. Alphonſus Ciacconus, vir doctus, æquè ac pius, ſcribit Agathonem, Leonem II. & Stephanum IV. Romanos Pontifices, quos natione Siculos fuiſſe à Scriptoribus antiquis, recentibuſque traditum eſt, in Samnitum Provinciâ natos, Agathonem Aquilani, Leonem in Cedellâ, Stephanum Toſſinæ

castris

caſtris, & territorio Vallis Sicilianæ. Miramur hominem ſanè eruditum opinionem novam in vulgus invexiſſe, nullo veterum Scriptorum teſtimonio, nullis vetuſtis membranis, nullo argumento firmatam. Sed multa ſunt, quæ Ciacconum convellunt. Venio nunc ad Archangelum Maraphiottum, qui dum patrio affectu viros omnes illuſtres in Calabriam protrahere ſtudet, Agathonem, Leonem II. Stephanum IV. homines Siculos, Rheginos eſſe contendit: neque proficit hilum. Hæc Cajetanus. Profectò non deſunt, qui pro tuendis tantorum Pontificum cunis, Siciliâque vindicandâ ab externorum uſurpationibus præter Cajetanum ſtylum acuerunt. Non opus eſt in præſentiâ tàm diuturnâ tranquillitate poſſeſſa revocare in examen: ſed quam ſingulorum patriam Noſtrates exiſtimant, ſine ullâ furti ſuſpicione ob legentium oculos exponere. Agathonis memoria colitur Januarii 10.

V I I.

AGATHOCLES SACCENSIS, REX SYRACUSARUM.

AGathocli, Regi Syracuſarum, Carcinus figulus, Rhegio Brutiorum ob ſeditionem pulſus, & Fœmina Sicula ejuſdem ſortis, parentes fuerunt, natalis tellus Vicus figulorum ad Thermas Selinuntinas, qui deductis deinde Coloniis in Urbem crevit, quam modò Saccam, in Orâ Selintutinâ ſitam, mare Africum ſpectantem, appellamus. Expoſitus à patre, quòd Oraculum ante puerperium conſultum prædixerat ipſum aliquando futurum exitio Pœnis; quibus tractus Selinuntinus parebat, à matre clam ereptus vado, ad Heraclidem fratrem educandum defertur. Jam quinquennis à Carcino cognitus, cùm adhuc Oraculum jactaretur, Syracuſas ſubducitur, ubi tegulariam edoctus, patre brevi orbatur. Poſt Carcini mortem cùm Agathocles unà cum matre ad hortos extra Syracuſas iviſſet, dormiretque; ingens apum examen favum mellis ad os pueri convolans formavit. Quod miraculum cunctis immani ſtupore proſequentibus, rogatus aruſpex eloquii in eo ſuavitatem, & ad Imperii evectionem interpretatus eſt: ad quod

quod initiis parùm honeſtis contendit. Nam proſtitutâ corporis formâ Demantis, viri primarii, gratiam lucratus, & turpi quæſtu auri vim adeptus, primùm gregarius miles, inde Centurio, pòſt Tribunus efficitur. Quanquam autem, & manu promptus, & ingenio vafer, & animo fortis eſſet; multùm facundiâ valuit, dicendo firmans, reddenſque audentiores, quos milites vel turbatos, vel pavidos conſpiceret. Hinc loquacem graculum convitio dictum Timæus refert. Sed partis victoriis in Siciliâ, & in Magnâ Græciâ, jam clarus, icto cum Amilcare fœdere, receptuſque à Syracuſanis, à quibus deſciverat; ab eiſdem Prætor, & Dux non multò poſt inſtituitur. Itaque accepto Magiſtratu ad tyrannidem occupandam totus inhiabat, modumque, atque occaſionem quærebat. Cùm omnia in promptu eſſent, conjuratos ad concionem ad gymnaſium Timoleontis vocat, diſertâ concione contra proceres ſuæ mentis turbatores eos irritans, eoſdemque, poſt direptam Urbem, poſt cædes, & flagitia, ſimulatè ad libertatem capiendam hortatus. Sed fictâ libertatis ſpecie ſociorum voluntates ſibi magis aſtringens, demum anno Mundi 4880. Athenis imperante Timogene, Romæ L. Plotio, & Manio Fulvio Coſs. Agathocles Syracuſanorum Rex acclamatur. Pœnos in Siciliâ, Siculoſque, qui Pœnis faverent, præliis fregit. Sed miſſo ad ulciſcendas injurias à Carthaginienſibus Amicalcare altero, Guiſconis utpote filio, Syracuſas; Agathocles ingenti claſſe in Africam convolavit, Carthaginem domeſtico malo perculſam ab inferendo Syracuſis damno revocaturus Igitur Hannone, ac Bomilcare Carthaginienſium Ducibus ſuperatis, Amilcar accepit imperata, uti confeſtim pereunti patriæ ſuccurrat. In Africâ etiam de militibus conjuratis, qui omnium hoſtium infenſiſſimi ſunt, novo eloquentiæ portento triumphavit. Nam projecta purpureâ veſte ſordidam indutus in medium illorum agmen ſolus erupit, & fidentior ſolito è ſaxeo ſuggeſtu impetratâ dicendi copiâ oratione ſatis artificioſâ rebellium perfidiam expugnavit, compoſitis omnium votis, atque ad meliora converſis. Poſt varia belli diſcrimina, poſt reciprocantis fortunæ ludibria, Syracuſis propè Inſulam domum inſignem, quam lectorum Sexaginta

cogno-

cognomento dixerunt, omnia Siciliæ ædificia, ædes quoque ſacras amplitudine, ſtructurâ, & eminentiâ ſuperantem, Diodoro in Philippo referente, conſtruxit. Deinde ſpe ampliandi Regni in Italiam trajecit. Sed cùm à Brutiis in Siciliam, ut Trogus ſcribit, reverſus eſſet, paucis poſt diebus repente in morbum, per omnes nervos, venaſque humore tabido graſſantem, incidit. Quo ingraveſcente Theogeniam Ægyptiam conjugem, duoſque parvulos liberos, ex illâ ſuſceptos, quibus poſt ſuum obitum aut carceres, aut ſervitutem inſtare videret; providus cum omni gazâ, omnique apparatu regio, quo nemo eâ ætate fuit ſplendidior, navi impoſitos, cum ſummo, & ſuo, & conjugis, & filiorum luctu in Ægyptum tranſmiſit. Quibus abſentibus ipſe miſer, orbus, deſertus, anxiuſque, annos jam quinque & nonaginta egreſſus, ut Demochares, & Timæus prodiderunt, fato functus eſt: humiliorne vitæ ejus introitus, an exitus fuerit, incertum. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 4. cap. 1. per totum.

Scripſit *Commentaria de Officinis Vulcani*, ex teſtimonio Scholiaſt. Apollonii in li. 4. Argonaut. Cluverius exiſtimat ejuſmodi Commentaria fuiſſe de Inſulis Æolicis, quæ Officinæ Vulcani putabantur propter ignem, quem indeſinenter egerunt, hoc eſt, Hiera, hodie, Vulcanus, Strongilis, & Lipara. lib. 2. cap. 14. pag. 411.

Fuit & Agathocles Atracius, qui tractavit de piſcibus ſolutâ oratione. Secundus Chius, qui ſcripſit de re ruſticâ. Tertius Babylonius, qui deſcripſit res Cyzicenorum. Quartus Samius, qui commentatus eſt de Republicâ Peſſivuntiorum. Quintus Medicus, qui de ratione victus compoſuit. Ex Konigio in Bibliothecâ.

VIII.

ALANUS.

ALanus Siculus Poëta. Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

I X.

S. ALBERTUS CARMELITANUS.

ALberti ſplendorem prævia ab utero matris lux indicavit: & rectiùs Mariæ, quàm hujus filium dixeris: quippe quem ſterili eâ lege illa dedit, ut bonâ fide ſuo ſervitio hæc olim redderet. Moram ipſis, quibus jungere ſe Albertus parabat Carmelitis, quos vocant, interponentibus, graviter nihilominus Deipara parentes obiurgauit: nimirum furtum hoc eſse, cœlo dicatum terris velle mancipare. Quid ſimiæ catulum amarent? Parùm intereſſe veneno, an amplexu partum enecarent: ut dare prolem, ita auferre, cùm luberet, Superos poſſe. Audite parentes omnes: his monitis illi manum Deò, filium omnibus diſciplinis excultum, poſthabitis etiam Regiæ puellæ nuptiis, religioni dederunt: quòque magis jam Virgini ſacrificium placeret, ſuiſmet manibus ad ejus aram candidiſſimam hoſtiam ſtiterunt. Hîc Albertus orcum rivalem, ſponſæ vultum præſeferentem, res ſibi ſcilicet juſſit ſuas habere. Subinde fatigatis obſidione, & fame Civibus, tres cum commeatu triremes cœlo remige impetravit. Hebræos quamplures aquarum vi abreptos in ſicco deſtituit, ſicco ipſe pede undas percurrens. Jam morte, quam cœleſti voce edoctus obiit anno M CCXCII. æs campanum ſpontè ſonans, integritatem corpuſculi odor ſuaviſſimus, beatitatem animi duo Angeli prodiderunt, qui dubiis, an ut Cœlitem colerent, an ut mortuum lugerent, hominibus; ſub initium rei Divinæ, illa verba, os Juſti, præiverunt. Noſtras mortes ò quàm rectè lugemus! Ex Andrea Brunnero Soc. Jeſu in Faſtis Marianis.

S. Albertus Benedictum Abbatem, & Joannam Palitiam, nobiliſſimos, opibuſque florentes, parentes habuit, inter Carmelitanos Theologus, & Eccleſiaſtes inſignis evaſit: proinde Os Domini nuncupatus. Scripſit *de piis moribus*. *De amore fraterno*. *De timore Dei*. *De Patientia*. *De Mundi contemptu*. *De fallaciis Diaboli*. Ex Leonardo Orlandino in Deſcriptione Drepani.

S. Alberti Vita extat apud Laurentium Surium, quam à Joanne Maria Politiano ſcriptam putat. Eandem proſâ Joannes

C Pole-

Paleonydorus, verſibus verò Joannes Baptiſta Mantuanus, uterque latinè deſcripſit. Laurentius Abbas Meſſanenſis, & ipſe S. Alberti gentilis, carmine Italico edidit Florentiæ, proſâ Italicâ Theodorus Arianus Meſſanenſis edidit Meſſanæ. Vitam S. Alberti ex Vincentio Barbaro Drepanenſi adducit Octavius Cajetanus Soc. Jeſ. tom.2. Vitar.SS. Sicul. pag.219. In ejus Animadverſionibus pag. 72. num.3. ſubdit: Recens certamen, ac fermè C. ante annos ſubortum eſt Erycinos inter, & Drepanitanos de Divi Alberti ſolo natali, Erycene, an Drepani Albertus natus ſit? Cauſa certaminis diverſa in vulgus fama, Scriptoreſque diverſi. Me, qui pietatem promovere ſtudeo, minimè decet in hac controverſiâ proferre judicium, quod ſit diſcordiæ fomes, & alterutrius Civitatis animos à ſacrâ hiſtoriæ lectione avertat. Eadem ſanè ratio nos à noſtrâ ſententiâ aperiendâ diſſuaſit. S. Alberti memoria colitur Auguſti 7.

X.

A L C A D I N U S.

Alcadinus Siculus Poëta, & Medicus. Scripſit *de Balneis Puteolanis carmen*. Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum, Joanne Antonide Vanderlinden de Scriptis Medicis.

X I.

ALCIMENES MEGARENSIS.

Alcimenes Megarenſis, Poëta Tragicus. Suidas. Ex Carolo Stephano in Diction. Hiſtor. Geograp. Poët.

Eſt, & alius Alcimenes Athenienſis, Comicus. Suidas. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

Megaris, g. idis - pars Atticæ, in eâ Urbs Megara, g. orum. Item Megari, & Megara Urbs Siciliæ, ſive à Megarenſibus, qui Atticam regionem, ut Thucydides, ſive ab iis, qui Doriſdem incolebant, ut vult Strabo, condita, Sicularum Urbium vetuſtiſſima à Plutarcho in Marcello appellata. Diruta nunc

veſtigia quædam veteris amplitudinis exhumata oſtendũt propè Auguſtam. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 3. pag. 77. Philippo Cluverio de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 1.

XII.

ALCINUS.

ALcinus Siculus Hiſtoricus. Ex Octavio Cajetano Societatis Jeſu in Animad. ad Vitam S. Philareti tom. 2. Vitar. SS. Siculorum pag. 43.

XIII.

ALCMAN MESSANENSIS.

ALcman Poëta Lyricus ex Meſſanâ fuit, Civitate vetuſtiſſimâ, Rhegio vicinâ. Ex Conſtantino Laſcare.

Alcman Meſſanenſis, Poëta Lyricus, vivebat Olympiade XXXI. juxta Euſebii Chronicon, qui Olympiade XLII. ita de eo loquitur. Veteres omnes mentionem fecere de Poëta Lyrico hujus nominis, qui morbo pediculari vitâ functus eſt. Plutarchus in Vitâ Syllæ, Plinius lib. 11. cap. 33. Ex Ludovico Morerio in Magno Diction. Hiſtor. linguâ Gallicâ edito.

Primus inter Lyricos Poëtas erat Alcman, quo Pittacus, tempore, ut ſcribit Euſebius, XXIII. ſcilicet Olympiade claruit: alii XXVIII. quo tempore Ardius, qui ab aliquibus, Atdis, dictus eſt, apud Lydos regnabat. Plerique verò Alcmana Laconem fecerunt: id, quod & Statius Poëta innuit, cùm cecinit:

Obſitus, & tetricis Alcman cantatus Amyclis.

Quod tamen manifeſtè negat in Hiſtoriâ Paterculus. Suidas ex Urbe Meſſanâ, in eo licèt perperam legatur Meſſoa, fuiſſe ait. Sunt tamen, qui alterum exiſtimant. Crates verò ex Sardis, Lydiæ Urbe, quod & Antipater quodam carmine teſtatum reliquit, & Leonidas in ipſius Alcmanis epitaphio. Legitur & in libello de exilio Plutarchi carmen, quo idem innuitur. Patrem habuit Alcman Damanta, vel, ut alii, Titarum. Ventri, ac gulæ operam dediſſe legimus; unde & inter gulones, & voraces

connumeratur à Græcis. Idem & Athenæus in X. & Ælianus; quo loco Addephagos, hoc eſt, voraces, commemorat, inter quos Pythircam Phrygium, Cleonymum, Piſandrum, Charippum, Mithridatem Regem, Timocreontem Rhodium, Eryſichthona Myrmidonem. Atque adeo haud mirum, ſi ſupra modum amatoriis, & rebus venereis vacaſſe perhibetur. Nam & ipſum *Eroticorum carminum* Auctorem quidam putavere. Extant apud Athenæum ejus carmina, quibus illum facili colligimus impatienter Megaloſtratam Poëtriam adamaſſe. *De familiaribus, ac domeſticis libros ſex* ſcripſit, *Melicos verſus*, & quos *Colymboſas* ipſe nuncupavit. Primus inſuper modulamina induxit, quæ ſine Hexametris verſibus concinuntur. Linguâ uſus eſt Doricâ, quâ & Lacedæmonii utebantur. Ælianus ſcribit Alcmana ſervum fuiſſe Ageſydis, ſed ab eo libertate donatum ob illius virtutes, & ingenii elegantiam: et perinde à Græcis dulcis cognominatur. Periit autem pediculari morbo, hoc eſt, phtiriaſi. Ab hoc carmen Alemanicum, quod & Alcmanicon, interdum à noſtris perperam Alemanicon appellatum, cujus & Hephæſtion meminit, ut alios omittam. Sunt, & qui alterum Alcmana fuiſſe aſſerant ex Urbe Meſſanâ, & ipſum Lyricum. Alcman teſte Plutarcho fortunam Providentiæ filiam, ſororemque Eunomiæ, & Pithus, dicere ſolebat. Hæc indigeſtâ quadam farragine Lilius Gregorius Gyraldus de Poët. Hiſtor. Dial. IX.

Cæterum duos fuiſſe Alcmanes conſtat, alterum Amyclæum, aut Sardianum, alterum Siculum Meſſanenſem: illum vixiſſe Olympiade XXVII. aut XXVIII: hunc Olympiade XLIII. Utrumque Poëtam Lyricum. Incertum autem, utri tribuenda ſint ſcripta, factaque ſupra dicta. Ex Placido Reina in Monument. Hiſtoric. Meſſan. tom. 1. à pag. 109. ad 114.

XIV.

ALVARUS PATERNIO CATANENSIS.

ALvarus Paternio, Nobilis Catanenſis, ſcripſit *Chronicon de Rebus Siculis*, quod manu exaratum apud ſe teſtatur extare Vincentius Auria in Hiſtoriâ Cephalædii pag. 59.

ANCHI-

XV.

ANCHITUS.

ANchitus Siculus, Pauſaniæ Geloi, Medici nobiliſſimi, pater, & ipſe ſapientiſſimus Empedoclis Agrigentini teſtimonio, cujus ſunt hæc carmina:

Pauſania Anchiti ſapientis, percipe, fili

&

Pauſaniam Anchiti natum, Phoebique nepotem.

Ex Diogene Laërtio in Vitis Philoſophor. lib. 8. in Empedocle.

XVI.

ANDREAS PANORMITANUS.

ANdreas Panormitanus, Philoſophus inſignis, & Hiſtoricus, ut lib. 14. Athenæus. Scripſit *de iis, quæ falsò creduntur, librumque de Hiſtoria civili Siculorum*. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lin. 8. pag. 190. Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Sicul. in Animadverſion. ad Vitam S. Philareti pag. 43.

XVII.

ANDREAS BARBATIUS MESSANENSIS.

ANdreas Barbatius, cujus inter celeberrimos Doctores ſub nomine Andreæ Siculi depingitur imago, Neti natus eſt, & ob facultatis politicæ eruditionem à Mamertinis donatus eſt Civitate. Quod fuit cauſa, ut Franciſcus Pharaonius, Maurolycus, & Bonfilius, inter ſuos Cives Andream recenſerent. Sanè ipſe Netinum dicit in ſuorum operum inſcriptionibus, quæ omnia Neti apud Fratres Minores ab Obſeruantiā inter primas bibliothecæ claſſes conſervantur. Albertus Leander ait Barbatium Civem fuiſſe Netinum, quamvis alii Meſſanenſem affirment. Clariùs hoc expreſſit Auctor illius opuſculi, quod Chri-

ſtopho-

ſtophori Scanelli nomine circumfertur, aſſeritque in libris ſuis Barbatium Netum patriam agnoſcere. Idem aſſerit Magiſter Joſephus Bonaſia, magni nominis Theologus, dicens Barbatii ædes propè Cœnobium Divi Franciſci apud Netinos fuiſſe. Conſenſit Joſephus Carnilivarius lib. 2. Hæc ſtylo ſuo Rocchus Pyrrhus in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſanæ de Scriptoribus Netinis pag. 227.

Ex adverſo Meſſanenſem alii præter allegatos à Pyrrho, Placidus Samperius Societ. Jeſu in Iconolog. Virgin. Meſſan. & Stephanus Maurus in Meſſan. Siciliæ Protometropol. pag. 122. Andream ipſum obiiciunt, ut Netinos cauſâ deturbent. Andreas enim ſatis luculenter pro domo ſuâ perorare videtur Conſil. 58. pag. 167. dum inquit: apud Nobilem Civitatem Meſſanæ, mihi patriam inclytam. Et de Offic. leg. n. 19. ad laudem patriæ Meſſanenſis Civitatis aſſumpta eſt hæc repetitio. Atque, ut omnes primâ fronte Meſſanam patriam ſuam internoſcerent, in fronte ſuorum operum, editorum Lugduni, Meſſanenſis dici maluit, quàm Netinus. Hanc ob rem non immeritò Meſſanenſes anno 1681. cùm Epiſtolæ Marianæ memoriam celebrarent eâ pompâ, quâ fortaſſis Europa univerſa ſplendidiorem aſpexit nunquam; in Viâ Maximâ, quæ à Portâ Imperiali per mille, & amplius paſſus excurrens in Portam Regalem deſinit, ſericis periſtromatis, tabulis, ſignis, auro, gemmiſque coruſcante, Cives ſuos, quà ſanctimoniâ, quà bello, quà doctrinâ conſpicuos, ſpectandos exhibuerunt. Hos inter Andreas Barbatius ſubjectâ epigraphe ſeſe prementem advenarum, ac noſtratium multitudinem ſalutabat:

Hic ille inter Juriſconſultos Phœnix, Andreas Barbatius
Meſſanenſis, olim Bononiæ publicus Lector, itemque
in Concilio Baſileenſi Immaculatæ Virginis Con-
ceptionis Tutor, ac Defenſor.

Ex Joſepho de Ambroſio in Relatione ſolemnitatis pro Epiſtolâ Marianâ an. 1681. pag. 126. & 127.

Et Matthæus Silvagius Catanenſis, qui Siciliæ Topographiam, & Chronicon ſuperiori ſeculo edidit, pag. 549. Andream Barbatium Meſſanenſem appellat, ſubditque: Fuit Andreas Barbatius Juriſperitiſſimus, qui in Concilio Baſileenſi de

Con-

Conceptione diſſeruit. Quod & Bernardinus de Buſtis in Mariali, edito Lugduni 1525. pag. 16. refert: Idem tenuit, & ſubtiliter probavit Dominus Andreas Siculus, dictus Barbatia, in Proœmio Clementinarum, & in cap. de feriis, ubi allegat Panormitanum dicentem ſe audiviſſe, quod Eccleſia approbavit opinionem Minorum, præcipuè in Concilio Baſileenſi. Thomas Fazellus de Rebus Siculis Decad. 1. lib.2. in Appendice ad pag. 50. de Meſſanâ inquit: noſtrâ ætate celebris hæc Urbs eſt reddita ortu Andreæ Barbatii, &c.

Cæterum Andreas claruit anno 1467. ſcripſit *Conſiliorum volumina quatuor*, in quibus Eques Apoſtolicus, Regis Aragonum, & Siciliæ Conſiliarius, utriuſque juris Monarcha, & Princeps clariſſimus dicitur. Unde mirandum ſanè, quod Rodericus Suarez in l. 1. in tit. de las Ganancias num.44. proferre non ſit veritus: Judices non ante oculos, ſed poſt terga Barbatiæ habeant opiniones: cùm vanæ fuerint hominis cogitationes. Apud Paulum Franciſcum Perremutum in 2. parte Conflictus Jure conſultorum pag. 206.

Extant omnia edita Lugduni 1559. in fol. apud Thomam Bertellum, & Claudium Servanium.

Comes Auguſtinus Fontana in Bibliothecâ legali Part. 1. verb.Bartholom. hunc vocat Andream de Bartholomæo Meſſanenſem: ubi verò ejus opera recenſet verb. Barbat. vocat Andream Barbatiam Sículum à Terrâ Sancti Georgii Molariæ: hoc autem ordine opera recenſet.

Repetitio in Rubric. de fide Inſtrumentorum, habetur in 4. Tomo Repetentium in Jus Canonicum.

Conſiliorum volumina quatuor. fol. Venet. 1581. Item *Index ad dicta Conſilia*. fol. ibidem 1581.

In titul. digeſtorum de verborum obligationibus.

Repetitio in Rubric. C. qui admitti, habetur in 8, volumine in Jus Civile. Item *Repetitio in l. cum acutiſſimi C. de fidei C. habetur* ibidem.

Tractatus de Cardinalibus Legatis à latere, habetur in to.13. par.2. fol.131. & cum additionibus Joannis de Gradibus. Fol. Lugduni 1518.

Item *de præſtantia Cardinalium*. Ibid. fol.63.

Item

Item *de Teſtibus*, in tom.4. fol. 130.

Mentionem faciunt de Barbatia Siculo Jacobus Spigelius Auctor damnatus in Lexico Juris Civilis, Joannes Gottfridus Olearius A. d. in Abaco Patrologico, Guido Pancirolus in Juriſconſultis lib.2. cap.116. apud Konigium in Bibliothecâ.

XVIII.

ANDRONUS CATANENSIS.

ANdronus Catanenſis Muſicus fuit. Is, ſi Athenæo credimus, morem, & modum ſaltandi ad tibiam, ad hæc geſticulandi, & rythmos canendi, induſtriam invenit. Ex Huberto Goltzio.

XIX.

BEATUS ANGELUS SENISIUS CATANENSIS.

B. Angelus Seniſius, quem Senenſium Pyrrhus, & Sinicium Cajetanus, appellant, Catanenſis, Monachus Benedictinus, Regii Cœnobii S. Nicolai de Arenis alumnus, inſtaurando Cœnobio S. Martini de Scalis, à Divo Gregorio condito, partim vetuſtate collapſo, partim incendiis Saracenorum abſumpto, partim humillimis, incultiſſimiſque habitaculis ſordido jam, abjectoque, admotus; illud magnificè reparavit, exornavitque, ad Monachorum diſciplinam profitendam confluentibus undique primariis viris, qui & ſplendidè paternâ hæreditate idem reficerent, & virtutum ſuarum patrimonio liberaliùs locupletarent. Primùm Prior, inde Abbas creatus, plenus rectè factis mortalitatem depoſuit. Pauca ex Pyrrho addam. Seneſius egregius Abbas 39. annos Monaſterium hoc rexit, ædificiis, ac poſſeſſionibus ditavit, amœniſſimis viridariis,& aquæductibus exornavit, ornamentis Eccleſiaſticis decoravit, 500. ſui Ordinis cucullatos induit alumnos. Optimis operibus, & ſanctitatis odore fragrans, die 27. Novembris, 10. Indictione anno 1386. migravit ad Dominum. Illius venerandæ exuviæ in marmoreâ arcâ ſub reliquiarum Sanctorum altari in Sacrario ſervantur, hac inſculptâ tabellâ. Re-

Reverendiſſimi viri Angeli Seneſii, hujus Sacri Monaſterii Abbatis, hic oſſa requieſcunt.

Summa ejus vitæ capita rudi quidem, ſed pio carmine comprehenduntur, ex ms. pergameno, quod Aloyſius Lellus in Hiſtoriâ Eccleſiæ Monteregalenſis pag. 44. refert:

Jam terni luſtri præmiſerat ultimus annus
Mille trecentos annos, quadragintaque quinque
A Gabrielis Ave, vel Partu Virginis Almæ,
Octavus feſtus ſtella quando celebratur;
Iſtud Cœnobium, decoratum nomine, ſancte
O Martine, tuo, ſuſceperunt habitandum:
Ejectis vaccis, & earum ſordibus, inde
Sex Fratres, quorum caput extitit Angelus Abbas,
Quos Manuel Præſul Montis Regalis Arenæ
Cœnobio duxit, quod Sancti nomen honorat.
Qui tres exemit de ſtupri labe ſorores,
Innumeris & ſignis quem Chriſtus decoravit.
Angelus hic Abbas deceſſit menſe Novembris:
Unum ſi quadraginta dabis, tot præfuit annis.
Veſte, cibo, cella, pauper, nocuis ſine damnis.
Sextus & annus erat tunc junctus mille trecentis
Et decies octo natalis cuncta regentis.

Ob ſanctitatis famam, & ardentiſſimam in pauperes, peregrinos, ſuoſque alumnos, & Fratres charitatem, communi Beati nomine ſemper eſt appellatus. Fuit etiam doctiſſimus: ſcripſit *Expoſitiones Pſalmorum. Modum meditandi. Expoſitionem Regulæ Benedictinæ. Hiſtoriam Monaſterii Gregoriani S. Martini, de qua ſolùm aliquot nota leguntur. Catalogum Contractuum, & Bonorum Monaſterii. Vocabularium prægrande latinum, &c.* quæ adhuc in Bibliothecâ S. Martini aſſervantur. Ex Roccho Pirro in Notitiâ Primâ S. Martini pag. 176. 177. Blaſio Altimario de familiâ Carafæâ tom.4. pag.640. famili. Senis.

De prædictâ Hiſtoriâ Monaſterii Gregoriani S. Martini hæc habet Pirrhus citatus pag. 167. 168. Ludovicus Torres, tunc utriuſque Signaturæ Referendarius, pòſt Archiepiſcopus Monteregalenſis, in epiſtolâ ad Andream Spinolam, Cameræ Apoſtolicæ Clericum, in fine Hiſtoriæ Moteregalenſis Eccleſiæ pag. 14.

D de

de hoc m ſ. codice teſtatur: in eâ curâ dum verſor, nimirum evoluendi tabularia Italiæ, incidi fortè in hunc libellum, ducentos antè annos à non malo Auctore, pio certè, ſed paulò verboſiùs compoſitum, & mutilum, ac mendosè, ut fit, à librario deſcriptum, quem ab ipſis S.Martini Monachis exſcripſi, & quantùm potui pluribus in locis correxi. Nunc verò caſu pervenit in manus meas libri ipſius multò antiquius exemplum, aut fortaſſe primarius codex, diu à me ſummo ſtudio conquiſitus, ut ejus ope menda à meo exemplari faciliùs tollerem. Subdit Pyrrhus ex ſuâ ſententiâ: cum verò, quem Romæ anno 1587. & deinde anno 1596. imprimendum voluit libellum, in multis, vel auctum, vel diminutum, ad propriæ Eccleſiæ Monteregalenſis firmandam juriſdictionem, ſuo primario exemplari m ſ. non corriſpondere facilè hodie perſpiciet quiſquam.

Ejus memoria colitur 27. Novembris. In Monaſterio S. Martini juxta Panormum obitus Angeli Sinicii, Abbatis Ordinis Benedictini. Ex Octavio Cajetano Societatis Jeſu in Martyrologio Siculo pag. 142.

XX.

ANONYMUS I.

ANonymus Siculus Monachus ſcripſit *Græcè Vitam S. Cononis Neſitani*, quam latinitate donavit Franciſcus Maurolycus. Ex eâ cæteri hauſere, eandemque auxere, Julianus Monteſuſcus ex familiâ Minorum Obſervantium, Joſephus de S. Juliano Capuccinus, Joannes Aragona, & Jacobus Muccionius Societats Jeſu. S. Cononem obiiſſe traditur quinto Kalendas Aprilis anno Domini 1236. Ex Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Sicul. in Animadverſione ad Vitam S. Cononis pag. 67.

XXI.

ANONYMUS II.

ANonymus Siculus Monachus ſcripſit *Vitam S. Marinæ Græco ſermone*. Latinam reddidit Auguſtinus Floritus Societatis Jeſu,

Jeſu, eandemque adducit Octavius Cajetanus tom. 2. Vitarum SS. Sicul. pag. 109. Ex eodem Cajetano ibidem in Animadverſione ad Vitam Sanctæ Marinæ pag. 40.

XXII.

ANONYMUS III. SYRACUSANUS.

ANonymus Syracuſanus Encomiaſtes floruit ante Saracenicam direptionem, quæ accidit nono Chriſti ſeculo. Ad conventum Syracuſanum habuit *Græcè Panegyricum in laudem Sancti Marciani, Epiſcopi Syracuſani*. Eum ex ms. codice Bibliothecæ Vaticanæ latinè vertit Jacobus Sirmundus Societatis Jeſu. Idem S. Zoſimi meminit in encomio: & dum ætate grandiores alloquitur, qui miracula à S. Zoſimo edita ſolùm memoriâ retinerent; aliquo annorum intervallo à S. Zoſimo abfuiſſe docet, ac proinde Scriptorem Vitæ S. Zoſimi eſſe non poſſe S. Eliam, Zoſimi Archidiaconum, & de mortui loco ſubrogatum. Ex Octavio Cajetano tom. 1. Vitar. SS. Sicul. in Animadverſion. ad Vitam S. Marciani pag. 7. & ad Vitam S. Zoſimi pag. 180.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Sicilienſium, & nos etiam hoc encomium S. Marciano concinnavimus:

Nondum adoraverat Pontificem Roma,
nondum magiſtra ſuperſtitionis
Chriſtianam religionem didicerat:
jam Syracuſas Marcianus advenerat infulatus,
jam exciſo idolorum cultu
Chriſto Servatori dicaverat
baſilicam ſumptuoſam.
Ne credas Marcianum Antipapam,
aut ſchiſmaticum,
quòd Romano Pontifici anteverterit,
illum imperantem non audierit:
Eccleſiæ Syracuſanæ privilegium hoc eſt,
Primum Orbis, & Urbis Epiſcopum habere.
Marcianus, & Pancratius,

ab Apoſtolorum Principe Antiſtites inaugurati,
proſperâ navigatione Antiochiâ Siciliam attigerunt.
Ille Syracuſis, hic Tauromenii
duriſſimum ſanè bellum
in infernas poteſtates ſuſceperunt.
Marcianus ad Pelopia Latibula caſtrametatus,
cominus cum hoſte pugnaturus,
intra munimenta illa malum genium confodit,
quæque fuerant ſpelæa dæmoniorum,
in ſanctitatis receſſus conſecravit.
commiſsâ cum Judæis pugnâ,
eiſque ſubactis,
per dolum à barbaris occiditur,
qui virtute neminem ſui victorem habuerat.
Sed jactum divini Verbi ſemen,
quod emoriturum cum Marciano percuſſores
putaverant,
adeo ſanguine fecundavit ſuo;
ut Chreſtus, Zoſimus, Elias, Euthychius, Maximianus,
cæterique ſanctiſſimi ſucceſſores,
vix meſſi colligendæ ſufficerent:
Syracuſarum arca,
quamvis per id temporis protenderetur
ad viginti paſſuum millia, & amplius,
frumentum electum vix caperet.
Gignit populum ſanctum Martyrum ſanguis.

XXIII.

ANONYMUS IV. CATANENSIS.

ANonymus Catanenſis Encomiaſtes ſcripſit *Græcè vitam, & geſta Sancti Leonis, Epiſcopi Catanenſis*. Vertit latinè Jacobus Sirmundus ex Codice Vaticano, Bibliothecæ Cryptæ Ferratæ, & S. Salvatoris Meſſanæ. Adducit Octavius Cajetanus tom. 2. Vitar. SS.Sicul. pag. ex eodem Cajetano in Animadverſion. ad Vitam S. Leonis.

In

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Siculienſium nos ita de S. Leone ſcripſimus:

... Leonis ætatem,
temporum viciſſitudinibus haud obnoxiam,
annorum mutatione ne diſtinguas:
prudentiâ ſenex, innocentiâ puer,
ſemper extitit:
in obeundis Chriſti causâ negotiis
ſupra virum ſe geſſit.
Ortus Ravennæ,
aliò domicilium quærens,
vacuam Catanæ ſedem invenit.
Felicitatem, quam diſceſſu ſuo Sabinus ademerat,
adventu ſuo illis populis reſtituens,
Clariſſimâ in Urbe
clareſcere magis cœpit.
Berylli, Everii, Jacobi, Sabini, prædeceſſorum, memor,
eorum ita ſanctimoniam expreſſit,
ut eos in Leone revixiſſe crederetur:
tot miracula perpetravit,
ut geminatis titulis Thaumaturgus vocaretur.
Sed majus prodigium tunc edidit,
cùm Heliodori incantamenta deriſit.
vel in jocis Thaumaturgus.
Illuſerat omnibus emeritus præſtigiator:
cùm inviſus quæreretur, aderat inviſus,
elabens manibus, cùm teneretur.
Venatus hanc vulpem Leo,
ad ludibrium incluſit in caveâ.
Demum Catanenſibus valedixit,
ſe hominem eſſe probans,
ne tantis prodigiis pro numine coleretur.

ANO-

XXIV.

ANONYMUS V. CATANENSIS.

ANonymus alter Catanenſis Poëta, ſtylo,& antiquitate probatus ſcripſit *Carmen Jambicum in laudem S. Leonis, Epiſcopi Catanenſis. Græcum* Auguſtinus Floritus Societatis Jeſu latinum fecit. Id Octavius Cajetanus adducit tom. 2. Vitar. SS. Sicul.pag. 22. ex eodem Cajetano loco citato in Animadverſion. ad Vitam S. Leonis.

XXV.

ANTIOCHUS SYRACUSANUS.

ANtiochus Syracuſanus Hiſtoricus, qui *Romanas* ſcripſit, & *Siculas Hiſtorias*, quem citat Pauſanias. Ex Conſtantino Laſcare.

Herodoto Synchronus Hiſtoriam ſcripſit Olympiade 89. Ex Mariano Valguarnera de origine Panormi pag. 20.

Antiochus Hiſtoricus Syracuſanus, ut Diodorus, Cicero, Strabo, Dionyſius, & cæteri aſſerunt, Xenophanis filius, lib. X. teſte Pauſania, *Hiſtoriam à Cocalo, Sicanorum Rege, exorſus, ad obitum uſque Xerſis, Perſarum Regis*, teſte lib. XII. Diodoro, *per ſeptingentos annos novem voluminibus* complexus eſt. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 4. pag. 162.

Conradus Geſnerus Auctor damnatus in ſuâ Bibliothecâ Claſſicâ ex Heſychio ſcribit Antiochum Syracuſanum compoſuiſſe *Hiſtoriam Italiæ*. Diverſi ſunt Antiochus Alexandrinus, cujus Athenæus lib.11. & Antiochus Laodicenus, cujus Laërtius in Pyrrhone meminit. Ex Konigio in Bibliothecâ.

XXVI.

ANTONIUS PLATAMONIUS CATANENSIS.

ANtonius Platamonius Catanenſis, non minus eruditione, quàm genere illuſtris, *multa in Jus Cæſareum* ſcripſit, ex

quibus *fragmenta quædam in Regni Ritus* ad poſteros pervenerunt. Ex Joanne Baptiſta de Groſſis in Decachordo Catanenſi Chordâ 9. pag. 146.

XXVII.

ANTONIUS BONONIA PANORMITANUS.

ANtonius Equeſtri familiâ natus, qui à Pontano alumno Elegantiarum pater appellatur, claré genus ſuum ab ultimis Britannis, Beccadellâque familiâ, Bononiæ celebri, repetebat, præclaro genti inſignium argumento, quòd iiſdem militari in ſcuto depictis alatis viperis uteretur. Sed majorem profectò ſibi ex laude optimorum ſtudiorum nobilitatem comparaſſe videri poteſt. Moribus enim, ac literis præſtantibus ornatus, cùm Philippo, Mediolanenſium Principi, fertilis ingenii induſtriam obtuliſſet; tantâ liberalitate ſuſceptus eſt, ut Principem noſcendæ hiſtoriæ cupidum, familiariter doceret, & publicè octingentis annuis aureis elegantiores literas profiteretur. Hic eſt ille Philippus, qui ſummum clementiæ fructum, generoſis exoptatum Regibus, glorioſiſſimè decerpſit: quum Alphonſum Regem, navali prælio captum, non emiſit modò, ſed auctum copiis, & opibus in Regnum reſtituit. Verùm eo graviſſimis bellis occupato, Antonius Alphonſo adhæſit, ſecretioris ſcrinii magiſter, & ſtudiorum expeditionumque omnium, terrâ, marique perfectus comes. Scripſit *Epiſtolas candidiore ſtylo, ſed maximè jucundo, Victoris Regis triumphum, & de factis, dictiſque optimi ejus Regis aureum libellum*, quem Pius Pontifex exemplis paribus intertextis nobiliorem reddidiſſe videtur. Sed cum Valla demum, ad exercendæ maledicentiæ dentem naturæ acerbitate paratiſſimo, ſimultatem concepit, eo quidem eventu, ut mutuis veluti confixi telis, fœdè admodum inimicis riſum excitarunt. Senex uxorem duxit Arcellam, ſibi magnoperè dilectam, liberoſque ſuſcepit, quorum honeſta ſoboles Neapoli viſitur. Poſtremò æger, vitâque diffidens, in ſupremo morbo hoc carmen compoſuit, quod tumulo inſcriberetur:

Quærite, Pierides, alium, qui ploret amorem,
Quærite, qui Regum fortia facta canat.

Me pater ille ingens, hominum ſator, atque Redemptor,
Evocat, & ſedes donat adire pias.

Pontani.

Siſte, hoſpes, fas eſt cantus audire Dearum:
Grata mora eſt: Muſæ nam loca ſancta tenent.
Antoni monumenta vides: hinc templa frequentant:
Ille fuit ſacri maxima cura chori.
Illum ſæpè ſuis medium ſtatuere choreis,
Duxit compoſitos arte decente choros.
Sæpè lyram ceſſit Clio, ceſſere ſorores,
Concinuit teneros voce, manuque ſonos.
Extinctum flevitque Acn, flevitque Aganippe,
Sebethus miſeros egit in amne modos.
Sirenes quoque de ſcopulis miſerabile carmen
Ingeminant: planctu littora pulſa ſonant.
Pierides triſtem ad tumulum fudere querelas,
Pierides paſſis poſt ſua terga comis.
Hinc crevit deſiderium, nec cura receſſit
Vatis, at extincto Vate remanſit amor.
Conveniunt nunc ad tumulum, celebrantque choreas,
Et memorant luſus, magne Poeta, tuos.
En audis, ſonet ut lenis concentibus aura?
Ut ſonet appulſu concita terra pedum?
Hæc Vati memore Muſæ poſt fata rependunt:
Carminis hoc meritum eſt: Num ſatis? hoſpes, abi.

Eliſii Calentii.

Qui molles Elegos, & Regum geſta canebat,
Sacra Panormitæ contegit oſſa lapis.

Ex Paulo Jovio in Elogiis Virorum illuſtrium pag. 23.

XXVIII.

ANTONIUS CASSARINUS NETINUS.

ANtonius Caſſarinus, Gaſparinum vocant aliqui, de quo Fazellus loquitur, claruit literarum famâ. Orator egregius Neti natus eſt, quem Panormitani accitum publico ſtipendio annos,

annos, ut adoleſcentes inſtitúeret, foverunt. Cæterum ad majora adſpirans, Conſtantinopolim profectus, ibi decem annos in ſtúdiis oratoriæ facultatis, & Græcarum literarum cognitione diligentiâ tantâ verſatus eſt, ut inter præclariſſimos viros; quos Græcia, & Italia ſuo tempore vidit, unus excellentiſſimus haberetur. Conſtantinopoli enim, quæ Chriſtiano tùm imperio ſuberat, quinque annos Rhetoricam, grecè, & latinè miro cùm Civium, tùm Imperatoris applauſu in auditorum magnâ frequentiâ docuit. Venit poſteà in Italiam, & Papiæ primùm, inde Mediolani, poſtremò Genuæ publicè legens permultos erudivit. Sed dum anno ſalutis 1444. Genuæ ob inteſtina diſſidia ſtricto ferro excurſionem multi per Urbem facerent, ac nonnulli tentárent in dómum; ubi Antonius erat, perfractis portis irrumpere; dum ipſe per feneſtram alterius domus, quæ erat è regione, tranſilire nititur, in terram ingenti lapſu concidit, continuòque expiravit. *Vertit hic in Romanum ſermonem Platonis libros de Republica, quod opus Alphonſo Siciliæ Regi dicavit, pluraque alia ex Plutarcho, & Platone, latina fecit.* Scripſit *Epiſtolarum libros quatuor, & orationes duas, quarum alteram habuit ad Philippum Mariam, alteram ad Genuenſem Senatum.* Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 4. pag. 109. Meminit Caſſarini Leander Albertus, aliique plures. Ex Roccho Pyrro in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſanæ de Scriptoribus Netinis pag. 226.

XXIX.

ANTONIUS CORSETTUS NETINUS, EPISCOPUS MELITENSIS.

ANtonius Corſettus in Urbe Ingenioſâ Neti litteratâ planè domo pàtre Joanne ortum duxit; humani diviniquè Juris conſultiſſimus, nomen Excellentiſſimi Doctoris adeptus eſt. Florenti ætate ſupremus Curio, inde Abbas Commendatarius S. Mariæ de Arcu apud Netinos eligitur. Apoſtolicæ Cameræ Auditor, à Ferdinando Rege Melitenſis Epiſcopus poſtulatus, ab Alexandro VI. Romæ 13. Kalendas Januarii anno 1502. inauguratur. Eidem Alexandro intimus aulicus, & conſiliorum par-

ticeps, eodem fato unà cum Alexandro menſe Septembri 1503. ſublatus eſt. Extant ejus *Opera* ſæpè à Juriſperitis commendata. Ipſum Antonium ſummis laudibus extollunt Matthæus Silvagius, cùm de Neto ſcribit, Lucius Marineus lib. 5. epiſtol. Vincentius Littara de Rebus Netinis pag. 141. ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Melitenſis pag. 602.

Comes Auguſtinus Fontana in Bibliothecâ Legali part. 1. verb. Corſet. hoc ordine recenſet opera Corſetti:

Repetitio in Rubric. de Jurejurando, habetur in 4. tomo Repetentium in Jus Canonicum.

Item *in Capit. grandi, &c. de ſupplendis negligentiis Prælat.* habetur ibidem in tom. 5.

Singularia, edita unà cum ſingularibus aliorum Doctorum Lugduni 1560. in fol. à Gabriele Sarayna Veronenſi collecta.

Regulæ Juris, editæ unà cum Regulis Juris aliorum Doctorum tom. 2. in fol. Francofurti 1586.

Tractatus de Trebellianica, habetur in libro, cui titulus: Selecti Tractatus de Succeſſion. impreſſ. fol. Venetiis 1570. habetur etiam in tom. 8. part. 1. fol. 437.

Conſilia. fol. Lugduni 1560.

Tractatus de Auctoritate Gloſſæ, habetur in tom. 18. fol. 186.

Item *de Bravio*. tom. 12. fol. 324.

Item *de Juramento, & ejus privilegiis*. tom. 4. fol. 359.

Item *de Minimis*. tom. 18. fol. 269.

Item *de Poteſtate Regia*. tom. 16. fol. 130.

Item *de Privilegiis Pacis*. tom. 12. fol. 224.

Item *Fallentiæ Regulæ Spoliatus ante omnia reſtituendus*. tom. 3. part. 2. fol. 325.

Item *de Verbis geminatis*. tom. 10. fol. 266.

De Privilegiis Pacis cum Comment. Schleiſlii. In 4. Jenæ 1634.

Rotæ Romanæ Deciſiones habentur in corpore ejuſdem Rotæ Romanæ Deciſ. impreſſ. De Antonio Corſetto plura refert Joannes Baptiſta Cantalmajus in Synaxi Auditorum Sac. Rotæ Rom. fol. Romæ 1640.

A N-

XXX.

ANTONIUS MANGIAN MESSANENSIS.

ANtonius Mangian Meſſanenſis, Senatus, Populique Meſſanenſis Legatus, Generalibus Regni Comitiis, anno 1478. Catanæ habitis, Joanne Cardona Prorege, interfuit: cùmque inter Regiarum Urbium Oratores ipſi principem in ſedendo locum denegarent; paratam, vibrantemque *Orationem* recitavit, ne quid detrimenti Meſſanenſis Reipublicæ dignitas pateretur. Ex Joſepho Bonfilio in Hiſtoriâ Siciliæ pag. 381. Stephano Mauro in Meſſan. Siciliæ Protometropoli pag. 13.

XXXI.

ANTONIUS PISCIS CATANENSIS.

ANtonius Piſcis Catanenſis, Joannis, & Simeonis germanus frater, ſecundo loco natus, Ordinis Minorum Conventualium, Sacræ Theologiæ Magiſter, atque univerſæ Provinciæ Siculæ Miniſter, Martino V. Pontifici Maximo pretioſus, cumulatos ab eo favores impetravit. Unà cum Joanne fratre ſuo, Concilio Baſileenſi cum eximiæ doctrinæ laude interfuit. Ex Joanne Baptiſta de Groſſis in Decachordo Catanenſi Chordâ 2. pag. 148.

Obiit in Cœnobio Panormitano S. Franciſci, ubi diu vixerat. Inciſa eſt ſepulcro epigraphe:

Reverendus Pater Antonius de Piſcibus Catanenſis,
Ordinis Minorum in Sicilia Provincialis,
germanus frater tùm juſtiſſimi Simeonis
Sardiniæ Proregis, tùm eloquentiſſimi Joannis
Epiſcopi Catanenſis. De Theologorum Senatu
benemerentiſſimus. Concilio, cui interfuit,
Baſileenſi, acceptus. Panormi, ubi diu vixit,
mortuus 1421. 8. Kalendas Februarii,
in hoc tumulo ſepelitur.

Ex Philippo Cagliola in Explorat. Provin. Sicul. Minor. Convent. Explorat. 3. Manifeſt. 1. pag. 75.

XXXII.

ANTONIUS SANFILIPPUS PLATIENSIS.

ANtonius Sanfilippus Platienſis, S. T. M. Jurium Apoſtolicæ Sedis in Siciliâ Collector anno 1473. Ex Roccho Pyrrho.

Doctiſſimum Juriſconſultum appellat Joannes Paulus Clarandaus in Hiſtoriâ Platienſi pag. 261. eumque inter Scriptores Platienſes recenſet: fortè hallucinatus Clarandaus ad Juris nomen, quaſi verò Collector Jurium Apoſtolicæ Sedis in Siciliâ idem ſit, atque Romanorum Pontificum Decretorum, quæ ad Siciliam pertinent, Compilator. Sed Prudentiæ quidem, non Juriſprudentiæ munus, eſt, proventus, quos Sicilienſis Eccleſia Romanæ pendet, ſacrâ quæſturâ colligere, jam inde ab Orthodoxæ Religionis primordiis inſtitutâ. Hinc ejuſmodi Collectores in Sicilienſis Eccleſiæ monumentis plures offendes.

XXXIII.

ANTONIUS VINUTUS NETINUS.

ANtonius Vinutus Netinus, anno 1510. ſcripſit *de Agricultura opus*, dicatum Franciſco Patellæ, Cameratæ Comiti, atque *de Vita S. Conradi*. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſanæ de Scriptoribus Netinis pag. 227.

Antonium, ſive cognomento, ſive patriâ, Venetum Cajetanus vocat errore minimè ſuo, ſed typographorũ oſcitantiâ. Seipſum Netinum Antonius nuncupat, teſte Littara, qui ejus opus mirâ naturalium rerum eruditione elaboratum, iterum in lucem editum colendarum arborum ſtudioſis pergratum fuiſſe ſcribit. Ex Octavio Cajetano to. 2. Vitar. SS. Siculor. in Animad. ad Vitam S. Conradi pag. 83. Vincentio Littara de Rebus Netinis pag. 150.

APOL-

XXXIV.

APOLLODORUS GELENSIS.

Apollodorus Gelenſis inter Comicos antiquiſſimos citatur. Ex Huberto Goltzio.

Eodem tempore vixit, quo Menander Comicus. Sunt ejus *Fabulæ Apocarteron, ſive Philadelphi, Diuſopoci, Heria Grammatodipnus, Pſeudeas, Siſyphus, Æſchion*. Athenæus. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

Præter hunc noſtrum, quatuor Apollodoros, literis claros, recenſet Carolus Stephanus in Diction. Hiſtor.Geogrop.Poëtic. Primus omnium Apollodorus Athenienſis Grammaticus fuit, Aſclepiadis filius. Panætii Rhodii Philoſophi, & Ariſtarchi Grammatici diſcipulus. Primus genus metri Triambici invenit, ut teſtatur Suidas. Scripſit quoque Hiſtoriam Athenienſium uſque ad reditum Heraclidarum, ut auctor eſt Diodorus Siculus. Uſque adeo Grammaticâ emicuit, ut ei Amphictiones Græciæ honorem habuerint. Plin.lib.7.c.37. Apollodorus Tarſenſis Tragicus, cujus Tragœdias Suidas refert. Apollodorus Tarſenſis Pergamenus Rhetor. Caſſidii, aliàs Collidii, item Cæſaris Auguſti præceptor, & familiaris. Scripſit de Rhetoricâ, ut auctor eſt Strabo. Apollodorus Philoſophus Epicuræus ultra X. volumina conſcripſit. Diogenes Laërtius lib. 10.

XXXV.

APULEJUS CELSUS CENTURIPINUS.

Apulejus Celſus Centuripinus, à Scribonio Largo ut Medicinæ artis peritiſſimus commendatur. Memoriæ proditur in patriâ ejus canes rabie agitari, & mortales mordicus invadere ſolitos: eumque, ut illi malo remedium apponeret, antidotum quotannis componere contra rabioſos canes, & ſuis Civibus mittere conſueviſſe. Ex Huberto Goltzio.

Apulejus, & Hermes, Platonis diſcipuli, oculos ſibi eruiſ-

ſe

ſe dicitur ne illorum uſu à ſtudio virtutis avocarentur. Ex Theatro Vitæ Humanæ O. pag. 44. a.

Apulejus Madaurenſis nullius diſciplinâ uſus, tantus, quantum ſcripta ejus teſtantur, Aſinus factus eſt; ut aurei cognomen meritò tulerit. Ex Theatro Vitæ Humanæ D. pag. 157. a.

L. Apulejus Grammaticus, ab Eficio Calvino, Equite Romano prædivite, conductus quadrigentis aureis, multos edocuit. Ex Svetonio Tranquillo de Illuſtrib. Gramm.

Atque hi ſunt Apuleii nomine, quos eruditione inſignes ætas tulit.

XXXVI.

ARCHESTRATUS SYRACUSANUS.

ARcheſtratus Syracuſanus, ſive Gelenſis, Terpſionis auditor. Scripſit *Opus, cui nomen, Gaſtrologia*, quod argumentum ſtylo ſanè eleganti proſequitur. Athenæus lib. 13. apud Palemonem refert adeò macilentum fuiſſe Poëtam quendam hujus nominis; ut, cùm in hoſtium manus veniſſet, ad lancem appenſus, oboli pondus non excederet. Ex Ludovico Morerio in Magno Diction.

Is præ voluptatis ſtudio univerſam terram, omniaque maria impigrè luſtravit, quòd diligenter examinare ventris delitias ſtatuiſſet, ac eorum inſtar, qui terrarum deſcriptiones, & circa illas navigationes ſuas ſcriptis mandarunt, exactè omnia vellet explicare, ubi præſtantiſſima ſint edulia nobis indicans, quod in Præfatione illarum egregiarum præceptionem facturum ſe pollicetur, quas amicis Cleandro, & Moſcho nuncupavit. Vixit tempore Alexandri, ut vult Patritius, ante ipſum, ut vult Jacobus Bonannus in Hiſtoria Syracuſanâ. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

Archeſtrati Poëtæ, Sardanapali ſectatoris, hoc fuit decretum in convivio, ut convivæ aut tres, aut quatuor, aut non plures quinque eſſent, ſecus manipularius, & ex rapto viventium conventus fuerit. Ex Cælio Rhodig. lib. 28. cap. 8.

ARCHE-

XXXVII.

ARCHETYMUS SYRACUSANUS.

ARchetymus Syracuſanus Hiſtoricus fuit, & Philoſophus, quem *ſeptem Sapientum cum Cypſelo, Corinthiorum tyranno, colloquium* deſcripſiſſe Laertius tradit. Ex Huberto, Goltzio.

XXXVIII.

ARCHIMEDES SYRACUSANUS.

ARchimedes Syracuſanus, Philoſophus, ac Geometra acutiſſimus, artiſque Mechanicæ Auctor, *pleraque in Geometria* ſcripſit, & *Commentum in Homerum*. Hujus opera expoſuit Eutotius Aſcalonita, vitam verò ſcripſit Proclus Lycius. Ex Conſtantino Laſcare.

De Archimede juſtum volumen excreſceret, ſi vitam, ejuſque doctrinam, ingenii humani vires propè excedentem, digno charactere proſequi animo nobis propoſuiſſemus: cùm autem multa paucis complecti hoc loco ſtatuerimus; ſubdenda pauca exiſtimavimus, quæ prolixam hiſtoriã æquarent, præmiſsã tamen pleniori narratione, quæ jejunũ Laſcaris Elogium compenſaret.

Archimedes Syracuſanus, acutiſſimus Geometra, Machinator præſtantiſſimus, & ſiderum ſpeculator clariſſimus extitit. Qui, cùm M. Marcellus Syracuſas obſideret, machinis ingenioſè inventis diu patriam tutatus eſt. Nam ſaxorum jactu, ferreâ manu comprehenſis navigiorum hoſtilium malis, telorum jaculatu per murorum rimas, ad id factas, hoſtem admiratione pariter, ac terrore concuſſerat, ut Livius ait. Is idem portentoſæ magnitudinis navim, ab Hierone Rege conſtructam, ſolus machinis ſuâ manu correptis, deduxit, ut Moſchion multis refert. Sphœram, in quâ motus omnes aſtrorum repræſentarentur, fabricavit, de quâ extat Claudiani epigramma. Coronam auream à dicto Rege Diis dicatam, ab artifice vitiatam, novo, miroque ingenio coarguit, ut Vitruvius refert. Sed non omnia ejus inventa literis mandata ſunt, tàm ſcilicet Mechanica,

quàm

quàm Geometrica. Demum poſt triennium captis Syracuſis Philoſophus illuſtriſſimus ab imprudente milite, Geometricis lineamentis in pulvere deſcriptis intentus, dum interrogatus, quis eſſet, nomen ſuum edere differt, illumque, ne lineas diſturbaret, oraret; peremptus ſanguine proprio deductas formas fœdavit. Sic vir præclarus, quèm apprime incolumem Romanus Ductor cupiebat, quemque ſervari præceperat; ingenio, & arte ſalutem, & interitum ſibi comparavit. Non defuit tamen Ductoris munificentia erga perempti cognatos, quippe quos & honore decoravit, & præſidio juvit, ut Livius, Valerius, aliique Hiſtorici prodidere. Sed intentum noſtrum eſt commemorare hujus egregii Philoſophi monumenta, quibus præcipuè nomen ſuum immortalitati mandavit, & quorum parciùs mentio fit in Hiſtoriis. Ejus itaque operum in ordine primum eſt *Circuli dimenſio*: in quo demonſtrat Circulum eſſe æqualem Orthogonio, cujus eorum, quæ circa rectum angulum, laterum unum æquale eſt circuli ſemidiametro, alterum periphœriæ. Secundo loco ponendum eſt *de Sphæra & Cylindro ad Doſitheum*: in quo demonſtrat Sphœræ ſuperficiem quadruplam eſſe ſuo maximo circulo: & Cylindrum ejuſdem craſſitudinis, axiſque cum Sphœrâ eſſe ad eam ſeſquialterum: & alia circa Sphœrica ſegmenta. Ex quo tantum gloriæ ſibi comparaſſe viſus eſt Archimedes; ut qui rem in Geometriâ præcipuam primus omnium demonſtraverit, ut ejus Sepulcro Sphœram, & Cylindrum inſculpi mandatum ſit. Cicero id Sepulcrum, dum Siciliam peragraret, à ſe inter dumeta inventum memorat. Tertium in ordine ponimus *de Æquiponderibus*: in quo præceptum tradit inveniendi centra gravitatis in rectilineis, planiſque figuris. In quo quidem mirum eſt ab eo centra Solidorum fuiſſe prætermiſſa. Quartum erit *Quadratura Parabolæ*: ubi demonſtrat Parabolam eſſe ſeſquitertiam ad triangulum rectilineum ejuſdem baſis, & celſitudinis, utiturque in demonſtratione tùm doctrinâ æquiponderantium, tùm Geometrico Syllogimo. Quem libellum ſcribit ad Doſitheum, faciens mentionem de morte Cononis, ad quem antea ſcribere conſueverat: quorum uterque in Geometriâ verſatus, & Archimedis familiaris extiterat. Quinto his loco ſuccedit *opus de Spiralibus lineis*: ubi rectas quaſdam Spi-

riam tangentes periphœriis circularibus æquales eſſe demonſtrat. Item primam ſpiram eſſe tertiam partem ſui circuli: ſecundam ſpiram ad ſuum circulum eſſe ſicuti ſeptem ad duodecim, itàque deinceps. Nam, cùm circuli ſint in proportione quadratorum numerorum, ipſæ Spiræ conſiſtunt in proportione hexagonalium aquiangulorum. Hunc quoque libellum miſit ad Doſitheum, faciens item mentionem Cononis, qui morte præventus ea inexplicata reliquerat. Sextum in ordine facio *libellum de Conoidibus, & Spæroidibus figuris*, quem & ad Doſitheum prædictum miſit: in quo multa de proportione circulorum, & ellipſium inter ſe demonſtrat. Item ſolidum parabolicum eſſe ſeſquialterum ad ſuum conum: acutiſſima quidem, & tanto ingenio digna inventa. Septimum erit opus de numero arenæ: in quo plus admirationis titulus affert, quàm liber ipſe ſpeculationis: ad Gelonem Regem inſcriptus. Multa in eo de magnitudine terræ, ac luminarium: quæ quoniam eâ tempeſtate non dum ſatis perſpecta fuerant, culpa tempori, non Philoſopho imputanda. Addendum poſteà *opus de figuris æqualis ambitus* quod ab aliquibus Archimedi, ab aliis verò, & veriùs, Theoni Alexandrinæ attribuitur. In quo oſtenſum eſt inter planas figuras Iſoperimetras, circulum, inter ſolidas verò Sphœram eſſe capaciſſimam. Et tandem nonum, & minimè prætermittendum *de ſpeculis comburentibus*, quod aliqui Archimedi, alii veriùs Ptolomæo adſcribunt. In quo docet, ſpeculo ad comburendum efficaci dandam eſſe formam concavam à parabolâ deſcriptam: quippe in quam ſolares radii ad æquidiſtantiam incidentes, ad idem pũctum reflectuntur, in quo collectus ex plurimâ luce calor potentiſſimus fit ad comburendum fomitem ibi appoſitum. Eutotius Aſcalonita Commentarios ſcripſit in opera de Circuli dimenſione, de Sphœrâ, & Cylindro, de Æquiponderantibus; ubi multa plus obſcuritatis, quàm aut jucunditatis, aut utilitatis habentia, & nihil ad Auctoris intelligentiam ſpectantia, intermiſcuit. Hæc ego omnia cùm vidiſſem, conatus ſum ad faciliorem intellectum multa lemmata adiicere, multa ab Archimede omiſſa demonſtrare, tùm in æqualium momentorum negotio contra ſolidorum tractare rem ab illo prætermiſſam. In libello de Sphœrâ, & Cylindro uſus ſum faciliori viâ, in quo

ne quis arbitretur me inconcuſſibilia principia poſtulaſſe,ſi cuilibet ſuperficiei aliquam ſphœricam, aut conicam, aut ſphœricæ portionis ſuperficiem æqualem eſſe ſupponam, aut cononicam, ſive Cylindricam ſub datâ celſitudine; demonſtrabimus hîc & ipſa principia. Item datis duabus ſuperficiebus ſuperficiem eſſe unum daturum ſimilem, & alteri æqualem. Ad quam cùm neceſſaria ſit duarum mediarum proportionalium inventio; id ipſum problema ex veterum Philoſophorum traditione tractabimus, ut Eutotius in memoratis Commentariis ſcribit. Ex Franciſco Maurolyco, altero Archimede in proœmio ſuorum Commentariorum in opera Archimedis.

Fuit Archimedes Hieronis poſterioris Regis affinis,ut in Marcello Plutarchus, & Cononis Samii, præſtantiſſimi Mathematici diſcipulus, ut Proclus, & plures Scriptores teſtantur. Quem adeo ſuperavit, ut unicus cœli, ac ſiderum ſpectator á Livio, & Deus terrenus, ac divini ingenii homo appelletur à Cicerone. Cùm ejus genituram noſceret Julius Firmicus, ſubdit: hæc genitura divinum facit artis Mechanicæ repertorem. Hic eſt ille noſter, cujus ingenio fabricata Sphœra cœli lapſum, & omnium ſiderum curſu exemplo divinæ imitationis oſtendit. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 4. pag. 103. 105.

Ex Archimedis ſtirpe ortum duxit Lucia Virgo, & Martyr inclyta, ut docet Rivaltus, qui addit natum fuiſſe anno ante Chriſtum 289. & interfectum anno 214. alii verò 212. Ex Joanne Baptiſta Ricciolio Soc. Jeſ. in Almageſto.

Achimedis habemus multa, multa amiſimus. Sed Archimedem dum nomino, apicem quendam humanæ ſubtilitatis, totiuſque Mathematicæ diſciplinæ abſolutionem animo concipio. Ejus inventa admiranda prodidere Polybius, Plutarchus, Tzezes, aliique. Ex Andrea Tacquet Societ. Jeſu in Elementis Geometriæ Planæ, & Solidæ de hiſtoricâ narratione ortus, & progreſſus Matheſeos.

Archimedes Mathematicus primus inter duodecim ſubtilitate præſtantiſſimos viros à Cardano de Subtilit. lib. 16. recenſitus, nec tàm primus, quàm inimitabilis dicitur. Ex Balthaſare Bonifacio in Hiſtoriâ Ludicrâ lib. 15. cap. 3. pag. 432.

Nec

Nec omittendus in his belli turbis Archimedes, Matheſi nobilis, qui patriam Syracuſas contra Marcellum propugnavit. Qui unico fretus ingenio militum impetus, navium roſtra, machinarum ictus, Marcelli fortunam diſcuſſit, ac fregit. Cujus vel uncum ſupra Anibalem Romani timebant. Qui naturæ conditor novus cœli miracula ære illigarat, qui hoſti vel nocendo excitaverat amorem ſui. Id, miles, tibi licere non debuit, ut incautum perimeres. At honeſtiùs mori non potuit, quàm in acie ſuâ, hoc eſt, inter lineas, nec jucundiùs, quàm ſtudendo, morte obitâ, antequàm visâ. Ex Joanne Buſſieres Societatis Jeſu in Floſculis Hiſtor. Ad annum mundi 3836.

XXXIX.

ARCHIVUS AGRIGENTINUS.

ARchivus Agrigentinus *ſexaginta tragœdiis* ſcriptis gratam ſui memoriam ad poſteritatem tranſmiſit. Ex Huberto Goltzio.

XL.

ARISTOCLES MESSANENSIS.

ARiſtocles Meſſanenſis, Philoſophus Peripateticus, *decem libros de Philoſophia naturali, & totidem in Morali* edidit: item *artem dicendi*: item *Homeri, ac Platonis comparationem, uter eorum doctior fuerit?* Ubi Philoſophos innumeros, eorumque opiniones commemorat. Ex Conſtantino Laſcare.

Ariſtocles alter Lampſacenus, Philoſophus Stoicus, ſcripſit libris quatuor enarrationem eorum, quæ Chryſippus tradidit de ratione dicendorum, & cogitandorum. Suidas.

Tertius Pergamenus Sophiſta floruit ſub Trajano,& Adriano. Scripſit de arte Rhetoricâ, epiſtolas, & declamationes. Sectæ fuit Peripateticæ, horridus aſpectu, voluptatibus tamen, & lyræ poſteâ indulſit. Ex Carolo Stephano in Dict.Hiſt.Geog. Poët.

XLI.

ARISTOLOCHUS.

ARiſtolochus Siculus Poëta, *contra Phalaridem*, Agrigentinorum tyrannum, ſtylum exacuit, *amaruleutis Tragœdiis* in eum conſcriptis: in hoc Steſichori æmulus, cæterà inferior. Epiſtolam, minarum, & indignationis plenam, ad impudentiam illam compeſcendam Phalaris Ariſtolocho miſit.

Phalaris Ariſtolocho

Si te id, quod Steſichorus olim captus veniâ à nobis dignatus eſt, impellit ad ſcribendum contra me Tragœdias, quaſi cum omnibus Poëtis placidè, & manſuetè acturum, multùm à veritate aberras. Non enim approbo in commune Poëtas, ſed bonos tantùm Poëtas: neque, qui inimicitias mecum exercent, ſed generoſiſſimos inimicos. Tu verò malus Poëta cum ſis, imbelliſque inimicus; tàm juxtà virilem animum, quàm Poeticam facultatem Steſichoro temetipſum æquas: cognoſces autem celerrimè diſtinctionem non multò poſt. Non ob ea, quæ, in me ſcribis, omnium enim hominum timidiſſimus eſſem, ſi me vel converterem propter tuas Fabulas; ſed talis inimicus, & Poëta quum ſis, iiſdem temetipſum, & Steſichorum dignum putes. Vale. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

XLII.

ARISTOTELES.

ARiſtoteles Siculus Orator *plura* compoſuit, & *orationem contra Panegyricum Iſocratis Oratoris*. Ex Conſtantino Laſcare.

Hunc quidam Panormitanum, quidam Drepanenſem, quidam alii Leontinum faciunt. Philadelphus Mugnos in Novo Laërtio refert pag. 81. Ariſtoteles Heliodori, Civis Drepanenſis, fuit. Is, ut tradit Theophilus, ſub Gorgiæ Leontini diſciplinâ

Orator

Orator egregius evaſit. Scripſit *contra Panegyricum Iſocratis eruditam Orationem, quinquaginta tres alias Orationes elegantiſſimas* ſcripſit, quarum duas in Bibliothecâ Vaticana Guliemus Durans in Compendio virorum illuſtrium aſſervari affirmat. Scripſit *decem libros de Philoſophia naturali, novem de Morali*: item *diſſertationem de Serapide Ægyptiorum numine*. Mortalitatem reliquit annum agens ſeptuageſimum quintum. Ex Theophilo.

Ariſtotelis nomen Ariſtotelis Stagirites, Peripateticorum Philoſophorum princeps, ſupra cæteros mortalium clarum reddidit. Is patre Nicomacho Medico, matre Phaſtiade, quamvis parvus, gibboſus, & balbutiens, ob ſummam tamen eruditionem ſocius, præceptor, & ſecretarius Alexandri Magni factus. Quid Ariſtotelem? quem dubito ſcientiâ rerum, an ſcriptorum copiâ, an eloquendi ſuavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem? Quintilianus. Primus omnium, quos ſcimus, libros congregavit, & Ægyptios Reges ordinem Bibliothecæ docuit. Strabo lib. 3.

Fuerunt & alii Ariſtoteles. Primus, qui Athenis Rempublicâ, adminiſtravit. Secundus, qui Iliadem Homeri deſcripſit. Tertius Siculus noſter. Quartus cognomine Myrthus, Æſchinis, Socratis, neceſſarius. Quintus Cyrenaicus, qui de poëticâ ſcribit. Sextus Pedotriba, cujus meminit Ariſtoxenus in Vita Platonis. Septimus Grammaticus ignobilis, qui de pleonaſmo artem ſcripſit. Laërtius in Vitis Philoſophorum.

XLIII.

ARISTOXENUS SELINUNTINUS.

Ariſtoxenus Selinuntinus, ut Hephæſtion tradit, Epicharmo longè antiquior eſt: quin ipſius, ut idem aſſerit, Epicharmus mentionem facit. Hunc ait Cenſorinus tùm peritiâ, tùm elegantiâ modulati protinus carminis clariſſimum fuiſſe. Uſus eſt Ariſtoxenus ante alios omnes, eodem Hephæſtione Auctore, primùm Anapeſtico metro. Ex Lilio Gregorio Gyraldo de Poëtis.

Fuerunt & alii duo ejus nominis, alter muſicus illuſtris tempore

pore Tulli Hoſtilii III. Romanorum Regis: alter Tarentinus, ſed Mantineæ agens, Philoſophus, & Medicus nobiliſſimus, qui priùs Lamprum, poſteà Zenophilum, poſtremò Ariſtotelem audivit, cui morienti convitium dixit, quòd ei Theophraſtum in ſcholæ ſucceſſione præponeret. Scripſit in omni genere doctrinæ; præſertim in Muſicâ. Suidas. Animam harmoniam eſſe affirmabat. Cicero in quæſt. Tuſcul. Joannes Meurſius Batavûs edidit Notas in Ariſtoxenum, Nicomachum, & Alypium muſices antiquiſſimos Auctores, in quibus agit de Ariſtoxenis, Nichomachis, & Alypiis ſigillatim, &c. lugduni Batavorum 1616. ex Officinâ Ludovici Elzevirii.

XLIV.

ARRIUS CHLORION CATANENSIS.

ARrius Chlorion Catanenſis, Oratione diſertiſſimus fuit. Ex Joanne Baptiſta de Groſſis in Decachordo Catan. chordâ 9. pag. 152.

Arrii nomen quantùm Arrius Alexandrinus Philoſophus illuſtravit, tantùm Arrius item Alexandrinus Hęreſiarcha conſpurcavit. Nam ille Auguſto venienti Alexandriam poſt victoriam Actiacam ſeſe offerens, tanto apud eum honore fuit acceptus; ut Auguſtus ipſe palam ſit faſſus Alexandrinos tribus de cauſis abs ſe conſervatos: ob Alexandri primùm memoriam, deinde ob Urbis pulchritudinem, poſtremò propter Arrium Philoſophum. Plutarchus in Antonio. Hic verò Arrianæ ſectæ anteſignanus, cùm Conſtantinopoli ſeceſſum quæreret ventris exonerandi causâ, fluentibus foras inteſtinis miſeram animam evomuit, ejus poſteâ judicium experturus, de quo malè ſenſerat. Raphael Volaterranus.

XLV.

ARSENIUS.

ARſenius Siculus, Monachus Cœnobii S. Philippi Fragalatis ex Ordine Baſiliano, floruit ante occupatam à Saracenis Sici-

Siciliam.Scripſit *Carmen in laudem S.Viti Martyris*,quod ex Græco codice prædicti Cœnobii Auguſtinus Floritus Soc. Jeſu latinè vertit, idemque adducit Octavius Cajetanus tom.1. Vitar. SS. Sicul.pag.95. Ex eodem Cajetano in Animadverſion. ad Vitam S. Viti pag.71.

Arſenius, Romanus patritius,quà moribus, quà literis Arcadio, & Honorio inſtituendis à Theodoſio Imperatore magiſter adhibitus, adhuc in palatio degens de ſalute ſollicitus vocē audivit: Arſeni, fuge homines, & ſalvaberis. Cùm autem ſeceſſiſſet in ſolitudinem, & eundem ſermonem oraret, nimirum, quam viam ingrederetur ad æternam ſalutem aſſequendam; rurſus audivit: Arſeni fuge, tace, & quieſce: hæc ſunt principia ſalutis. Plures annos anachoreticam vitam duxit, rarum Monachorum exemplum. Diſcant ex eo Monachi doctrinâ non inflari,nec eam impotentiùs effundere. Nam Arſenius,cùm poſſet magnificè, ſi vellet, nunquam de quæſtione aliquâ ſcripturarum loqui voluit. Cum idem aliquando quendam Ægyptium ſenem de cogitationibus ſuis interrogaret; alius eum videns, dixit: quomodo tu, adeo in latinâ, & Græcâ linguâ edoctus, ruſticum iſtum de cogitationibus ſuis percontaris? & ille reſpondit: latinam quidem, & græcam eruditionem quantùm ad ſeculum apprehendi; ſed alphabetum iſtius ruſtici nec dum aſſequi potui. Ex Pelagio, & Ruffino apud Heribertum Roſuveydum Societatis Jeſu in Vitis Patrum.

XLVI.

ARTEMIUS CATANENSIS.

ARtemius Catanenſis inter auditores Timæophontis Leontini numeratur. Ex Philadelpho Mugnos in Novo Laërtio pag. 103.

XLVII.

ARTEMIUS DREPANENSIS.

ARtemius Drepanenſis, Archilochi, & Nicolidis filius, Philoſophus, Timæophontis primùm, deinde Ariſtodemi diſcipulus. Scripſit, ut tradit Diodorus lib.28. *Elegiam de ſuavitate Ariſtodemi, & ariditate Athenodori Philoſophi. Item Anchiſæ vitam, ejuſque tranſitum*. Obiit Drepani ætatis ſuæ anno 68. ex Philadelpho Mugnos in Novo Laërtio pag.121.

XLVIII.

SANCTUS ATHANASIUS CATANENSIS, EPISCOPUS METHONENSIS.

S. Athanaſius Catanenſis, cùm immanis Saracenorum furor in Siciliâ cuncta miſceret, unâ cum parentibus Patras in Peloponneſum aufugiens, Cœnobium ſibi delegit, in quo vitam, & à barbaris, & à curis tutam, traduceret. At verò, inquit ejus vitæ Auctor, cùm minimè fas ſit in exiguis anguli latebris magnam occultare facem, quemadmodum nec perenni ingentium fluminum inundatione pomarium, hortulumve exiguum irrigare; foras emicante virtutum ſplendore Methonenſis Epiſcopus renunciatur. In eo dignitatis faſtigio virtutes, quibus veteres Patriarchas, doctrinam, quâ veteres Patres æquaret, oſtendit. Demùm tentatus morbo, ad ea verba, in manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, valdè hilaris exhalavit. Inſtitutæ deinde longæ peregrinationes ad ejus ſepulcrum, quod veluti perennis fons, inquit Auctor vitæ, remediorum, curationumque rivos omnibus cum fide accedentibus ubertim effundit. Scripſit ejus Vitam Petrus Siculus, Argivorum Epiſcopus, quam Epitaphium inſcripſit: eam adducit ad annum Chriſti 885. Julii 29. Octavius Cajetanus tom.2. Vitar. SS. Siculorum pag.52.

XLIX.

B. ATHANASIUS CLAROMONTIUS PANORMITANUS PATRIARCHA ALEXANDRINUS.

B. Athanaſius ex ampliſſimâ Claromontiorum familiâ, quibus Siciliæ pars non minima parebat, quique Motycenſium Comites extiterunt, Panormitanus, in patrio Cœnobio S. Mariæ Chryptæ Ordinis Baſiliani, quod in eo loci ſtatuunt, ubi nunc operoſa moles Domus Profeſſorum Patrum Societatis Jeſu ad ſeculorum invidiam aſpicitur, ſeſe totum Deo dicavit. Extractus inde ad Alexandrinum Patriarchatum, veluti ſol depulsâ nube fulgere occœpit. Cùm Angelus Carmelitanus Hieroſolymis in Siciliam traiicere cogitaret, ei plurima Divorum lipſana tradidit, Friderico, germano fratri ſuo, tunc Panormi nobilitate, atque opibus florentiſſimo, aſportanda. *Super hac re literas Friderico* ſcripſit *Angeli commendatitias, & veritatis indices*, Alexandriæ anno Chriſti 1219. Extat Epiſtola tom. 2. Vitar. SS. Siculor. apud Octavium Cajetanum pag. 199. cap. ultimo Vitæ S. Angeli Martyris.

Joannes Jacobus Adria lib. de Valle Mazariæ B. hunc Athanaſium Catanenſem fuiſſe memorat, atque ex Panormitano Monaſterio S. Salvatoris creatum Patriarcham Alexandrinum. Id enim Monachi Baſiliani principio tenuere, deinde Sanctimoniales Virgines. Verùm Adria decipitur: nam Acta S. Angeli Martyris ab Enoch, Patriarchâ Hieroſolymitano, deſcripta, B. Athanaſii Synchrono, Panormitanum, illum fuiſſe, & Monachum ex Monaſterio S. Mariæ de Cryptâ, ex ſubterraneis ædium cryptis appellato, planè teſtantur. Duos Athanaſios Siculos, Catanenſem, & Panormitanum, alterum Epiſcopum Methonenſem, alterum Patriarcham Alexandrinum, actis non dum perſpectis Adria confundit. Ex Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Animadverſ. ad Vitam S. Angeli pag. 66.

Profectò hunc dixeris, Athanaſii, viri doctiſſimi, ac ſanctiſſimi, Epiſcopi Alexandrini, dignum ſucceſſorem, dignumque poſterorum exemplar.

L.

ATHANES.

ATHanes Siculus Hiſtoricus. Ex Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Animadverſion. ad Vitam S. Philareti pag. 43.

Plutarchus in Timoleonte Athanem Hiſtoricum citat. Athanes auctor eſt bello adhuc contra Mamercum, & Hipponem durante, apud Mylas Timoleonti cæcitatem accidiſſe, eumque caſum nemini obſcurum fuiſſe: neque tamen eum propterea obſidionem ſolviſſe, ſed in bello perſeveraſſe, Tyrannoſque in ſuam redegiſſe poteſtatem. Apud Placidum Reina tom. 1. Hiſtor. Meſſan. pag. 145.

Is Athanes ſcripſit *de Timoleonte, Diono, & Dionyſio Minori*, ut Bonannus tradit in Hiſtor Syracuſ. fol. 204. qui eum fuiſſe Syracuſanum putat. *Res à Dione geſtas ab anno 3. Olympiade 104. exorſus, triginta tribus voluminibus conſcripſit; annorum tamen ſeptem Hiſtoriam, quam Philiſcus intactam reliquit, libro uno comprehendit, & tres ſummatim re cenſens continuam Hiſtoriæ ſeriem effecit*; inquit Diodorus Siculus lib. 15. Hiſtor.

LI.

ATHENAGORAS SYRACUSANUS.

ATHenagoras Syracuſanus, vir politicus, & Orator ſuaviſſimus. Ex Conſtantino Laſcare.

Athenagoras Cynicus Athenis virgis vapulavit ob frumentum in fame aſportatum. Cicero Pro Flacco.

Fuit & alius Athenagoras, qui ſcripſit librum de Agricultura, teſte Varrone t. 1. Athenagoras, Philoſophus Chriſtianus, floruit ann. 155. ex Konigio in Bibliotheca.

LII.

B. AUGUSTINUS NOVELLUS THERMITANUS.

MAtthæus Thermitanus Bononiæ Cæſarei, ac Pontificii Juris lauream adeptus, ſummæ integritatis, ac doctrinæ famâ in Manfredi, Siciliæ Regis, aulâ Conſiliarium egit. Cæterùm Caroli Andegavenſis armis Manfredo fuſo, cæſoque in Beneventanis campis, Matthæus, Regem ad bellum comitatus, eo prælio inter vivos deſiiſſe creditus eſt. Verùm fugâ lapſus, atque è gravi morbo inde contracto convaleſcens, Divi Auguſtini Ordini nomen dedit, mutatoque vetuſto nomine, Auguſtinus dictus eſt, cui pòſt ſcientia, atque inſignis ſanctitas Novelli cognomen peperere. A Nicolao IV. electus Apoſtolici Sacrarii Præfectus, Pœnitentiarii, Confeſſariique Pontificii titulo inſignitus. Verùm, quia ex eremo fuerat accerſitus, indeque extractus, & quidem invitus; dum Romanâ in Curiâ verſaretur, totus erat in ſuâ eremo. Anno Domini 1298. Prior Generalis in Comitiis Mediolanenſibus abſens creatur. Præfecturam verò univerſi Ordinis nonniſi ex Romani Pontificis Bonifacii VIII. juſſu ſuſcepit. Auguſtinianam ſodalitatem cum ſui deſpicientiâ, maximâque adversùs alios caritate non ſine magno juſtitiæ zelo gubernavit. Cùm in eremo Roſiæ ſub modio deliteſceret; Jacobus Paliareſius, vir nobilis, litem Monaſterio intenderat: Auguſtinus ubi Fratrum animos triſtitiâ affectos, ſimul, & eorum juſtam mœroris, hæreditatiſque cauſam agnovit; clam domeſticum Procuratorem convenit, petitque, ut apta ad ſcribendum daret. Deriſit hominem Procurator, ignarum legendi, ſcribendique ratus. Verùm Auguſtinus in arreptâ ſchedâ multa paucis notavit, eamque Paliareſio mittit. Is, cùm papyrum luſtrat, vehementer commotus, in hæc verba erupit: aut Dæmon ſcripſit, aùt Matthæus, quocum Bononiæ fui, unàque literis operam dedimus. Perſpecto deinde homine, tantamque animi demiſſionem admiratus, inter oſcula, & amplexus, multa ſuper Auguſtino deprædicans, litem ultrò Monaſterio adjudicavit. Haud plures poſt dies Clemens Auxima-

nus, Præpoſitus Generalis, Senas venit, cognitâque Auguſtini virtute ex Roſiæ Latibulis Romam itineris comitem, & curarum ſocium duxit. Tum hi duo Beati, Clemens, & Auguſtinus, *Conſtitutiones Ordinis Eremitarum S. Auguſtini multo cum ſtudio, diligentiaque recognovere, quibuſdam additis, nonnullis verò reciſis pro illius familiæ bono per capita recenſuere.* Tandem clarus miraculis obdormivit in Domino in loco S. Leonardi propè Civitatem Senarum, quò ſe, abdicato magiſtratu, contulerat, anno Domini 1309. Senarum Epiſcopus ſolemni cum pompâ honeſto ſepulcro in æde S. Leonardi collocari mandavit. Ex Beato Jordano de Saxoniâ in Vitis Fratrum, Philippo Bergomenſi in Chronico, Mauritio Tertio in Chronico, Joſepho Pamphilo in Chronico, Raphaële Volaterrano in Anthropolog. Angelo Epiſcopo Tagaſtenſi in Chron. Hiſtoriâ Apoſtolici Sacrarii, Ambroſio de Cora in Catalogo Beatorum Eremitarum S. Auguſtini, Andrea Gelſomino in Theſauro Devotionis B. M. V. Abrahamo Bzovio ad an. 1308.

Anno 1300. poſt abdicatum magiſtratum Ordinem Clericorum inſtituit, qui Hoſpitalibus inſervirent, ſub Regulâ Divi Auguſtini, approbante Bonifacio VIII. Imperatore Occidentis Alberto, Orientis Andronico I. Durat adhuc hæc Sodalitas Senis, & per Italiam, ſed non admodùm frequens. Ex Auguſtino Barboſa in Jure Eccleſ. tom. 1. pag. 551.

Octavius Cajetanus Vitam adducit tom. 2. SS. Sicul. pag. 226. Hortenſius Scammacca Societatis Jeſu Tragœdiam ſcripſit: Matthæus Thermitanus, quam tom. 9. ſuarum Tragœdiarum à Martino la Farina, Panormitano Abbate, collectarum, edidit Panormi 1639. apud Hieronymum Roſellum. Petro Marino, Vallis longæ Baroni, Gregorio Bruno, Arminuſæ Baroni, Paulo Bonafedi, Joſepho Solito, Juratis Thermitanis, d. d. d.

Bernardus Riera Drepanenſis, magnæ vir literaturæ, Vitam Beati Auguſtini Novelli ſcripſit, cumque Panormitanum eſſe affirmat ex pervetuſtâ familiâ de Thermes, ex quo autumat illorum opinionem effluxiſſe, qui Beatum Auguſtinum eſſe teſtantur. In lucem edidit Vitam illam, notis illuſtratam, ex m. s. codice Collegii Panormitani fideliter excerptam Vincentius Auria, utriuſque Juris Doctor Panormitanus. Utrumque ſequitur

Fran-

rancifcus Carrera Societatis Jeſu in Panteo Siculo. Sed Paulus
ydonius Thermitanus, ne veteri jure depelleretur, in Rieram,
c Auriam gloſſatorem excanduit.

Nuper Nicolaus Toppius Juriſconſultus Theatinus in Bibliothecâ Neapolitanâ B. Auguſtinum Novellum Interamniæ Præcutinorum natum opinatur, nullo teſtimonio, nullis rationum momentis. Inconſulta tamen pietas condonanda homini de literatis merenti.

Maii 19. Thermis Himerenſibus B. Auguſtini, cognomento Novelli, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini memoria. Ex Octavio Cajetano in Martyrologio Siculo pag. 118.

LIII.

BARTHOLOMÆUS DE NEOCASTRO MESSANENSIS.

Bartholomæus de Neocaſtro Meſſanenſis, Civilis Juris Profeſſor, ac Regni Siciliæ Fiſci Patronus, Poëta laureatus. Scripſit *Opus Poeticum, cui titulus: Meſſana, XV. libris Hexametris verſibus compoſitum de Rebus geſtis Siculorum poſt Gallorum cladem.* Id ex ms. codice in membranis Auguſtini de Morales, Regni Aragonum Fiſci Patroni, Antonius Amicus Meſſanenſis, Regius Hiſtoriographus, in lucem edere meditabatur, ut ipſe teſtatur in Indiculo alienarum lucubrationum, quas è tenebris in lucem evocare pollicetur. Scripſit prætereà Bartholomæus *Hiſtoriam ſui temporis*: quam ibidem teſtatur Amicus ſe in lucem editurum ex ms. codice antiquo in chartâ bombycinâ, qui repertus fuit in arcâ plumbeâ ſub altari majori veteris Eccleſiæ S. Salvatoris linguæ Phari propè Meſſanam. Meminere hujus paſſim Hiſtorici Meſſanenſes, Placidus Reina, Stephanus Maurus, aliique plures.

LIV.

SANCTUS BASSIANUS SYRACUSANUS EPISCOPUS LAUDENSIS.

COnſtantino Magno Imperatore Syracuſis è familiâ nobiliſſimâ patre Sergio Urbis Præfecto, natus Baſſianus, jam anno-

annorum duodecim ſedem, ac magiſtram eloquentiæ, Romam, miſſus eſt, ut pueritiam honeſtis artibus excoleret. Romam adiit ſub ea tempora, cùm ibidem doceret nobiliſſimus ille Orator O. Marius Victorinus, quem Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis Rhetoricam Romæ tradidiſſe narrat Conſtantino Principe: Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 5. ſcholam deſerviſſe Juliano Apoſtatâ Chriſtianos Doctores proſcribente: idemque Auguſtinus vocat doctiſſimum ſenem, omnium liberalium doctrinarum peritiſſimum, tot Senatorum Doctorem. Fortaſſis ab eodem Chriſtianæ Religionis myſteria cum liberalibus diſciplinis acriùs, ultra quàm ætati conceſſum, altè combibit. Quæſitus, eruditusque ſatis à Gordiano Presbytero, qui cœlo monitore arcana pectoris Baſſiani perſpexerat: Baptiſmum ſuſcepit, niveâ togâ, tùm ab Angelo donatus. Delatum à famulis apud parentes ipſum eſſe Chriſtianum, B. Joannes Apoſtolus in ſuâ Baſilicâ orantem de fugâ Ravennam docet. Tandem in Claſſem, Ravennæ oppidum, pervenit, atque in S. Apollinaris æde delituit. Sed increbreſcente miraculorum, ac virtutum famâ, Sacerdotio inauguratus, Laudenſis Epiſcopus, vel invitus efficitur. In ipſo Urbis ingreſſu hominem nobilem, vocis uſu carentem ex paralyſi, complexus, exoſculatuſque, à morbo liberavit. Sed magno virtutum apparatu ad hæreſes profligandas ſtrenuus inſurrexit, S. Ambroſio, Mediolanenſi Epiſcopo, collegam, & ſocium ſeſe adiungens. Itaque primo anno, quo ſedem iniit, Concilio interfuit, quod Damaſo Romano Pontifice, Imperatoribus, Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio, adversùs Palladium, & Secundianum, Arianæ ſtoliditatis defenſores, Aquileæ coactum eſt: quibus omnium Epiſcoporum conſenſione damnatis, Concilio ſubſcripſit. Anno proximo in Urbem acceſſit Romano Concilio adfuturus, quod Damaſi mandato ad Eccleſiam ſtabiliendam celebratum eſt. Exinde paucos poſt annos Siricius Papa damnato Romæ Joviniano impuriſſimo hæretico, literas ad Mediolanenſem Eccleſiam dedit, quibus jubebatur cogi Synodum Epiſcoporum ad ejuſdem Joviniani, novi Epicuri, portenta convellenda: ut eâ in Urbe Draco peſtilens confoderetur, è cujus latibus prodierat. Adfuit in eo conventu Baſſianus cum Ambroſio Duce,

idem-

idemque Baſſianus, & Ambroſius *ad Siricium Papam literas* ſcripſerunt, ſtudii eorum in tuendâ Eccleſiæ fide indices, & hoſtium vindices. Extant literæ apud S. Ambroſium lib.1. Epiſtol. Per eam tempeſtatem Ambroſius, Mediolanenſis Epiſcopus, graviſſimo Italiæ vulnere deceſſit: ægrotanti adſedit Baſſianus amicorum proximus, ut ſtudiorum vitæ ad tuendam Chriſtianam rem particeps, arcanorum in morte conſcius. Ipſe quoque deinde ſignis clarus placidè quievit. Eccleſiam Laudenſem rexit annos 36. dies 19. Mortem obiit Honorio XII. Theodoſio VIII. Coſſ. 16. Kalendas Februarii anno Chriſti 418. Sed famâ rerum geſtarum æternitati ſuperſtes vivit. Ex Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Sicul. pag. 164. & in Animadverſion. ad Vitam S. Baſſiani pag.141.

L V.

BERNARDUS RICIUS MESSANENSIS.

CONſtantinus Laſcaris poſt captam à Mahumete II. Conſtantinopolim cùm Græcas literas Meſſanæ profiteretur; Athenas Meſſanam immigraſſe dixiſſes. Teſtatur id Aldus Manutius in Epiſtolâ Nuncupatoriâ, quæ Laſcaris Grammaticæ præfigitur, Angelo Gabrieli, Patritio Veneto, Laſcaris olim auditori, unâ cum Petro Bembo, & Urbano Bolzanio. Erat eo tempore Meſſana ſtudioſis Græcarum literarum Athena altera propter Conſtantinum. Verùm ſub Meſſanenſi cœlo exoticæ plantæ, ac domeſticæ Laſcare colono adoleverunt. Crevit inter has Bernardus Ricius Meſſanenſis Senatorii Ordinis, qui ſe, ſuaque ſtudia in rebus patriis illuſtrandis devovit. Itaque *de vetuſta origine Urbis Meſſanæ opus* edidit, impreſſum Meſſanæ 1526. apud Petrucium Spiram. Extant ejuſdem *epigrammata quædam latina*. Ex Placido Reina tom.2. Hiſtor. Meſſan. pag.47. 48.

LVI.

BION SYRACUSANUS.

BIon Syracuſanus, qui *artem Rhetoricam, & plura* compoſuit. Ex Conſtantino Laſcare.

Bion

Bion Syracuſanus Poëta Bucolicus apud omnes Scriptores audit, Muſæ Doricæ, Orpheus Doricus, ob Doricum ſermonem, quo claruit, dictus. Smyrnæus creditur, fortè Smyrnâ oriundus. Veneno ſublatus, ut Moſchus ejus diſcipulus cecinit:

Venenum venit, Bion, ad tuum os, venenum ſenſiſti.
Quis tuis labris occurrit, & non delinitus fuit?
Quis homo adeo immitis, qui vel miſcere tibi auſus,
Vel præbere tibi jubens venenum, effugit tuam cantionem?

Floruit tempore Ariſtarchi Grammatici, qui Olympiade 156. ſecundùm Euſebium Alexandriæ vixit, & ſecundùm Suidam in Ariſtarchum. *Fragmenta quædam Idylliorum* leguntur. In Compendio Bibliothecæ Geſnerianæ: *Bionis, & Moſchi Idyllia Græcolatina* hactenus non edita pollicetur index Officinæ Goltzianæ. Et in Moſcho: Prætereà *Moſchi, & Bionis poemata* excuſa ſunt ab Henrico Stephano cum Homero, & reliquis Græcis Poëtis, heroici carminis Principibus. Alibi etiam excuſa ſunt Bionis carmina. *Integrum Epitaphium Adoninis.*

Decem Biones in Bione Boryſthenite Philoſopho numerat Laërtius.

Joannes Vigintimillius de Poëtis Bucolicis Siculis agit de Bione à pag. 141. ad 415.

LVII.

B L Æ S U S.

BLæſus Siculus Comicus in Siciliâ, aut in Magnâ Græciâ vixit, & ſcripſit *Doricè*. Ex Iſaaco A. D. in Annot. ad Athenæum.

LVIII.

B L A N D I N U S I.

BLandinus Siculus Poëta. Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poët. Siculorum.

BLAN-

L I X.

BLANDINUS II. CATANENSIS.

BLandinus alter, fortaſſis Catanenſis Hiſtoricus, Monachus Benedictinus, *Hiſtoriam de translatione S. Aghathæ V. & M. à Mauritio Epiſcopo deſcriptam, auctario miraculorum ejuſdem S. Agathæ V. & M. illuſtravit*. Ex Octavio Cajetano tom. 1. Vitar. SS. Siculor. in Animadverſion. ad Vitam S. Agathæ pag. 49.

L X.

B O R N A S I U S.

BOrnaſius Siculus Ordinis Prædicatorum, vir ob religionis, & doctrinæ præſtantiam venerandus. Confecit *librum unum de Vita Beati Dominici, ex illis omnibus, qui teſtes adjurati ſuper illius ſanctimonia, cùm fuerat Divorum albo adſcribendus; de illo teſtati ſunt*. Multa in eo continentur, eaque notatu digna, quæ in aliis deſiderantur. Ex Antonio Senenſi in Bibliothecâ Scriptorum Prædicatorum.

L X I.

B O T R I S M E S S A N E N S I S.

IN Meſſanâ, Siciliæ Urbe, Botrim quendam extitiſſe tradit, *inventorem ſalium, & dicteriorum*, qualia ſunt, quæ Salpæ tribuuntur, apud Athenæum lib. 7. pag. 240. Alcimus. Ejuſmodi Sales Pęgnia Salpæ dicebantur, genus nimirum poëmatis jocoſi, à Mnaſea Colophonio, cognomento Salpa, quòd in carmine varius eſſet; nàm is piſcis murè picturatus eſt, rubentibus lineis, à cervice ad caudam uſque per argentea latera certis intervallis deductis, ut Eraſmus A. D. in Chiliad. adnotat: qui eorum carminum volumen exaravit. Botris, & Philenidis laſcivos verſus ſuperaſſe Democharem Timæus refert. Meminit & hujus Poë-

tæ parùm pudici, ejuſque patriæ Henricus Valeſius de Virtutibus, & vitiis, editis Pariſiis 1634. Placidus Reina tom. 1. Hiſtor. Meſſan. Joannes Vigintimillius in Tabulâ Poëtarum Siculorum, Laurentius Craſſus de Poëtis Græcis, Lilius Gregorius Giraldus de Poëtis.

LXII.

BRANCA CATANENSIS.

BRanca Catanenſis, Chirurgus, & Phyſicus eximius, ſuo ingenio, & arte aures, naſos, & labra, quibus cęſa fuerant inſtaurabat. Hujus diſcipulus fuit Balthaſar Pavonus Siculus. Ex Gilb. Cogn. lib. 3. narrat.

LXIII.

CÆCILIUS CALACTIANUS.

CÆcilius, qui & Archagatus vocabatur, ex Calactâ Oppido, Græcus natione, & linguâ, Judæus tamen lege, Orator præſtantiſſimus. Romæ tempore Auguſti Cæſaris legit. *Multa* compoſuit *contra Phryges. lib. 2. Elegantias Atticas, ſecundùm elementa*, quæ adhuc apud Svidam leguntur. *De Comparatione Demoſthenis, & Æſchinis, item Demoſthenis, & Ciceronis, item de ſtylo decem Oratorum Græciæ*. Ex Conſtantino Laſcare.

Romæ docuit ab Auguſto uſque ad Adrianum. Scripſit Dictionarium ex ordine literarum. Ex Carolo Stephano in Diction. hiſtor. Geograp. Poëtic. Sed perperam illum Callantianum appellat. Idem meminit ibidem de Cæcilio Epirota Grammatico, de Cæcilio Africano Juriſconſulto, de Cęcilio Argivo Verſificatore, de Cęcilio Statio Poëta Comico, quem Cicero ad Atticum, malum latinitatis Auctorem vocat, Volcatius tamen Comicorum palmam ei concedit.

Antequàm ad Calactam Oppidum perveniamus, Petri Pauli Morrettæ de Caltagirono pag. 2. verba ſunt pauliſper conſideranda. Antiquitatis fumus, veluti velum, ut multùm venera-

tionis

tionis conciliat, ſic plurimùm obſcuritatis ſuperinducit. Hinc varia noſtrorum ſtudia, & ſecum pugnantia de Caltagironi non minùs nomine, quàm antiquitate, judicia.

Quidam ergo Calactam Oppidum Calatagironum eſſe autumant. Claudius Marius Aretius de ſitu Siciliæ inquit: opulentiſſima, ſatiſque proſpera eſt Civitas, Calatagironem hodie vocant, celſo in monte poſita. Eam ipſam conjecturâ utentes Calactam fuiſſe, ſeu Calinactam, à Ducetio conditam, opinamur, Cicero Calatinos populos appellat. Duo Cives Calatini memoriâ digniſſimi, Thales Orator, & Demetrius Hiſtoricus. Subdit Franciſcus Maurolycus in Compendio Hiſtorico Sicaniæ: quæ nunc ab Inſtauratore Calacta Hieronis nuncupari creditur. Sed hanc ſententiam: Caltagirono cęteroqui per honorificam, Morretta citatus, & Marius Pacius Societatis Jeſu, qui ante ipſum primævam Caltagironi originem ſcrutatus eſt, vel inter gigantum ſepulcra, tanquam parùm conſtantem evertunt.

Thomas Fazellus de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 9. pag. 202. Calactam Oppidum nunc deletum exiſtimat, ſupereſſe tamen ejus nudum nomen, mutato primo elemento Galatim indigitant, inter Agathyrſum, & Cephalœdium in Itinerario Antonini ſitum.

Calacte pulcrum littus Græcè ſonat. Hinc Cęcilius Rhetor à Calattâ, ſive à Pulcro Littore, inquit Cluverius. Ipſum conſule de Siciliâ antiquâ lib. 2. cap. 4. num. V.

LXIV.

CALLIAS SYRACUSANUS.

Callias Syracuſanus Hiſtoricus, *Hiſtorias plures* ſcripſit, & in his *Agathoclis Siculi tyranni geſta*. Ex Conſtantino Laſcare.

Callias Athenienſis Comicus, Lyſimachi filius Scœnion cognominatus, quòd funes ob paupertatem torqueret. Callias Methymnæus Grammaticus fuit. Ex Carolo Stephano A. D. in Diction. Hiſtor. Geograp. Poëtic.

L X V.

CALLIMACHUS SYRACUSANUS.

CAllimachus Syracuſanus, Euphratis Syracuſani ex filiâ nepos. *De Inſulis Carmine* ſcripſit, & *omnis generis verſus* compoſuit. Ejuſdem *libri pluſquàm octingenti* Ptolomæi Philadelphi extitiſſe feruntur. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 4. pag. 102.

L X V I.

CALLIMACHUS MONSUIRIDIS MAZARIENSIS.

CAllimachus Monſuiridis Mazarienſis, ſocius Dominici Calderini Veronenſis. Scripſit *librum de Laudibus Siciliæ*. *Commentaria Poetica*. *Epiſtolas familiares*. Vitamſ duxit Philoſophicam, & coronam lauream ſprevit. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Mazarien. pag. 543.

Fuerunt alii duo Callimachi nomine Cyrenenſes, & ipſi Poëtæ. Callimachus ſenior Elegiographorum inter Græcos Princeps. Junior, Staſenoris, & Magatimæ, quæ Callimachi ſenioris ſoror erat, filius fuit. Sed hujus non ita magnum nomen. Ex Carolo Stephàno in Dictio n. cit.

L X V I I.

T. C A L P H U R N I U S.

T. Calphurnius Siculus inter eos Poëtas refertur, qui Bucolicum carmen ſcripſerunt. In hoc enim, judicio eruditorum magnoperè excelluit, tùm gratiâ carminis, tùm elegantiâ, & proprietate. Per eadem tempora floruit, quibus Diocletianus Cæſar, & Conſtantii Principes Romanum Imperium moderati ſunt. Quæ res manifeſtò indicantur ex Commentariis Flavii Vopiſci, qui Olympium Nemeſianum celebrat, ad quem Poëta Calphurnius ſuum opus miſit, ut in vetuſtis exemplaribus

bus legitur. Quo circa in magno errore verſantur, qui exiſtimant eum fuiſſe ætate Auguſti Cæſaris. Modicis facultatibus vixit: quod ex ipſo Auctore ſatis poſſumus colligere. Neque deſunt, qui putant de Diocletiano Imperatore intelligi oportere, cùm ſcribit ſub perſonâ Orniti.

Aurea ſecura cum pace renaſcitur ætas,
Et redit ad terras tandem, ſquallore, ſituque
Alma Themis poſito: juvenemque beata ſequuntur
Secula, maternis cauſam, qui luſit in ulnis.

Alii hoc ad Numerianum referunt, qui & ſcribendis carminibus, & eloquentiâ præcipuè excelluit. Sunt, qui malint ſcribere*, Calpurnium, ſublatâ aſpiratione, quod â Calpe deducant nomen Calpurnii. Sed hoc, ut frivolum, ita liberum relinquimus noſtris Grammaticis. Ex Petro Crinito de Poëtis Latinis lib.5. pag.98.

Calphurnius Caſſimenæ, & Auritæ nobilium Drepanenſium filius, magni Nominis Philoſophus: à puero mitioribus literis operam navavit, ſed in Philoſophiâ multùm profecit. Scripſit *Heroico verſu Vitas Imperatorum Veſpaſiani, & Titi*. Hinc Domitiano pretioſus, Aulæ Cenſor Præfectus eſt, quod munus nonniſi Nobilibus conferri ſolebat. Scripſit *Eclogas paſtorales*, vixitque frugalem vitam, & integritate commendabilem. Hæc de Calphurnio Siculo mirâ fingendi arte commentus eſt Philadelphus Mugnos in Novo Laërtio pag. 147.

Calphurnium commendant Scriptores benè multi, quos inter duorum teſtimonia referam. Titius de locis Controverſ. lib. 8. cap.6. inquit. Nunquam eos malos Poëtas exiſtimabo, qui ſummos, principeſque eo artificio viros ſibi invitandos propoſuerint. Itaque hoc nomine plurimùm Calphurnium admiror, eique præter ingenii felicitatem, incredibile ſtudium adfuiſſe video bonos Poëtas imitandi, quo circa conſecutus eſt, ut inter primi ordinis Scriptores enumerari videatur. Gaſpar Bartius lib. 34. cap.2. Inter Poëtas vulgi auribus illi ſoli placent, qui tumorem dictionis, & ſtrepitum ſententiarum ſectantur . . . Bonis verò Cenſoribus ab omni ævo ſecus viſum eſt. Suavitas enim naturalis, & quædam ſimplicitas ingenua expellitur, & corrumpitur affectatis illis, tortuoſiſque ſententiarum condenſationibus.

bus. In meliori genere cenſeo Bucolicos duos Poëtas, Nemeſianum, & Calphurnium: qui licet ad divinitatem Maronis nihil faciant, ſimplicitate tamen loquendi non ſunt indigni, qui diligantur. Non enim in iis ſunt partibus, qui acutarum ſententiarum affectatione barbaris ingruentibus exemplo, & occaſioni fuere omnem eloquentiam corrumpendi, & veluti præcipitio deiiciendi.

Dominicus Honorius Caramella Panormitanus in Muſæo Poëtarum latinorum hoc diſticon Calphurnio inſcripſit.

Bucolico præſtas proprio carmine; quòd te
Non verear latium dicere Theocritum.

Convellit tamen Calphurnium Cæſar Scaliger, cujus dentem nullus evaſit. Sed Vigintimillius abſtersâ calumniâ iniquum cenſorem probè mulctavit.

Calphurnii *Eclogæ* juxta editionem Florentinam Philippi Juntæ *ſeptem* numerantur: *Delos, Crocale, Exoratio, Cæſar, Mycon, Litigium, Templum.* Numerum hunc ſeptenarium non temerè prolapſum cenſet Mogius, ſed cum ſeptem calamis, paſtoritiam fiſtulam componentibus, adaptatum. Novant. lect. Epiſtol. 17. Calphurnii Bucolicon libello Eclogarum ſeptem, quem juſtum hic numerum eſſe, licèt Virgilius, & Theocritus id minimè obſervaſſe deprehenduntur, veterum quidam ſtatuerunt; ſcripta omnia unica in ſuo genere apud Latinos.

Præter editionem Juntinam prædictam 1504. prodierunt Lugduni apud Sebaſtianum Ghryphium 1537. Conradus Geſnerus A. D. recenſet editionem Tigurinam, Baſileenſem, & Venetam cum Commentario. Robertus Titius, & Ugolinus Martellius Commentarium in Eclogas Calphurnii ediderunt Florentiæ 1590. Diomedes Guidalottus Bononiæ 1504. Gaſpar Bartius Bremæ 1612. Franciſcus Mogius ſcribens Chriſtophoro Euſtettero idem ſe facturum pollicetur. Plura de Calphurnio ſcribit Joannes Vigintimillius de Poëtis Bucolicis Siculis à pag. 427. ad pag. 451.

CA-

LXVIII.

CAPITO EPISCOPUS.

CApito Siculus Epiſcopus, ſanctiſſimus, æquè ac ſapientiſſimus, fidei zelo cum primis inſignis. Hæreſis Arrianæ flammam latè perſonantem reſtinxit. Scripſit enim *contra Arium* cum egregiæ laudis teſtimonio, quod Magnus Athanaſius exhibet, dum eum annumerat inter eximios Orthodoxæ Religionis propugnatores, & cum Oſio, Silveſtro, Julio, Liberio, Meletio, Baſilio, illius ſeculi athletis, componit. Ad ejuſdem etiam commendationem attinere arbitror, quòd ipſius exemplo Siculi omnes Epiſcopi duobus Provincialibus Conciliis intra quadraginta ferè annos Catholicam fidem adversùs Arrianos ſartam tectam ſervarint. Ex Octavio Cejetano tom. 2. Vitar. SS. Sicul. in Appendice pag. 271.

Plura narrat de Capitone, quem Epiſcopum Meſſanenſem exiſtimat, eundemque obiiſſe autumat anno Chriſti 340. Carolus Morabitus in Annalibus Eccleſię Meſſan. à pag. 280. ad pag. 299.

LXIX.

CARCINUS AGRIGENTINUS.

CArcinus Agrigentinus Poeta Tragicus, *Tragœdias ſexdecim* compoſuit. Ex Conſtantino Laſcare.

Laërtius in Æſchine Comicum appellat. Ariſtoteles in Ethicâ, ejuſdem meminit: dum Euſtathius ait Carcinum fabulam quandam meditantem à viperæ morſu interiiſſe. Diodorus *fabulam Cereris, quæ Proſerpinam quæritat*, à Carcino factam refert. Cùm enim Syracuſas Poëta ſæpius accederet, conſpecto incolarum in ejuſmodi ſacris ſtudio, Proſerpinam à Plutone raptam, atque ad inferos deductam; poſtmodùm verò à Cerere ſumpto ex Ætnâ Siciliæ igne, planctu, luctuque quæſitam, ab eâque frumentum monſtratum; unde & Dea ſit habita; in ſuo Poëmate affirmat. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

CAS-

LXX.

CASSIANUS.

CAſſianus Siculus Hiſtoricus. Hunc Caſſianum, inquit Pyrrhus, Siculum aliquem Scriptorem *de Vita Chreſti* fuiſſe crediderim, non autem Caſſianum, qui de Incarnatione contra Neſtorium, & Sanctorum Patrum Collationes edidit. Conſonat Cajetanus. Chreſto, Marciani ſucceſſori, propior eſt alter Chreſtus, qui ejus fuiſſe frater, ipſique in Syracuſano, Epiſcopatu ſucceſſiſſe dicitur à Caſſiano, Siculo, ut opinor, Hiſtorico. Ex Rocco Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 123. Octavio Cajetano tom. 1. Vitar. SS. Siculorum pag. 19. de S. Chreſto.

LXXI.

CHARINDUS SOLOENTINUS.

CHarindus Soloëntinus inter Auditores Timæophontis Philoſophi Leontini recenſetur à Philadelpho Mugnos in Novo Laërtio pag. 103.

Soloëntum Urbs vetuſtiſſima hodie prorſus jacens cernitur ad verticem yhalfani montis, qui p. m. 12. Panormo diſtat. Ejus mœnia quaquaverſum jacentia, templorum, ædiumque privatarum veſtigia, columnæ præterea proſtratæ, ac ciſternæ, quæ hucuſque viſuntur, præteritam oſtendunt claritatem. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis decad. 1. lib. 9. pag. 192.

Solentum, Soluntum, Solûs g. untis, etiam dicitur apud Cluverium de Siciliâ antiquâ lib. 2. cap. 3.

LXXII.

CHARONDAS CATANENSIS.

CHarondas Catanenſis, Pythagoricus Philoſophus, legum lator, *Chalcidenſibus & Siciliæ incolis leges* dedit. Ex Conſtantino Laſcare.

Hunc

Hunc Appimandri, & Charidis, nobilium Catanenſium, ſed qui Leontino è primis Chalcidenſibus familiam in Urbem Catanam derivarint, filium fuiſſe tradit Philadelphus Mugnos in novo Laërtio pag. 46.

Legem tulit, ne quis armatus in concionem veniret: cumque poſteà ipſe rure rediens, imprudens, ut erat, gladio accinctus in concionem veniret; admonitus legis ab eo, qui proximè ſedebat, eidem gladio incubuit: cùm liceret culpam diſſimulare, vel defendere. Valerius lib. 5. cap. 5. Cicero de legibus lib. 3.

LXXIII.

CHARMUS SYRACUSANUS.

Charmus Syracuſanus Poëta, *ad quodlibet, quod in conviviis apponebatur, ferculum ex tempore carmen* edere ſolebat. Ex Huberto Goltzio.

Clearchus, Ariſtotelis Auditor, cùm omnes Charmi verſus collegiſſet, eos Dipnologiæ nomine appellavit. Ob ingenii amœnitatem à Meſſanenſibus exiſtimatum ſcribit Athenæus. Vixit quarto Seculo Poëtarum juxtà Patritium. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

LXXIV.

L. CHRISTOPHORUS SCHOBAR.

L. Chriſtophorus Schobar natione Bæthicus, primùm Ælii Antonii Nebriſſenſis, deinde Conſtantini Laſcaris in Meſſanenſi Athenæo Auditor. Ex Agrigentino in Syracuſanum Canonicum tranſiens, Eccleſiæ utriuſque non immemor, *de Agrigentinorum, Siracuſanorumque Antiſtitum rebus geſtis Hiſtoriam* ſcripſit, quam ſæpè cum honoris præfatione citant m. s. Pyrrhus, & Cajetanus. Prodierunt in lucem *Epiſtolæ familiares Latinæ ad Siculos Optimates ferè ſingulæ miſſæ, cum eruditis quibuſdam argumentis, in quibus plura, quę ad Siciliæ decus attinent, continentur*. Sed non hæc in causâ fuerunt: cur inter Siculos Scriptores Bæ-

thicum hominem referrem. Sanè ipſe præter domum, & Civitatem, multis nominibus Siculus, prævalidum ex ingenio argumentum attulit, ut Siculus diceretur. Nam *Vocabularium Latianm, & Hiſpanum Ælii Antonii Nebriſſenſis innumeris propemodùm dictionibus adauxit, præterea Siculo idiomate locupletavit*, ſibimet gratulans, quòd Hiſpanam linguam Siciliſſarę docuiſſet. Prodivit Vocabularium Venetiis apud Bernardum Benalium anno 1519. in folio. Ergo abs re non erit Hiſpanum in Siculum vertere, qui ſermonem Hiſpanum, totumque ſeipſum in Siculum reddidit. Florebat anno 1500. Sed longiùs produxiſſe ætatem conſtat ex m.s.carmine Nicolai la Roſa Leontini, Literatos viros recenſens, qui anno 1517. Leontini vigebant, cùm Sanctorum Martyrum Lipſana ſolemni pompâ exciperentur.

Chriſtophorus pariter ſua digna poemata miſit
Bæthicus Hiſpanus, qui tunc erat incola doctus.

In Hiſtoriâ Netinâ Luciam Scobarem extitiſſe legimus, Petro Vaſurto, Regio Cubiculario, deſponſam, ad quas nuptias ſtabiliendas operam ſuam impendit Tancredus Pipis, Nobilis Netinus, ut in Hiſtoriâ Netinâ pag. 113. refert Vincentius Littara, ſuper eâ re acceptis ab Alphonſo Rege mandatis, datis literis Cajetæ 14. Kalendas Julias an. 1446.

Plura ſcripſiſſe ſcribit Placidus Reina in Hiſtor. Meſſan. tom. 2. pag. 46. Illum noſtrates, externique Scriptores laudant, cum primis Hiſpanienſes.

LXXV.

CIULUS.

Ciulus de Camo, ſeu Cœlius Siculus, apud Leonem Allatium de vetuſtioribus Poëtis linguæ Italicæ. Ciulus ab Alcamo apud Joannem Vigintimillium in Tabulâ Poëtarum Siculorum appellatus, inter Poëtas Italicæ Poëſis parentes recenſetur. Extant ejus *Carmina Italica*, quæ primęvum ſermonis candorem, & verſificandi ſimplicitatem præſeferunt, apud Leonem Allatium de Poëtis Italicis antiquioribus.

CLEON

LXXVI.

CLEON.

CLeon Siculus cenſetur à Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculórum. Poeta Epopæjus ſcripſit *Argonautica*, à quo argumentum Appollonius Rhodius mutuatus eſt. Ex Carolo Stephano in Dict. Hiſtor.Geog.Poët.

LXXVII.

COMATAS.

INter Siculos paſtores, quorum ingenio *Bucolicum carmen* natum, adultumque virili quadam infantiâ, & vetuſtate penè conſummatâ, Daphnes, & Comatas floruerunt. Hujus caſum, illiuſque amores Theocritus in Thalyſiis refert.

& Tityrus propè accinet,
quomodo olim hoſpitam amavit Daphnis bubulcus:
Cantabitque quomodo olim exceperit paſtorem (Divus legit Caprarium)
ampla arca
Vivum ob malam impietatem heri:
& quomodo ipſum ſimæ aluerunt ex pratis venientes
In cedrum dulcem mollibus floribus apes
Et quod illi Muſa dulce nectar in os infuderit.
O beate Comata, tibi hæc jucunda acciderunt,
Et tu in arcam incluſus fuiſti, atque tu apum
Favis paſtus, totum annum exegiſti: (Divus legit annum temporaneum.)
Utinam meo tempore inter vivos fuiſſes numeratus!
Tibi enim paſcerem in montibus pulcras capellas,
Vocem tuam audiens: Tu verò ſub quercu, vel ſub pino arbore
Suaviter canens recubare, divine Comata.

Is enim, ut Scholion in Thælyſia Theocriti habet, à Vincentio Alias Societatis Jeſu latinè redditum, heri pecora in Sici-

liâ in monte Thuriæ paſcens, ſepè Muſis ſacrificabat. Herus autem iratus caprarium ſuum in arcâ lingneâ incluſit, tentans, ſi ſervarent ipſum Muſę. Accedens porrò duobus menſibus tranſactis, cùm aperuiſſet, vivum quidem Comatam invenit, plenam autem arcam favis. At verò Scholiaſtes Vingintimillius taxat, quòd Comatam Siculum cum Sybarita confuderint, de quo in Idyllio S. Theocritus meminit. Lege Joannem Vigintimillium de Poëtis Bucolicis Siculis pag. 73. 74. 75.

LXXVIII.

CONON HIMERENSIS.

CONON Himerenſis, ni fallor, Poëta mordax, nimiâ licentiâ *in Phallaridem verſus* effutivit. Quarè ab Himerenſibus unà cum Steſichoro, & Tropida miſſus ad Corinthios, cùm ad Pachynum perveniſſet; captus, Agrigentum mittitur, ubi Phalaridis juſſu ſtatim interfectus, pœnas luit. Ex Phalaride in Epiſtolâ ad Himerenſes.

LXXIX.

CONRADUS.

CONradus Prior Monialium Panormitani ginycęi Sanctæ Catharinæ ad Caſſari viam Ordinis Prædicatorum, ſcripſit *Epiſtolam Angelo Boccamatio Catanenſi Epiſcopo, datam Panormi an. 1290. die prima Aprilis 3. Indictione, in qua Sicularum rerum euentus veluti compendio perſtringit*. Eam videre eſt apud Abelam in Melitâ Illuſtratâ pag. 262. Joannem Baptiſtam de Groſſis in Catanâ Sacrâ pag. 143.

LXXX.

CONSTANTIUS EPISCOPUS LEONTINUS.

COnſtantinus, ſeu Conſtantius Leōtinorum Epiſcopus, Adriano Summo Pontifice Sacro Nicæno Concilio interfuit, Imperatorum Conſtantini, & Irenes Legatum agens, & *coram Patribus*

tribus præclaram orationem expoſuit. Hic paſtorale munus perquàm vigilanter exercuit, cùm Sicilia Saracenorum cladibus lamentabili ſanè ſpectaculo affligeretur. Sed maximè in Sanctorum Martyrum corporibus ſervandis laboravit. Inter Leontinos, ſanctimoniâ claros, ejus memoria colitur ſexto Kalendas Octobris. Ex Carolo Antonio Converſano in Æthereâ Leontinorum gloriâ pag. 139.

Inter Leontinos Divorum faſtis adſcriptos nec Octavius Cajetanus, in Vitis SS. Sicul. nec Philadelphus Maurus in Hiſtoriâ SS. Fratrum Alphii, Philadelphi, & Cyrini, Conſtantinum referunt. De illo meminit Rocchus Pyrrhus in Notitiâ Eccleſiæ Leontinæ pag. 445.

Epiſcopatus Leontini meminit Aubertus Miræus lib. 5. pag. 353. ſed nunc Leontina Eccleſia Epiſcopo ſuo carens Syracuſano ſubeſt. Lege Phyrrhum cit. loc. cit.

LXXXI.

CORAX SYRACUSANUS.

Corax, ſive Corvus Latinè, Syracuſanus, inventor, & ordinator artis Rhetoricæ, ſive Oratoriæ. Nam cùm Syracuſani à tyrannide liberi, ac pacati inter ſe Rempublicam ordinaſſent; primus Corax incœpit ſe exercere, & vi orationis perſuadere, monereque omnes ad benè, & liberè vivendum; & ob id gratiſſimus univerſis extitit. Is Orationem in tria diviſit, ſcilicet, in Exordium, Narrationẽ, & Epilogum: rogatuſque à Cõcivibus, artem publicè legit, & multos erudivit. Quorum unus Tiſias, ſive Cteſias, fuit, ex Concivibus pauper, qui ſi artem addidiciſſet, duplicem mercedem promiſerat: edoctus verò promiſſam negavit. Ad judicium vocatus Tiſias, Coracem interrogavit: quidnam eſt ars Rethorica? Cui Corax reſpõdit: perſuadendi ars. Tiſias autem ab artis definitione ita arguit: ſi perſuaſero tibi, Corax, tanquam perſuadens non ſolvam: nam vici: ſi non perſuaſero, non ſoluam: nam non perſuadens non didici artem. Corax verò è contrario: imo, ſi perſuaſero tibi Tiſias, promiſſum capiam, ut victor: ſi etiam non perſuaſero, etiam mercedem ſol-

ſol-

ves: cùm talem fecerim te, ut perſuadere non potuerim. Tunc Judices utriuſque argutiam admirati, clamare cœperunt: mali corvi malum ovum: ideſt, gravi præceptore gravior diſcipulus. Quod deinde prolapſum eſt in proverbium, quoties è malo malum prodit. Hic Corax teſte Ariſtotele *Oratoriam* primus *Artem* edidit. Ex Conſtantino Laſcare.

LXXXII.

CORNELIUS SEVERUS TAUROMENITANUS.

CORnelius Severus Tauromenii ortus nobilibus parentibus, patre Cneo Cornelio Romano, matre Severâ Leontinâ, Poëta Epicus fuit. Ex Crinito, quem ſequitur Philadelphus Mugnos in Novo Laërtio pag. 151. 152. ubi Vitam, & Opera illius refert.

LXXXIII.

COSMANUS.

COſmanus Siculus, Monachus Monaſterii S. Mariæ de Rogato Ordinis S. Baſilii, Theolgus dictus, *Vitam S. Nicolai Eremitæ Adernionenſis, cui à Confeſſionibus fuerat, Hymnumque in ejuſdem Laudem* ſcripſit. Hunc hymnum, vel hymni fragmentum potius, ex ſchedis quibuſdam Archarienſibus Italo ſermone conſcriptum accepit Octavius Cajetanus: ſed prænotatum in iis erat ex Græco codice traductum, qui in Eccleſiâ S. Mariæ de Rogato energumenâ neſcio quâ detegente repertus fuerat. Floruit anno circiter 1167. Vitam, atque hymnum adducit Octavius Cajetanus tom. 2. Vitar. SS. Siculor. pag. 180. Ex eodem Cajetano in Animad. ad Vitam S. Nicolai Eremitæ Adernionenſis pag. 62.

LXXXIV.

CREON AGRIGENTINUS.

CReon Agrigentinus Medicinæ nomine etiam ab Empedocle commendatur. Ab eodem Medicorum factionem, qui

ſe

ſe Empiricos ab experiendi inconſultâ audaciâ vocabant, originem traxiſſe Plinius teſtatur. Ex Huberto Goltzio.

Enimverò tria fuerunt Medicæ profeſſionis apud veteres, & hodie quoque ſunt, genera: Empirice, quæ nullis rationibus, ſed ſolis experimentis conſtat. Jatraleptice, quæ unguentis, & fricationibus curat, Pharmaceutice, quæ medicamentis medetur. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 6. pag. 136. in Creone.

LXXXV.

CTESIAS SYRACUSANUS.

CTeſias, ſive Tiſias, Syracuſanus, Coracis diſcipulus, & Auctor aſtutus. Hos Aulus Gellius Protagoram, & Evalthum appellat. Ex Conſtantino Laſcare.

Tiſias Leontinus creditur, Patraſio, & Agrippâ Syracuſanis parentibus, qui ad declinandas civiles turbas Leontinum, in tranquillitatis ſtationem, ſe receperunt. Unà cum Gorgia legatione ad Athenienſes functus eſt, apud eoſdem eloquentiâ cariſſimus. Leontinum rediens Oligarchiam ordinavit, Legeſque ſatis utiles condidit. Vixit annos 104. anno circiter à mundo condito 3638. Ex Philadelpho Mugnos in Triumpho Leontino, & in Raptu Proſerpinæ pag. 9.

LXXXVI.

CYTHERIUS SIDONIUS.

CYtherius Sidonius, ſive Citharius, Poëtis Siculis annumeratur à Joanne Vigentimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

Cytherius Poëta, qui res amatorias ſcripſit, citatur ab Athenæo, quartoque Poëtarum ſeculo à Patritio collocatur.

DAPHNIS

LXXXVII.

DAPHNIS RAGUSANUS.

DAphnis Raguſanus, Nymphæ cujuſdam; & Mercurii filius, *Bucolici carminis* Auctor, in Herǫis montibus paſtoritiam artem exercuit, non adactus neceſſitate quæritandi victus, cùm locuples eſſet, ſed, ut priſcis illis ſeculis morem gereret, cùm nemora, & campi loco Urbium colerentur, in ſcelerum perfugium, pretextu conciliandæ, fovendæque humanæ ſocietatis, nondum intra mœnia coactis mortalium cœtibus.

Hujus rei ſummam Diodor. Hiſtor. lib. 4. edit. Græcolat. pag. 283. exponit. Sunt in Siciliâ Heræi montes, quos amœnitate, naturâque, & ſitu locorum peculiari ad recreationem, & voluptatem æſtivam perquàm opportunos eſſe dicunt. Multos enim fontes habent, aquarum dulcedine præſtantes, arboribus omnis generis refertos. Magnarum ibi quercuum copia eſt, quæ eximiæ magnitudinis fructum, duploque majorem, & copioſiorem, alibi terrarum naſcentibus producunt. Hortenſi quoque fructu abundant, & vites ibi ſponte proveniunt: malorumque ingens eſt ubertas, adeo ut Carthaginienſium exercitus, quondam fame laborans, inde aleretur, nec tamen ſumptu licet in tot millia profuſo, montium copia exhauriretur. In hac regione convallis quædam arborum divinum habens decorem, & dicatus Nymphis locus, extitit. Ibi Dahpnin Mercurio, Nymphâque genitum eſſe produnt, cui Laurorum illic multitudo, & denſitas nomen peperit. Is à Nymphis educatus, cùm multa boum armenta poſſideret, magnam rei paſtoritiæ curam geſſit: quâ de causâ publici quoque nomen acquiſivit. Et quia excellens in homine ingenium ad muſicam ferretur; *Bucolicum carmen, & melos*, quod etiam nunc apud Siculos in uſu, & honore eſt, invenit. Communes etiam cum Dianâ venatus obiiſſe, Deæque gratiam obſequiis promeruiſſe, & fiſtulæ cantu, & Bucolicâ melodiâ eam mirificè oblectaſſe, memoratur.

Addit ex Timæo de Rebus Siculis Parthenius juxta genuinam Leonis Allatii interpretationem. Narrant Echenaidam Nympham, cùm illius amore capta fuiſſet, imperaſſe, ne cùm mu-

muliere ſe commiſceret: idque ſi non obtemperaſſet,luminum orbitate ſciret ſe puniendum. Ille itaque ad breve tempus fortiter reſiſtebat, quamvìs pleræque ejus amore inſanirent. Poſtmodùm una è Siciliæ Reginis multo cum vino infectum, in ſui conſuetudinem illexit, cumque eâ commixtus eſt. Atque ita ex eo tempore, ut Thrax Tamyris, ob ſtultitiam,oculorum lumine viduatur.

Jam verò Heræos montes ubique locorum in Siciliâ reperies: proinde Daphnis omnis Siciliæ civis effectus. Tantus enim Scriptorum diſſenſus in illis dignoſcendis, ut, quot montes ſeſe altiùs attollant in Siciliâ, tot ſentetias parturiant. Contractâ in unum diſſertatione illos fuiſſe ſtatuo, quos in agro Raguſano propè Motycam vulgari nomenclatione, *Monti della Luija*, vocamus.Suadent id topographia Diodoro reſpondens,& Hirminii fluminis, & Hyblæ Herçæ nomen, quo antiquitùs Raguſa nuncupabatur, & aptæ Muſis facies, cæteraque ejus generis multa. Quam quidem opinionem, heſternâ nocte inter hiſtrionicas ſomniorum imagines præconceptam, ad palpandos bello mendacio Raguſanos ego primus non effundo. Illam olim tradidit in Hiſtoriâ Siracuſanâ lib. 2. pag. 259. Jacobus Bonannus, Dux Montis Albani, ſive Petrus Carrera, quem tamen levitatis reprehendit Vigintimillius de Poëtis Bucolicis Siculis pag. 29. quòd affectu potius aſſentatorio, quàm ratione duce, vetus judicium novo figmento retractaverit. Placidus Carafa, Patritius Motycenſis, in Motycâ Illuſtratâ pag. 102. illam docet. Sed germani fratres duo, Sorephus, & Balthaſar Mazara, Siclenſes, Motycenſis Comitatus, Societatis Jeſu, proſapiâ, ingenio, monſtroſâ præſertim memoriâ illuſtres,antiquitatum cognitione, indefeſſo ſtudio ex Latinis Græciſque fontibus comparatâ, venerandi, erudito ſtylo comprobarunt. Alter citatur à Vigintimillio pag. 28. alter reliquit m. s. Epiſtolam nuncupatoriam ad Juratos Motycenſes in Hiſtoriam Braſilienſem Fraciſci Oliverii Societatis Jeſu, Civis noſtri, quæ in Biblioteca Collegii Motycenſis Societatis Jeſu, excitatâ nuper Marciani Fraſcæ beneficio, auctâque a nobis librorum mitioris literaturæ non exiguâ ſuppellectile in ſimbolam amœnitatum, aſſervatur. Ibi Heræos montes, nutantes hactenus, ac veluti palabundos, quò

quiſquis pro arbitrio impelleret, in agro Raguſano tandem confirmat claris admodùm argumentis. Interea Franciſcus Paternio Raguſanus, ex Baronibus Salomonis, ſed ex Principibus Biſcari ductâ origine, Mathematicis diſciplinis inſignis, Microſcopium Hiſtoricum Raguſanum expolire pergit, quo & Daphnim, & reliquum Raguſanæ vetuſtatis demonſtrat. Tractat de Daphni Joannes Vigintimillius de Poëtis Siculis à pag. 24. ad 76.

In Progymnaſmatis Poëticis Juvenilibus univerſam facti ſeriem nos Elegiâ declaravimus, & Eclogâ ſub Daphnis perſonâ Chriſti Servatoris necem deflevimus.

Argumentum Elegiæ

Daphnis, Bucolici carminis Inventor, quem ad Heræos montes natum Mercurio, & Najade parentibus accepimus, ibique diu vixiſſe magni nominis apud paſtores; donec ex pactâ cum uxore lege commiſſo adulterio lumen oculorum, paulòque poſt vitam amiſerit, ſequenti Elegiunculæ materiam præbuit. Laudes illius patriæ Raguſæ, quæ antiquitùs Hybla Heræa, & Hybla Hera, nuncupabatur, interſevimus: nefas enim putavimus patriam obliviſci, ubi civem laudamus.

Qualis Carpathio puppis commiſſa profundo
Fluctuat, aduerſum cùm ferit unda Latus:
Qualis mobilibus libyæ novus hoſpes arenis
Errat, & inſtabili tramite neſcit iter:
Talis viſus ego dubiis incedere chordis,
Dum meditor laudes, bella Raguſa, tuas.
Namque animum ſuberat longinqui temporis acta,
Quo prior auſpicio conſtiteritque lapis;
Tùm cantare bonis æther circumdatus aſtris
Quantum ſurgentes auxerit Vrbis opes:
Credita reſtituat quanto cum fœnore campus
Semina, dum meſſis falce calente jacet.
Aſt aliò ſenſus abduxit Daphnis, amici
Vultus incertas increpuere fides.
Daphnin Mercurio quondam pulcherrima Naïs
Nupta Raguſanos edidit inter agros:

Na-

Naſcentem Heraos propè montes accola pomis
Donavit, flores, tùm rubra fraga dedit.
Saltantem circum Satyros mirata juvenca eſt
Dum calamos inflat Pan, animatque choros.
Sordida tunc Nymphæ placuerunt numina, barbas
Immoto impexas tunc puer ore tulit.
Imæ reſpondent valles, geminantur avenæ,
Atque novum diſcunt reddere ſaxa melos.
Populeo Hirminius redimitus tempora ramo,
Acceſſit, grato haud ultimus obſequio.
Gnoſſiaco veluti Corybas gaviſus in Ida
Natalem rauco perſonat ære Jovis.
Infantem edocuit genitor deducere carmen,
Æternumque decus quærere arundinibus.
Daphnis, Paſtorum numero formoſior omni,
Arte ſua cannas præſtitit Arcadicas.
Cùm gracilem urgeret ſtipulam, grex immemor herbæ,
Arrecta ò quoties ebibit aure melos!
Sunt juvenem volucres cantantem ſæpe ſecutæ,
Et fuit excuſſo dama pavore comes.
Virginei oblitam inceſſus nec Oreada Daphnis
Auditos puduit currere poſt calamos.
Sæpè Dryas coram nexas eſt auſa choræas
Ducere, & alternis pellere humum pedibus.
Nympharum ſpecie memorabilis extitit una,
Quam facilem Daphnis mutuus uſſit amor.
Connubio hic ſtabili junxit, tedaſque jugales
Admiſere pares, & colvere pares.
Adduntur diræ: ſit lumine caſſus utroque,
Siquis jura thori fallat adulterio.
Incorrupta fides thalami ſervata duobus
Et paci, optatæ lætitiæque fuit.
Ille ſed incautus peregrino indulſit amori:
Ah! cohibe Veneris fræna, juventa, tuæ.
Expertus celeres Himenæi vindicis iras,
Amiſſo flevit lumine adulterium.

 Incaſſum

Incaſſum Lacrymis conatur Flectere cælum:
Fata manent ulla non revocanda prece.
Quærite nunc vobis, olim mea cura, capellæ,
Qui dominus ſaturas gramine potet aquis.
Quærite, paſtores, dirimat certamina judex,
Qui ſtatuat præſes præmia veſtra modis.
Ex infelici pendebis, fiſtula, trunco,
Nulla mihi poſthac Ecloga dulcis erit.
Juppiter, obſcuros quid demoror amplius annos?
Quid vivo vitæ neſcius ipſe meæ?
Quando fata volunt, oculis non reddere lucem
Nec peto me parvi criminis eſſe reum.
Poſco tamen, faveat noſtris libitina querelis,
Et me de medio tollat amica manus.
Saltem hoc Mercurium proſit tenuiſſe parentem,
Primum Bucolicos inſtituiſſe choros.
Hæc ait: oppreſſus triſti penituſque dolore,
ſub Lauru extremos oppetit ille dies.
Oppetit ille dies, fugit ſimul arva voluptas,
Immatura gemit funera quiſque ſimul.
Altera tunc Niobe mater complexa cadaver
Nati, crudeles aſtra, deoſque vocat.
Non herbam quadrupes hac tempeſtate, neq; amnem
Libavit, paleis abſtinuere boves.
Fertur & Hirminius pelago exundaſſe ſonanti,
Atque emollitas illacrymaſſe ſpecus.
Qua caput umbrarat Daphnis, quam ſubter acerbum
Interitum tulerat, concidit arida frons.
Laurus fulmineis nullis obnoxia telis
Quæ viridi ſemper cortice ſola nitet;
Cum domino exanimi radicibus occidit arbos,
Et fit vulgari ſilva cremanda foco.
Vix tantùm flevere feræ, flevere receſſus
Orphea. quem thyrſis ebria Baccha tulit.
Orpheus Euridicem revocatam è Dite profundo
Poſtquàm vidiſſet rurſus ad ima rapi:
Omnis in erepta cælebs uxore maritus

Perſti-

Perſtitit, oblatos reſpuit inde thoros.
Fœmineos aliis etiam damnavit amores,
Admonuit caſtos vivere ſæpè viros.
Invidiæ hinc contra furiis agitata Mimallon,
Orphea diſcerptum flumine condit Hebri.
Threycium mœſto ploravit Muſa boatu
Vatem, poſt manes salſus & humor iit.
Poſt obitum è terris ad ſidera fama levabit
Nomen, ab exequiis gloria major erit.
Charta loquetur anus de te pulcerrime Daphni,
Vltrà ævum vivet cive Raguſa ſuo.
Ornamentum ingens doctis è Civibus Vrbes
Percipiunt, illis effugiuntque rogos.

Argumentum Eclogæ.

Daphnis occiſus: ſive Chriſti patientis Hiſtoria.
Ex libro 2. Lyricorum Jacobi Baldæi Societatis Jeſu,
Ode 4. Silvarum.

Damoetas, Tityrus.

Damoetas.

Magnus Pan hodie occubuit: tu Lentus in umbra
Tityre, ſilveſtres canna meditaris amores?
Plus nimio indulgens numeris genialibus, herbam
Graminis attondens, dum ludit munda capella.

Tityrus.

Nuncia, Damœta, quàm triſtia perfer ad aures.?
Quæ non ſæpè ſoles. De ſtirpe areſcere vites
Proniùs audirem, plantas aut igne novellas
Abſumptas, pecori ſubductaque paſcua noſtro.
Campos ornat qui pullus, juba denſa caballum,
Dux taurus vitulos, gaudet grex ariete rege:
Ornat nos Daphnis, nos gloria tollit ad aſtra
Illius, atque illo nomen protenditur ævo.
Dic genus, & ſeriem mortis, quantùm ordinis ingens
Fert dolor, aut quantùm patiuntur fœdera linguæ.
Sub patula taxo quoniam conſedimus ambo:
Triſti materiæ triſtes aptantur & umbræ.

Da-

Damoetas.

Gethſemani nemus arboribus quà cingitur atris,
Mons olea circum cui plurimus imminet; ibat
Daphnis, paſtores inter pulcherrimus omnes.
Noctu ſollicitus pigrum dum luſtrat ovile;
Nunquam tutus, oves niſi ſint à fraude maligna
Securæ, ac nullis pateant inſultibus hoſtis;
Improviſus adeſt, tedis armatus, & ira
Latronum numerus: ruptis ruit illicò ſeptis,
Iniecit niveo mox ferrea vincula collo.
Cætera quid memorem? non tàm mihi ſaxea corda
Pectus alit, non tàm inclemens dedit ubera nutrix;
Fando triſte nefas, vix ullo fonte piandum,
Non ultrò veniant fletus, qui verba loquentis
Siſtant, ac tacito laxentur fræna dolori.

Tityrus.

Heu immane ſcelus! ſed non hęc ultima clades
Ut reor: alta manent noſtrum diſcrimina Daphnim.
Fare libens: curas ſermone levabimus ambo.
Fors etiam ſanctos manes hic ſermo juvabit:
His dictis ſummo gaudebit in æthere Daphnis.

Damoetas.

Qualis jejunis aggreſſus tygribus, agnus
Intravit Daphnis prędonum nocte cohortem.
Exin nulla ſalus: manibus poſt terga revinctis,
Immiti atque globo medius, ludibria paſſus,
Per loca raptatur, pungentibus obſita dumis,
Et per Cedronis fœdatur flumina limo.
Velatur facies, foditur capitiſque verenda
Majeſtas pugnis, toto de corpore manat
Purpureus ſudor flagro non hauſtus ab uno.
Denique ferali ſublatus ſtipite, clavis
Ternis actus obit. Dubius tu forſitan hęres
Tityre? vera loquor: tantum mea lumina crimen
Viderunt: utinam tàm ſęva in morte ſodalis,
Et non ſpectator, ſocius vitęque fuiſſem
Ignavus! lateri diſceſſi cur ego Daphnis?

Occu-

Occubuit noſter crudeli funere Daphnis.

Tityrus.

Occubuit noſter crudeli funere Daphnis,
Daphnis noſter amor, Daphnis noſtrum ornamentum.

Damoetas

Occubuit noſter crudeli funere Daphnis,
Daphnis noſter amor, Daphnis noſtrum ornamentum.

Tityrus.

Ergo infelices trahimus cur amplius annos?
Cur nos paſtores non triſtia linquimus arva?
Cautior inſanos vitaſſes, Daphni, tumultus,
Nunquam Vrbis Solymę tetigiſſes limina, Daphni!
Qui modica lætus requievit paſtor in Vrbe?
Gaudia noſtra vigent ruri ſecuriùs illic
Invidia vacuus vix ulli eſt cognitus hoſti.

Damoetas.

Et cantabat adhuc trunco ſuſpenſus iniquo,
Lata ubi Golgotheę ſurgunt faſtigia rupis,
Septemque effatus verbis: Deus impare gaudet
Nam numero: penetrarunt verba hęc ultima cælum:

Tityrus.

Non defendit eum robuſtus Pollio telo!
Ipſe licèt canos geſtaret Pollio crines!
Dilectuſue Cromis, fortis florente juventa!
Continuit validaſne manus tunc calidus Idmon,
Permiſitque mori! Mutus non extitit olim
Cùm mulier ſupra Daphnin lectiſſima fudit
Vnguenti veteris phiala de munus eburna.
Theſtilin ingrato damnavit murmure amantem,
Queſtus longa ſui coram tunc damna peculi,
Fraudarique inopum menſam, donumque lacernę.

Damoetas.

Quod mirere magis fugientibus omnibus Idmon
Oſcula libavit Daphni, dixitque: magiſter.
Oſculaque ignarę monſtrarunt Daphnida turmę,
Quę ſuper ora ruit compacto cognita ſigno.
Supplicio inſidias digno luat impius Idmon.

Tity-

Tityrus.

Idmon, qui potuit formoſum prodere Daphnin
Hic valuit patrios muros, & prodere fratres,
Maternumque ſinum cęco temerare veneno.

Damoetas.

Daphni, proh Daphni! vultus cui pulchrior aſtris,
Cui mores inerant, & vultu, & fronte decora
Digni vocalem qui vinceret Orphea cantu.

Tityrus.

Idmon proh Idmon ſinuoſo nigrior antro,
Ingenium fallax, artes cui mille nocendi.
Quid colimus ſilvas? ſilvę prodeſſe colonis
Quid poſſunt? ſilvas violavit perfidus Idmon,
Infandam exercens faudem violavit, & Vrbem

Damoetas.

Occubuit noſter crudeli funere Daphnis,
Daphnis noſter amor, Daphnis noſtrum ornamentum.

Tityrus.

Occubuit noſter crudeli funere Daphnis,
Daphnis noſter amor, Daphnis noſtrum ornamentum.

Damoetas.

Illius interitum viſa eſt natura boatu
Inſolito gemuiſſe, ſuis'è ſedibus omnis
Excita, complevit trepida formidine terras.

Tityrus.

Hoc eſt verè novo, quod parvis abdita tectis,
Collectura thymi prędulcem examina ſuccum
Exierint nunquam: diſtendere nectare cellas
Nulla miniſteriis ales intenta volebat.
Intus murmur erat, domino ceu ſolvere vellet
Juſta ſuo, rapuit terris quem funus acerbum.
Muta ſilebat avis, cantus oblita prioris.
Nec ſuavem reſonis è frondibus edit Achantis
Concentum, mulcetue nemus modulamine Aedon.
Tùm prope Jordanis viridiſſima littora Cycnus
Dicitur antiquas jam dediciſſe canendi
Leges, per ſaltus jactaſſe incondita verba.

Nec

Nec ſalices carpſere capræ, vel flumina labris.
Haud Carapræos hiberno tempore flores
Protulit, & gremio fovit pulcerrima tellus.
Pro molli viola, puniceis hyacinthis,
Carduus, & ſpinis venit palicerus acutus.
Creverunt inter corealia munera avenæ.
Ruſticus incaſſum campos ſubvertit aratro,
Suſtinuere boves incaſſum pondus aratri.
Ad caput ingentes fluvii rediiſſe feruntur.

Damoetas.

Hoc eſt, quòd ſilices atris gemuere cavernis,
Et concuſſa gravi nutavit pondere terra:
Ipſi adeo colles nimio timuere fragore.
Mugiit horrendùm pelagus, phocaſque natantes
Vidimus inſuetas turbata per æquora voces
Fundere, arenoſos fluctus ad ſidera tolli;
Cęlum lugubri ſeſe velavit amictu:
Obduxit ſpiſſa Phœbus caligine frontem,
Amiſitque ſuam Latonæ filia lucem,
Et decus aſtrorum cecidit poſt funera Daphnis.

Tityrus.

Quid tot, tanta videns Idmon ſpectacula geſſit?
Quidve frequens populus fecit tunc fortè Sionis?
Aut quid ait, dirę qui interfuit advena cædi?

Damoetas.

Noluit afflictis Idmon confidere rebus
Noluit infectus cura ſperare ſalutem.
Infamem traxit furcam ſibi, fune ligavit
Dein collum, atque animam miſerandam ad tartara miſit.
Ploravere nefas alii, genibuſque minores,
Nudaque tundentes ambabus pectora palmis
Placare iratum ſtuduerunt Numen, obortis
Ac lacrymis facinus penitus delere nefandum.
Agnovere Deum Daphnim, qui cinctus amictu
Mortali, in cœlum mortales ferre ſtudebat.
Hinc dederant functo divinos thuris honores.

Tityrus.

Occubuit noſter crudeli funere Daphnis,
Daphnis noſter amor, Daphnis noſtrum ornamentum.

Damoetas.

Occubuit noſter crudeli funere Daphnis,
Daphnis noſter amor, Daphnis noſtrum ornamentum.

Damoetas Tityrus.

Ergo flere licet, nec ceſſent lumina fletu:
Lumina mors claudat, ſecum ferat ipſa dolorem.
Pignus amoris erunt tanti hæc monumenta doloris.

LXXXVIII.

DEMETRIS.

DEmetris, ſive Ceres, Catanenſis, prima Siculos frumenti cultum teſte Diodoro, ac *leges tulit*. Ejus filia Proſerpina eximiæ pulcritudinis juxta Ennam Urbem ab Orco, Moloſſorum Rege, rapta eſt. Ex Conſtantino Laſcare.

Cererem ortam apud Leontinos, eoſque primùm frumentariam ſationem, & Chami parentis arcanorum conſciam leges rectè vivendi, docuiſſe, poſtmodùm ad Siculos agrorum cultum, & morum inſtituta propagata, veterum quorundam teſtimonio confiſus, tradit Philadelphus Mugnos in Raptu Proſerpinæ.

Enna Cereris ortu, & Proſerpinæ raptu apud Scriptores, & Poëtas præſertim celebris eſt, inquit Fazellus de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 10. pag. 223.

Cæterum de Cerere, ac de Proſerpinâ, ejus filiâ, fabuloſa multa jactantur, quæ noſtræ non intereſt ad ſenſum ſive hiſtoricum, ſive ethicum, ſive phyſicum, ſecundùm Mythologos interpretari. Quæ in Hiſtoriæ ſinum reponenda ſunt, redigam in ſummam ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 1. à pag. 241. ad pag. 244.

Chamus, tertius Jani filius, poſt aquarum eluvionem pulſis Leſtrigonibus Siciliam occupavit. Ex Rheâ ſorore, quæ ab Hammone, libyæ Rege, divortium fecerat, Oſirim, & Cererem

rem genuit. Adeptus Bactrianorum imperium, Zoroaſtri cognomentum, poſt atrox prælium victus mediâ ſui militis ſtrage ingenti animo dimicans occubuit, & Ninias, qui Nino patri ſucceſſerat in Aſſyriorum Regnum, auxilio Semiramidis Bactrianis potitus eſt. Ceres, quæ primo Semiramidis anno in Ægypto relicta fuerat, Oſiridi fratri proceræ, giganteæque ſtaturæ nupta, divinum honorem in Siciliâ ſibi conciliavit. Hordeum nanque, & frumentum in agris ſpontè enata terræ ad corporis alimoniam perpetuò condere, *legeſque ad animi culturam Siculos*, qui pomis Silveſtribus tunc temporis veſcebantur, nulliſque legibus tenebantur, *prima docuit*. Ceres Iſis Ægyptiis, & Io dein Græcis appellata eſt. Nam Iſis Ægyptio idiomate, teſte lib. 2. Herodoto, Græcis dicitur Ceres. Cujus inſigne epitaphium in columnâ Ægyptiacâ inciſum non parùm poſteritati ad fidem faciendam prodeſt.

Ego ſum Iſis Ægypti Regina à Mercurio erudita,
Quę ego legibus ſtatuo, nullus ſolvet. Ego ſum Oſiridis.
Ego ſum frugum prima inventrix: Ego ſum Ori Regis mater.
Vixique annos unum ſupra ſexcentos.

Itaque Ceres ſerendarum frugum rationem non in Siciliâ continuit, ſed poſt Oſiridis mariti exequias non inutili peregrinatione totum ferè terrarum orbem peragrans, per Ægyptum, Græciamque, atque alias paſſim regiones diffudit. Erat Cereri Proſerpina pulcritudine inſignis filia, quam Orves, Aydoneum alii vocant, Epiri Moloſſorum Rex, cùm amore deperiret, ex Siciliâ rapuit, eamque ſibi matrimonio junxit. Ceres connubii ignara diu filiam anxiè perquiſitam reperit. At verò Siculi tantis beneficiis incenſi, Cereri Proſerpinæque ſacra, ceremoniaſque diverſis, ſtatiſquè anni temporibus inſtituerunt: extructa etiam ſunt Cereri templa extra Catanam, Segeſtam, Ennam, & alias nonnullas vetuſtiores Siciliæ Civitates, quorum adhuc veſtigia cernuntur. Paucis poſt Cererem annis Ariſtæus, Athenis, ortus, pecoris, & mellis, oleique inventor, Græciæ cum eſſet infenſus, Siciliam venit: quàm cum fructibus, armentiſque refertam vidiſſet, incolas eorum uſum edocuit. Ut hinc Siciliam humanæ vitæ aut magiſtram, aut ſcholam fuiſſe deprehendas.

LXXXIX.

DEMETRIUS CALACTIANUS.

DEmetrius Calactianus, qui aliis Democritus dicitur Hiſtoricus præſtantiſſimus, *XX. libros de Aſia, & Europa* conſcripſit. Ex Conſtantino Laſcare.

Demetrius Phalareus Orator, & Democritus Abderites Philoſophus, cunctos, qui Demetrii, & Democriti nominati ſunt literarum famâ præſtiterunt. De Demetrio Plutarchus, Cicero, Joſephus, Suidas, Volaterranus. De Democrito Laërtius, Plinius.

XC.

DEMETRIUS SYRACUSANUS.

DEmetrius Syracuſanus, facundiâ, & magnitudine vocis clarus, *funebri Oratione* Timoleontem laudavit, & populi Syracuſani decretum etiam promulgavit: ut ſingulis annis perpetuò Timoleontis memoria muſico, equeſtri, gymnico certamine celebraretur: quòd barbaros in Siciliâ Cartaginienſes debellaſſet, quòd maximas Sicilia Urbes populi frequentiâ repleviſſet, atque reſtauraſſet: quòdque demum libertatem extinctis Tyrannis reſtituiſſet. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 3. pag. 333.

XCI.

DEMOLCHIS SYRACUSANUS.

DEmolchis Syracuſanus, Comicus, Epicharmi Medici filius, docuit *fabulas XIV. lingua Dorica*. Suidas.

Vixit Olimpiade LXXIII. ex Joanne Raviſio Textore in officina Hiſtor. de Poëtis Græcis, & Latinis.

DEMO-

XCII.

DEMOTELUS AGRIGENTINUS.

DEmotelus Agrigentinus Philoſophus, cùm Agrigentum, aliaſque Siciliæ Civitates ſæviſſimo dominatu Phalaris affligeret; eum ad deponendum imperium hortatus eſt. Sed Phalaris ingenio non minùs feroci, quàm arguto, Demotelo reſpondiſſe fertur, tyrannidem humanæ vitæ comparari. Sicut enim homo ſi priuſquàm naſceretur, quæ mala eſſet in vitâ perpeſſurus, præſcire poſſet, naſci nunquàm vellet: poſtquàm verò jam natus, vitamque ipſam, licèt ærumnis circumdatam, expertus eſt, invitus ab eâ diſcedit: Sic Tyrannus, ſi ejus ſtatus calamitates prænoſceret, privatam proculdubiò vitam anteferret: ſed tyrannidem aggreſſus, fruſtrà ad eam deponendam ſollicitatur. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis lib. 6. pag. 132.

XCIII.

DENESIPPUS ERYCINUS.

DEneſippus Erycinus, Timæophontis Leontini auditor. Ex Philadelpho Mugnos in Novo Laërtio pag. 103.

XCIV.

DICÆARCHUS MESSANENSIS.

DIcæarchus Meſſanenſis, Philoſophus Peripateticus, Orator, ac Geometra, Ariſtotelis auditor, qui *leges, & ſtatuta Civibus* dedit. *Plurima in Philoſophia* ſcripſit: item *Pelopponneſi deſcriptionem, moreſque Græciæ tribus libris* complexus eſt: *politiam quoque lacedæmoniorum*, quam ſtatuto quodam ſingulis annis legebant, audiebant. Ex Conſtantino Laſcare.

Duos fuiſſe Dicæarchos Siculos affirmat Claudius Franciſcus de Chales Societ. Jeſu in Curſu Mathematico. Dicæarchus

chus Siculus, inquit, Ariſtotelis auditor, primus montium altitudinem perpendiculariter dimenſus eſt. Invenit Pelion altum eſſe paſſus 1250. quæ omnia non extant. Dicæarchus Meſſenius Geographica ſcripſit.

Addenda quædam de Dicæarcho noſtro minimè injucunda. Dicæarchum,& Ariſtoxenum,ęqualem,& cõdiſcipulum ſuum, doctos ſanè homines appellat Cicero lib. 1. quæſt. Tuſcul. Dicæarchum virum inprimis eruditum, Regum curâ permenſum montes,ex quibus altiſſimum Pelion prodidiſſe tradit Plinius lib. II. cap. 65. Dicæarchus Phidiæ filius ſcripſit *dimenſiones montium Peloponneſi : Gręc.ę vitam libris III. Rempublicam Spartiatarum*, qui liber, ut quotannis in Ephorum prætorio puberibus auſcultantibus recitaretur, lege ſancitum fuit apud Lacedæmonios, & longo tempore obſervatum. Suidas. Tres illos libros Græciæ vitam inſcripſit, quòd in ipſis agat de ſingulorum Græciæ populorum, & Civitatum moribus, vitæque inſtitutis. Hanc deſcriptionem citat etiam Beatus Hieronymus lib. 11. adverſus Jovinianum: cujus fragmentum hodie habemus: unde cognoſcimus dicatum fuiſſe Theophraſto, qui abſque dubio magnus magni Philoſophi Ariſtotelis diſcipulus fuit. Joannes Gerardus Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib. 1. cap. 9. Scripſit etiam *de Alcęo*. Athenæus lib. 11. *Tripoliticum*. Athenæus lib. 4. quòd in eo trium Civitatum mores, & inſtituta narret. Delecampius in notis ad Athenæum. *De Deſcenſu in ſpecum Trophonii*. Athenæus lib 13. & 14. quorum operum mentionem facit Cicero ad Atticum epiſtol. 31. lib. 13. Dicæarchi, quos ſcribis, libros, ſanè velim mihi remittas: addas etiam *latabaſeos*, ideſt deſcenſus. Item *de ſacrificio,quod ad Ilium peractum* eſt. Athenæus lib. 13. *De Olimpicis ludis*. Athen. lib. 14. *De Alcmane*. Athen. lib. 11. & lib. 15. Scripſit etiam *tres libros, qui lesbiaci vocantur, quòd Mitylenis ſerma habeatur, in quibus vult efficere animos eſſe mortales*. Cicero lib. 1. Tuſculan. Ibidem *tres alios libros Dicæarchi ad modum dialogi compcſitos, Corinthiacos dictos*, refert. Idem Epiſtol. 32. lib. 13. ad Atticum. Tractatus duos de Animâ, & epiſtolam ad Ariſtoxenum miſſam citat. Idem de Divinat. lib. 11. *magnus*, inquit, *Dicęarchi liber eſt neſcire ea, quę eventura ſunt, melius eſſe, quàm ſcire. De D.vinationibus, & de ſomniis*. Plutarchus de Placitis

citis Philoſoph. lib.5.cap.1. *De hominis interiore, opus Luculentum, & eruditum*. Cicero, vel ſiquis alius eſt Auctor de Conſolatione. Nec alterius eſt *liber de Muſica*, cujus meminere Plutarchus, Fabius, Ariſtophanes ſcholiaſtes ad nubes. Joannes Gerardus Voſſius cit. loc. cit. Polybius Europæ regiones deſcribens, priſcos illos omittere ſe dicit, eorum autem reprehenſores inquirere, Dicæarchum ſcilicet, & Eratoſtenem. Strabo lib. 11. Plinius autem fatetur librum 2. 4. 5. & 6. ſuæ hiſtoriæ, qui omnes Geographici ſunt, è Dicæarchi ſcriptis excerpſiſſe. Braudius in Bibliothecâ Claſſicâ notat: *Geographica* Marciani Heracleotæ, Scylacis Cariandenſis, Artemidori Epheſii, Dicæarchi Meſſenii, Iſidori Characeni. *Politicis prçeptis* etiam abundavit: qua propter Cicero de legibus lib. 3. Ab hac familiâ magis iſta manarunt, Platone Principe: pòſt Ariſtoteles illuſtravit omnem hunc civilem in diſputando locum, Heraclideſque Ponticus, profectus ab eodem Platone, Theophraſtus verò inſtitutus ab Ariſtotele abundavit, ut ſcitis, in eo genere rerum: ab eoque Ariſtotele doctus Dicæarchus huic rationi, ſtudioque non defuit. *Pellenæum opus*, quod de populis Pellenæis tractat, in manibus tenebat Cicero, ut ipſe ſcribit lib. 11. epiſt. 11. ad Atticum, ubi magnum hominem vocat. & lib. 1. quçſt. Tuſculan. delicias ſuas Dicæarchum dicit. Floruit autem Dicæarchus noſter Olympiade circiter 115. Ex Placido Reina tom. 1. Hiſtor. Meſſan. à pag. 196. ad pag. 204.

X C V.

DINOLOCHUS SYRACUSANUS.

Dinolochus Syracuſanus, Poëta Comicus. Epicharmi diſcipulus, *quatuordecim Comœdias Doricè* ſcripſit. Ex Conſtantino Laſcare.

Suidas in dubium revocat patriam, prçceptoremque Dinolochi. Dinolochus Syracuſanus, aut Agrigentinus, Comicus, vixit Olympiade 73. filius Epicharmi, aut, ut quidam tradunt, diſcipulus. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

DIO-

XXVI.

DIOCLES PANORMITANUS,

Diocles Panormitanus, cognomento Phimes, illuſtris, & ſummus Orator. Ex Matthæo Silvagio in Colloquio Trium Peregrin. de Urbe Panormo pag. 172.

Diocles Phimes Panormitanus, Philoſophus, & Medicus. Ex Joanne Jacobo Adria de Valle Mazariæ apud Joannem Vigintimillium de Siculis Poëtis Bucolicis pag. 437.

Dioclem Panormitanum inter Legislatores quidam referunt.

XCVII.

DIODORUS AGYRENSIS.

Diodorus Agyrenſis, Hiſtoricus præſtantiſſimus, qui ſub Tiberio Cæſare militavit. *Hiſtoriam* compoſuit *libris XL.* quam *Bibliothecam* vocavit, *de Antiquitate Ægyptiorum, de Sicilia, & aliis Inſulis, de Bello Trojano, de geſtis Alexandri, & Romanorum uſque ad ſuam ætatem*: quorum ſex à Poggio Florentino traducti circumferuntur. Ego autem omnes ejus libros vidi in Bibliothecâ Imperatoris Conſtantinopolitani: reliqui vix inveniuntur. Ex Conſtantino Laſcare.

Floruit ſub Auguſto Cæſare, & paulò etiam ante, prout Suidas aſſerit, & ipſe de ſe libro ſexto teſtatur. Julius Cæſar, inquiens, diebus noſtris Rhenum pontibus miro modo junxit. Latinæ, Græcæque linguæ peritiâ præſtitit: Græcæ quippe, quæ Siculis eâ ætate genuina erat, Latinæ, quam à Romanis, qui Agyram concurrebant, ſuâ ſollicitudine addidicit. Perlectis poſteà veteribus, ut ipſe refert, annalibus, brevi rerum omnium Romanarum exactiſſimam cognitionem aſſecutus eſt. At parùm eâ contentus, mirâ quadam ingenii, animique magnitudine ad omnium quoque aliarum gentium Hiſtorias cognoſcendas aſpiravit: eo conſilio, ut nactus poſteà otium, eas in unum opus eâ induſtriâ digereret, ut unius quodammodo Civitatis

vitatis

vitatis cujuſdam res eſſe geſtæ viderentur. Quas ut aliquando majori fide tractaret, majorem Aſiæ, Europæ, atque Africæ partem multis difficultatibus, atque pericu'is peragravit. Navigavit in Ægyptum centeſimâ octuageſimâ Olimpiade, regnante ibi Ptolomæo, quem novum Dionyſium appellabant. Erant namque eâ tempeſtate in Ægypto complures viri ingenio excellenti, qui ob id, quòd ſapientiæ ſtudio publicâ impenſâ vacabant, atque ab hominum frequentiâ ſejuncti rerum tantummodo naturalium, & divinarum indagationi incumbebant, Sacerdotes nuncupabantur. Horum ſapientiâ pellecti plerique ex Greciâ Ægyptum ad corradendam ſibi rerum abditarum ſcientiam concurrebant. Ex his vetuſtiores fuerunt Orpheus, Muſæus, Homerus, poſteà Pytagoras, Solon, Dædalus, Melampodes, Lycurgus, Eudoxus, Plato, Democritus, Mopides, & omnium poſtremus Diodorus Siculus noſter. Ab his itaque Ægyptiis Sacerdotibus multa de primâ rerum origine, & primis temporibus conſecutus eſt. Sibi deinde conſtituto eo ſcribendi genere, quod præ cæteris probatum iri judicavit, otioſis narrationibus, & ſupervacuis deſcriptionibus, ac fictis, meditatiſque orationibus prorſus poſthabitis, ſolam rei geſtæ veritatem attendens, multo labore, ac longo tempore, triginta enim annos in ſcribendo conſumpſit, omnium fermè gentium, ac populorum hiſtoriam quadraginta voluminibus abſolvit, quam Bibliothecam nuncupavit, quâque nimirum ab humani generis exordio ad ſuam uſque ætatem facta omnia ordine continentur. Primi nanque ſex libri antiquorum geſta, quæ fabuloſa appellat, ante bellum Trojanum complectuntur, & eorum quidem prioribus tribus Barbarorum, reliquis verò antiquæ Græcorum res enarrantur. In quatuordecim deinde ſequentibus conferuntur ea, quæ à bello Trojano uſque ad Philippi, & Alexandri, ac ſucceſſorum Macedoniæ Regum, principatum geſta ſunt. Sed, & 19. & 20. libris Agathoclis, Siciliæ Tyranni, mutuaque bella Cartaginienſium latiſſimè enucleantur. Reliquis autem viginti continentur, quæ deinceps obtigerunt uſque ad bellum Gallicum, quod Romani Duce Julio Ceſare geſſerunt. Hujus vaſtæ Hiſtoriæ ſex libri primi, undecimus, duodecimus, decimus tertius, decimus quartus, decimus ſex-

tus, decimus ſeptimus, decimus octavus, decimus nonus, & vigeſimus, ad Fazelli manus dumtaxat pervenerunt, cùm Hiſtoriam Siculam moliretur. Reliqui deſiderantur. Diodorus itaque abſoluto tàm immenſo Hiſtoriæ opere annum ætatis agens ſeptuageſimum ſecundum, Syracuſis, ſive, ut alii tradunt, Romæ Olimpiadis centeſimæ ſeptuageſimæ quintæ anno tertio moritur. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis lib. 10. Decad. 1. pag. 218.

Lilius Gregorius Gyraldus inter Poëtas Comicos reponit, ejuſque Comœdias citat. Poſt hoc erat Græcus Diodorus Siculus, quem plerique eum exiſtimant, qui Græcè Hiſtorias ſcripſit temporibus Auguſti Cæſaris, quas Bibliothecen inſcripſit, &, ut Plinius ait, apud Græcos nugari deſiit. In quo Hiſtoriarum opere abſolvendo annos triginta terrarum orbem peragrans conſumpſit. Euſebius tamen eum Julii Cæſaris temporibus floruiſſe ſcribit, centeſimâ videlicet, & octogeſimâ Olympiade. Sed nullus de Diodoro meliùs, quàm ipſemet in Hiſtoriis, & ab eo deinde Juſtinus, & Euſebius. Scripſit verò teſte Suidâ, & Athenæo *Comoedias multas*, inter quas *Auletris*, *Panegyriſte*, *& Epiclarus reponuntur*. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

Bibliothecæ Hiſtoricæ libri, qui extant, omnes, unà cum Eclogis, ſeu fragmentis eorum, qui non extant, Græcè cum latinâ interpretatione Laurentii Rhodomani prodierunt Francofurti apud Aubrios, & Clementem Schleig in fol. & Hanoviæ typis Wechelianis 1604. Cœteras ejuſdem nobiliſſimi Scriptoris editiones recenſet Philippus Labbè Societatis Jeſu.

XCVIII.

DIOMUS.

DIomus Siculus Paſtor, & Poëta, *Bucoliaſmum* invenit. Eſt autem Bucoliaſmus, cantus cujuſdam ſpecies, & ſaltationis. Eo carminis genere paſtores gregem, aut in paſtum, aut in ſtabula redeuntem, proſequebantur. In eo pecora alloquebantur, canibus animos addebant, à luporum inſidiis uti caverent.

Gregis

Gregis principem arietem monebant, pollicebantur paſcua ſequentis diei lætiora: eaque omnia condiebant vel jocis, vel hilaritatibus. Admiſcebant interdum amorum narrationes, vel ſuorum, vel ſociorum, vel rivalium. Addebantur pedum motus, & totius corporis geſticulationes, rebus aptæ. Succeſſu temporis Muſicæ artis peritiſſimi Bucoliaſmum didicerunt, & ad tibiam canebant. Diomi Poëtæ Siculi meminit Epicharmus in fabulâ Halcyone, & in Ulyſſe Naufrago. Ex Scaligero Poet. lib. 1. cap. 4. pag. 20. & aliis apud Joannem Vigintimillium de Poëtis Siculis Bucolicis cap. 10. pag. 80.

XCIX.

DION, TYRANNUS SYRACUSARUM.

Dion Tyrannus Syracuſanus, Platonis diſcipulus, frater Ariſtomachæ, uxoris Primi Dionyſii. Hic expulit Secundum Dionyſium, à quo poſtea fuit expulſus. Ex Conſtantino Laſcare.

Integram de Dione Syracuſano Hiſtoriam Thomas Fazellus de Rebus Siculis Decade 2. lib. 4. cap. 1. & 2. refert: pauca ex eâ libamus ad literarum commendationem.

Dion Syracuſanus, Ariſtomachæ, Dionyſii I. uxoris, frater, Aretam neptem, ex eâ genitam, prius Taraciæ, Dionyſii I. fratri, deſponſam, eo mortuo ſibi nupſit, neptem alteram Sophroſinam Dionyſius II. accepit. Ergo non uno cognationis vinculo Dionyſiis illigatus, plurimâ apud eos gratiâ valuit, à quâ tandem excidit. Cùm Plato Syracuſas adveniſſet tempore Dionyſii I. Dion illi ſe adiunxit, hominis doctrinam admiratus, ſub quo brevi tantùm in Philoſophiæ documentis, ac cæteris liberalibus diſciplinis profecit; ut cunctos Platonis diſcipulos longè antecelluerit: adeo ut præceptor ipſe diſcipulum maximè admiraretur. Dion, ubi Platonem, ejuſque Philoſophiam deguſtavit, deſiderans, ut idem Dionyſio obtingeret, effecit, ut differentem eùm audiret, & cum eo per otium familiariter verſaretur. Inter quos de ſummâ virtute, preſertim de fortitudine diſputatum eſt: inter cætera optimis rationibus

M 2 oſtendit

oſtendit mortales omnes præſtantiores eſſe, quàm Tyrannos, juſtorum vitam feliciorem, calamitoſiſſimam verò Tyrannorum. Offenſum Dionyſium reſpondiſſe ferunt: verba tua otioſorum ſenum ſunt, & tua, inquit Plato Tyrannidem ſapiunt. Quâ audaciâ indignatus eum perdidiſſet, niſi Dion, & Ariſtomache precibus obſtitiſſent. Sed Polidi Lacedæmoni, qui per id temporis Legatus ad ſe venerat, vitâ donatum, ut in Ægynâ eum venundaret, tradidit. Idem Dion Dionyſium II. qui patri ſucceſſerat, ad Philoſophiæ ſtudium, atque ad frugem, rejectá morum intèmporantiâ, cui aſſueverat, hortatus eſt, &, ut Platonem advocaret, perſuaſit. Per frequentes literas ab ipſo Dionyſio, à Dione, tùm à Pythagoricis, qui Italiam habitabant, incitatus Plato, Syracuſas applicuit. Cui Dionyſium triremem ornatu regio inſtructam adventanti miſit obuiam: egreſſo ex triremi regius etiam currus cum quadrigis albis affuit, qui ad Regiam magnâ pompâ ipſum deveheret. Dionyſius tanquam aliquod numen cælo demiſſum Platonem excepit: tantoſque proventus ejus inſtitutis ſtatim fecit, ut ultrò Tyrannidem abiicere cogitaret. Sed quartò poſt adventum Platonis menſe Dionem calumniis oppreſſum in exilium egit, Plato è Siciliâ diſceſſit, cùm intra annum, nullo genere officiorum prætermiſſo, Dionis reditum non impetraſſet. Athænas reverſus Plato, Dionem ſapientiæ ſtudiis aſſiduum in Academiâ continebat. Tertiùm in Siciliam Plato advenit, ut Dionem Dionyſio reconciliaret. Sed fruſtra id conatus, parum abfuit, quin à conductitiis militibus, inter quos à Regiâ excluſus morari coepit, interficeretur. Dion, ubi omnia reſciit, Deum teſtatus ſe poenas à Dionyſio exacturum, tùm ob Platonem illuſum, tùm ob injuſtam ſuam expulſionem, juravit; quod quidem Plato non improbavit. Itaque collectâ manu, inſtructoque exercitu in Siciliam traiicit, demum Syracuſis Dionyſium expellit. Sed ipſe quinquageſimo quinto ætatis anno, quarto poſt Syracuſas in libertatem reſtitutas, in cubiculo, nil tale metuens, à coniuratis interficitur. Quo ſublato Dionyſius iterum Siracuſas invadit. Conſule Plutarchum tom. 2. Vitar. Parall. in Dione. Platonem in Epiſtolis, inter quas extant, & Dionis *Epiſtolæ*.

DIONY-

C.

DIONYSIUS I. TYRANNUS SYRACUSANORUM.

Dionyſius I. Syracuſanus, Hieronis nepos, vir doctus, ac Tyrannus crudeliſſimus, ſcripſit *Comœdias*, *Tragœdias*, *ac Hiſtoriam*. De hoc legitur, quòd quædam vetula Himerenſis in ſomnis vidit ſe cęlos conſcendiſſe, & ſub ſede Jovis virum in incendio ferreâ catenâ cinctum: cumque, quis eſſet, interrogaſſet, audiviſſe Siciliæ homicidam eſſe. Poſt aliquot annos cùm videret Dionyſii crudelitatem, ſomnium expoſuit: quo Tyrannus audito anum ipſam interemit. Ex Conſtantino Laſcare.

Cùm Cytharedus apud ipſum non inconcinnè lyram pulſaret, hortatus eſt, ut induſtriam acueret, foreque pollicebatur, ut quò melius caneret, eò majus præmium reciperet. Hoc autem poſtridie promiſſa repoſcente; voluptatem, inquit, reddidi pro voluptate: neque enim ego minùs te delectavi ſpe, quàm tu me cantu oblectaveris. Ex Ariſtotele lib. 9. Ethic. apud Balthaſarem Bonifacium in Hiſtor. Ludic. lib. 1. c. 25. pag. 18. Hieronym. Bruſon. lib. 4. c. 17.

Finito adverſùs Carthaginenſes bello in profundo pacis otio ad poëmata ſcribenda curam omnem adiecit. Accerſitis Poëticæ facultatis conſultiſſimis, eos, quos ſplendidè in aulâ tractabat, & magiſtros, & correctores eſſe juſſit. Collaudatus ab his, magis gloriabatur, quàm quòd illuſtre quiddam per militarem induſtriam geſſiſſet. Ad Olympiorum celebritatem augendam, & maximam ſibi parandam, uti ſperabat, famam, quadrigas celeritate præſtantes, & pro panegyricis ludis ſcenas, auro, artificioque pretioſas miſit, Hiſtriones etiam excellentiſſimos, qui ſua poëmata canerent: Theriadi germano fratri rei ſummâ commiſsâ. Sed principiò ad ſuaviſſimam Hiſtrionum vocem ingenti multitudine confluente, poſtquàm Poëmatum vitia paterent; Dionyſius Auctor contemni cœpit, adeo ut ejus ſcenas lacerare quidam auderent. Quadrigæ quoquè Olympico certamine confecto partim à curſu exciderunt, partim à ſe invicem

vicem divulſæ diſiicerentur. Navis, quâ redeuntes in Siciliam ſpectatores vehebantur, parùm abfuit, quin procul ab Italiâ vi ventorum depulſa Tarentum compelleretur. Allato tantæ calamitatis nuncio Dionyſius in magnam triſtitiam incidit, quæ aucta in dies furor videbatur, adeo ut ſuſpectus quiſque Tyranno eſſet. Sed confirmatus aſſentatorum oratione abjectos animos ad Poëmata ſcribenda reſumit. Cùm autem Comœdias, & Tragœdias ſuas contemni adhuc, & in vulgi fabulam ceſſiſſe cognoſceret; nulli ſumptui parcebat, ut Æſchyli pugillares, quibus ille ſua carmina deſcribere fuerat ſolitus aſſequeretur. Quibus potitus jam ſe doctrinam omnem Æſchyli, ejuſque ſcribendi rationem obtinere exiſtimabat. Cæterum ob lætitiam de Tragœdiæ victoriâ periiſe ferunt, cùm oraculo futurum accepiſſet, pereundum ſibi, poſtquàm meliores viciſſet. Raro Tyrannorum fato, ut gaudio interiret. Ex Diodoro lib. 14. & 15. Gyraldo Dial. 7.

Anno mundi circiter 3648. Dionyſius occupavit Tyrannidem Syracuſis: occultis primùm artibus, impetratis cuſtodibus corporis propter fictitium ab æmulis periculum, deinde vi apertâ. Quam Tyrannidem rarâ in iis vitæ inſtitutis felicitate per annos 38. obtinuit, quamvis felicem Damoclis cœna vel unica negat. Tandem longâ poſſeſſione imperii miſer veriùs, quàm felix, inter inſidias domeſticas, & aſſidua Carthaginienſium bella periit animi tamen ſtrenuus, & indefeſſus: cujus ſucceſſit Regno potius, quàm fortitudini Dionyſius filius, otium ratus imperium, quo nihil eſt in mundo negotioſius. Ex Joanne Baptiſta de Buſſieres Societatis Jeſu in Floſculis Hiſtor. ad an. mundi 3648. & 3689.

Plura de Dionyſii ſenioris geſtis dat Tomas Fazellus de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 3. cap. 1. de ſcriptis ejus Laurentius Craſſus de Poëtis Græcis.

C I.

DIONYSIUS II. TYRANNUS SYRACUSARUM.

Dionyſius II. Primi filius, Philoſophus, ac Orator, Platonis diſcipulus, *Epiſtolas* compoſuit, *& commentum in Poemata Epicarmi Com ci*. Ex Conſtantino Laſcare.

Dio-

Dionyſius Secundus Primi filius, natu maximus inter fratres, patri militum favore ſucceſſit. Initio Tyrannidis populum ſibi liberalitate concilians, tria millia captivorum è vinculis exire permittit: tributa item populo per triennium remittit. Sed ſublatis fratribus, ac propinquis, quos metuebat, paulatim in cæteros graſſator. Igitur ob crudelitatem inviſus Syracuſanis, bello expugnari cœptus, in arcem ſe recepit. Legatos etiam Syracuſanos de pace contra jus gentium retinuit. Tandem vi pulſus ex arce, profugus in Italiam, clam Locros conceſſit, qui ſub ejus erant poteſtate. A Locrenſibus verò ignaris, quòd exul eſſet, exceptus, ſolitam quoque in eos exercuit ſævitiem, ſex annis, rapinis, ſtupriſque omnia explendo. Deinde Locrenſium conſpiratione Civitate ejectus, in Siciliam rediit: ubi Syracuſas ſecuris omnibus poſt longum pacis intervallum per proditionem recepit. Cùmque gravior eſſet, iteratâ conſpiratione Duce Dione Syracuſano, cùm Corinthiorum auxilio obſideretur, depoſito imperio arcem Syracuſanis tradidit, atque in exilium Corinthum profectus eſt, ibique Ludimagiſtrum agens, pueros in triviis docebat. Erat enim eruditus, utpote Platonis auditor olim. Interrogatus jam exul, quid ei Philoſophia profuiſſet? reſpondit, ut æquo animo ferrem talem fortunæ mutabilitatem. Poſtremò miſeriâ extremâ ductus obſcurè adeò interiit, ut incertum ſit, an apud Corinthios naturalem, an verò in Siciliam reverſus coactam mortem objerit. Plutarchus Regiam Dionyſii pulverulentam fuiſſe ait, propter eorum multitudinem, qui Geometricas in pulvere figuras deſcribebant. Ex Carolo Stephano in Diction. Hiſtor. Poët. Geog. Thoma Fazello, qui plura de geſtis Dionyſii II. tradit Decad. 2. lib. 3. cap. 1. 2. & 3. Plura de ejus ſcriptis Laurentius Craſſus de Poëtis Græcis.

Ad annum mundi 3694. ſcribit Joannes de Buſſieres in Floſculis Hiſtoriarum: dum Philippus Macedo ſtabiliendo Regno laborat, contrariis artibus Dionyſius Junior ſuum evertit, ſocordiâ ſcilicet, & timiditate. Mirum à Dione propinquo, & exule, ſed forti, & oſore Tyrannidis, pulſum eſſe Regno, quod munitum quingentis navibus, militum millibus plus centum, idque die tertio ab appulſu. Adeo nullum dominium, niſi benevo-

nevolentiâ, tutum. Nec ipſe Dio licèt magni animi, dignuſque Imperio, quod comparaverat, diu ſtetit à caſu integer. Nam, & plebis levitate, quæ bonas artes plerumque odit, & Calippi amici proditione, defenſionis ſpecie cæſus eſt. Pòſt Dionyſius à receptis Syracuſis iterum dejectus virtute Timoleontis, ingens fortunæ ludibrium, Corinthi egit ludimagiſtrum, throno in cathedram, ſceptro in ferulam commutato. Inter mortales vel fortiſſimus, ſi jacturam ſenſit, vel ignaviſſimus, ſi non ſenſit.

Plura de Dionyſiis Tyrannis Syracuſanorum tradit Plutarchus in Ethicis, & in Vitis Parallelis, præſertim in Dione, & in Timoleonte. Sed omiſſis iis, quæ ad hiſtoriam conficiendam pertinent, unum referam, quod ad ſenioris eruditionem indicandam, refert de Vitis Decem Rethorum in Antiphonte. Antiphon, Sophili filius, qui vixit tempore Perſici belli, Gorgia Sophiſta paulùm minor natu, vitamque produxit uſque ad popularis ſtatus in Athenienſi Republicâ mutationem à Quadringentis factam, Syracuſas navigavit, florente tùm Dionyſii ſenioris tyrannide. Sed cùm Tyranni Tragœdias exibilaret, ab eo eſt interfectus. Tragœdias compoſuiſſe fertur, & ſeorſim, & cum Dionyſio Tyranno.

Diogenes Laërtius quoque de Dionyſio Juniore non pauca ſcribit in Vitis Philoſophorum, quæ hunc locum ſibi vendicant.

Lib. 2. in Æſchine. Æſchines, Charini lucanicas vendentis, ſive Lyſaniæ filius, Athenienſis, inopiâ impellente ad Dionyſium confugit: ſed ibi à Platone deſpectus, à Dione commendatus, prolatis Dialogis quibuſdam acceptis muneribus Athenas reverſus eſt. Refert Polycritus in primo de Dionyſio vixiſſe illum cum Tyranno, donec Syracuſis expelleretur, & uſque ad Dionis reditum, cum eodem aſſerens, & Carcinum Comicum fuiſſe. Fertur, & ejus ad Dionyſium epiſtola.

Lib. 2. in Ariſtippo. Ariſtippus Cyrenaicus, Dionyſio plùs cęteris probabatur, quòd benè affectus, inſtructuſque ad omne, quod emergeret, videretur. Conſputus à Tyranno æquo animo tulit, cuidam ob eam injuriam indignanti reſpondens: piſcatores, ut gobium venentur, mari patiuntur ſe aſpergi: & ego, ut balenam accipiam, non patiar excreatione aſpergi? Percontanti

tanti Dionyſio, cujus rei gratiâ Philoſophi divitum limina terunt, Philoſophorum verò divites non ita? quod illi, inquit, ſciunt quibus indigeant,at hi neſciunt. Cogente aliquando Dionyſio, ut aliquid ex Philoſophiâ loqueretur; ridiculum, ait, eſt, ſi quidem me, ut loquar interrogas, & quando loqui oporteat, ipſe me doces, Adhæc vero indignatus Dionyſius, extremum omnium jus accumbere. Sed ille, illuſtrem, inquit, hunc locum voluiſti. Simus, Dionyſii quæſtor Phrix magnificè inſtructas ædes, & pavimenta pretioſa oſtendebat aliquando Æriſtippo: tùm is ſputa in quæſtoris faciem conjecit. Indignante illo, ait: locum opportuniorem nòn habui. Dionyſio interroganti ad quid veniſſet? ſic eum aliqui reſpondiſſe feruntquando ſapientiâ egebam, adivi Socratem: nunc pecuniarum egens ad te veni. Dionyſius aliquando mandaverat, uti ſingulis convivæ in veſte purpureâ ſaltarent: id Plato renuit, dicens: effœminatâ veſte non poſſum tegi, cùm ſim vir, & virili natus ſtemmate. Aſſumptam verò tunicam Ariſtippus induit, & cùm ſaltare inciperet, propriè, promptèque dixit: neque in ſacris liberi patris pudica mens unquam corrumpitur. Pro amico Dionyſium interpellans, & repulſam paſſus, tandem ad ejus pedes gratiam impetraturus corruit, id factum cùm argueret quiſpiam; non ego, ait, in culpâ ſum, ſed Dionyſius, qui aures habet in pedibus. Cùm à Dionyſio pecuniam ipſe, Plato librum accepiſſet; inſimulante ſe quodam, egò, inquit, pecuniis indigeo, Plato libris. Poſtulabat pecuniam à Dionyſio, & ille objecit: dixiſti pecuniis non egere ſapientem: da, excepit ille, pecunias, & poſteà de his quæramus. Et cùm dediſſet: videſne, ait, me non indigere? Inter alia opera Ariſtippi Philoſophi numerantur libri tres Hiſtoriæ libyæ, ad Dionyſium miſſi, & Dialogus quidam ad eundem.

Lib. 3. in Platone. Plato ter navigavit in Siciliam: primò quidem, ut Inſulam, crateresque videret. Quo tempore Dionyſius, Hermocratis filius, Tyrannus impulit, ut ſecum loqueretur. Secundò profectus eſt ad Dionyſium Juniorem, poſtulans terram, atque homines, qui juxta conſtitutam ab eo Rempublicam viverent. Sed ille quanquàm pollicitus, non præſtitit. Nec abfuit ſecundum quoſdam ſuſpicio illum magno ſui peri-

 culo

culo Dioni, & Theotæ perſuadere tentaſſe, illorumque animos erexiſſe ad Inſulam è ſervitute liberandam. Sed Architas Pythagoricus ſcriptâ ad Dionyſium epiſtolâ illum à ſuſpicione purgavit, ereptumque Athenas remiſit. Tertiò acceſſit Dionem Dionyſio reconciliaturus: ſed infecto negotio ad ſuos, ſuumque Dionem, tunc exulantem, redit.

Lib. 4. in Ipeuſippo. Is Athenienſis, Platonis diſcipulus, laſtheniam, & Axiotheam Phliaſiam erudivit. Quare Dionyſius ad illum mordaciter ſcripſit: ex Arcade diſcipulâ tuâ Philoſophiam diſcere poſſumus. Et: Plato quidem gratis ſua limina terentes docebat; tu verò tributa exigis, & à volentibus, nolentibuſque accipis, Speuſippus epiſtolas ad Dionem, ac Dionyſium miſit.

Lib. 4. in Xenocrate. Xenocrates, Agathenoris filius, Chalcedonius, à primis fermè annis Platonis auditor, eidem in Siciliam proficiſcenti comes itineris adheſit. Cùm Platoni Dionyſius diceret, caput quiſpiam tibi abſcindet; aderat hic, & ſuum oſtendens, inquit: nullus id prius, quàm hoc tollet.

Lib. 6. in Diogene. Diogenes Cynicus intuitus aliquando Platonem in convivio magnifico deguſtantem oleas, inquit: quid, ſapiens vir, in Siciliam hujuſmodi menſarum gratiâ profectus, appoſitis modò non frueris? Et, hercle Diogenes, ille inquit, illic oleis, & reliquis hujuſmodi ut plurimum veſcebar. Et ille, quid, inquit, Syracuſas navigare oportebat, an tunc Attica oleas non ferebat? Phavorinus in omnimodâ Hiſtoriâ hoc Ariſtippum dixiſſe tradit. Calcans Platonis ſtratum præſentibus Dionyſii amicis, quos ille invitaverat, dixit: calco Platonis faſtum. Cui Plato: ſed alio faſtu, Diogenes. Plato Diogenem taxavit, quòd in foro manducaret: at Diogenes: in foro enim eſurio. quidam ferunt Platonem dixiſſe tacitè ad Diogenem, cùm eum lavantem olera vidiſſet: ſi Dionyſio obſecutus eſſes, olera profectò non lavares. Et Diogenes in aurem Platonis: & tu quidem ſi laviſſes olera, Dionyſio non eſſes obſecutus.

Lib. 7. in Chryſippo. Scripſit de qualitate dictionum ad Dionem quatuor, de Joritis quæſtiunculis ad voces tres, de Solœciſantibus orationibus ad Dionyſium unum, orationes præter conſuetudines, dictiones ad Dionyſium unum.

Pauca

Pauca hæc, ex Plutarcho, & Laërtio deſumpta, proferre in medium exiſtimavimus: nec ambigendum, quin plura, & apud ipſos, & apud veteres alios Hiſtoricos de Dionyſiis, Syracuſanorum Tyrannis, ſcripta reperiantur, præſertim apud Platonem in Epiſtolis.

C I I.

DITROMEDES SYRACUSANUS.

DItromedes Syracuſanus, literis deditus, cujus filii Tyranni, ſcilicet Hieron ille literis,& Muſicæ deditus,Gelon ille potentiſſimus, Polybius, & Traſibulus. Ex Conſtantino Laſcare.

Dinomenen appellat Fazellus Æcetoris filium,ex InſulaTelo, quæ Rhodus eſt, oriundum. Sed Ditromedis familia multiplex Hiſtoriæ argumentum dedit. Conſule Fazellum de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 1.

C I I I.

DROPIDAS HIMERENSIS.

DRopidas Himerenſis, ni fallor,eâdem navi, quâ Iteſichorus, & Conon, vectus, cùm à Pachyno in Peloponneſum pro Corinthiis traiiceret; conjectus in vincula, ducitur ad Phalaridem, Agrigentinorum Tyrannum, in quem poëticâ libidine maledictis inceſſerat. Dedit literas Himerenſibus Phalaris, quibus fortè ſe redditurum Dropidam pollicetur, ſed jam interfectum Cononem docet. Ex Phalaridis epiſtol. ad Himerens.

Fuit alter Dropidas, Solonis frater, à quo maternum genus Platonem duxiſſe ajunt Hiſtorici, Athenienſis Poëta. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

C I V.

DUCETIUS NETINUS, SICILIÆ REX.

DUcetius Netinus, Siciliæ Rex, ad egregia quæque facinora obeunda promptiſſimus, acri vir ingenio, & literis excul-

tus, regnavit L. Poſthumio, & M. Horatio Coſſ. Patriam urbem, in collis vertice à Siculis ab initio fundatam, in planitiem monti ſubjectam tranſtulit, Mœnenon Urbem, aliaque oppida condidit. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 2. cap. 1. Vincentio Littara de Rebus Netinis.

C V.

ELIAS PANORMITANUS.

ELias Panormitanus Monachus, compoſuit lapidem Philoſophorum. Ex Joanne Jacobo Adria de Valle Mazariæ pag. 13.

C VI.

S. ELIAS SYRACUSANUS EPISCOPUS.

S. Elias Syracuſanus, in patrio Cœnobio Sanctæ Luciæ Virginis, & Martyris Benedictinum inſtitutum profeſſus, Sancti Zoſimi, Epiſcopi Syracuſani, Diaconus ex Schobare, vel Archidiaconus ex Catalogo m.s. Epiſcoporum Syracuſanorum, eidem dignitate, ac ſanctimoniâ ſucceſſit, à quo ſucceſſor fuerat prænuntiatus. A Vitaliano Pontifice inauguratus Epiſcopus, eodem ſuperſtite migravit in cœlum anno 660. Auguſti 24. Ex Cajetano in Martyrologio Siculo ex Kalendario Syracuſano. Corpus S. Eliæ Syracuſis ſepultum tradit Cajetanus apud Pyrrhum in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 137.

Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ putat S. Eliam ſcripſiſſe *Vitam S. Zoſimi Epiſcopi Syracuſani*: ſed id arbitratu ſuo inquit Cajetanus. Scripſit verò *narrationem quandam de S. Zoſimo*, cujus etiam meminit Syracuſanus Encomiaſtes, cujus eſt Vita S. Zoſimi, quam videre eſt tom. 1. Vitar. SS. Siculor. ubi pag. 232. Vitam S. Eliæ habes. Ex Octavio Cajetano tom. 1. Vitar. SS. Siculor. in Animadverſion. ad Vitam S. Zoſimi pag. 180. & ad Vitam S. Eliæ pag. 184.

EL-

CVII.

ELPIS MESSANENSIS.

Elpis Meſſanenſis, Manlii Torquati Severini Boethii, Sanctiſſimi Martyris, ac ſapientiſſimi Philoſophi, viri Conſularis, uxor, antequàm ille Rûſticanam, Symmachi filiam, duceret, uti teſtatum reliquit Nicolaus Coſcia de vetuſtis familiis Meſſanenſibus apud Stephanum Maurum de Siciliæ Protometropoli pag. 192. illuſtris Poëtria fuit. Quæ de hac doctiſſimâ tradit Placidus Samperius Societ. Jeſu in Iconolog. Virgin. Meſſan. lib. 1. pag. 96. ex Italico in latinum ſermonem translata exhibemus.

Fuerunt Meſſanenſes illuſtriſſimæ ſorores pietate, ac ſanctis moribus, Fauſta, ſive Fauſtina, uxor Tertulli Senatoris Romani, & mater Sanctorum Placidi, Flaviæ, Eutychii, & Victoris, atque Elpis, uxor Severini Boëthii, ab Hiſtoricis, præſertim à Jacobo Bergomenſi lib. Illuſtrium mulierum ſatis laudata. Hæc non parùm erudita, & verſata in poëticâ facultate, ſtylo eleganti ſcripſit *aliquot hymnos Eccleſiaſticos*, præcipuè quos legimus in Breviario Romano *in Martyrium Sanctorum Petri, & Pauli*, quorum initium:

Aurea luce, & decore roſeo.

&

Jam bone paſtor, Petre, clemens accipe.

Illum quoque Sancti Petri in Vinculis:

Petrus beatus catenarum laqueos.

Relictâ patriâ Ticinum petiit, cum ibi cariſſimus conjux juſſu Theodorici, Longobardorum Regis, in cuſtodiâ detineretur, ibique ſupremum diem obiit. Sepulta eſt in veſtibulo S. Petri in cælo aureo epitaphio inſculpto, quod ipſa ſibi Poëtria præſtantiſſima conſcripſerat.

Elpis dicta fui, Siculæ regionis alumna,
Quam procul à patria conjugis egit amor.
Quo ſine mæſta dies, nox anxia, flebilis hora,
Cumque viro ſolùm ſpiritus unus erat.

Lux

Lux mea non clauſa eſt, tali remanente marito,
Majoriſque animæ parte ſuperſtes ero.
Porticibuſque ſacris jam nunc peregrina quieſco,
Judicis æterni teſtificata thronum.
Neve manus violet buſtum, ne forte jugalis
Hæc iterum cupiat jungere membra cinis.

Floruerunt hæ duæ ſorores, Fauſta, & Elpis, anno circiter MXXX. Juſtiniano Imperatore, & Vigilio Pontifice, quas fuiſſe Meſſanenſes affirmant Silveſter Maurolycus. Joſephus Bonfilius, Joannes Petrus Villadicanus apud Auctorem ligni vitæ, aliique Scriptores.

Verùm dum hæc typis mandamus, proſequitur Samperius, miſſum Meſſanam perantiquum Elpidis ſimulacrum marmoreum dimidiatæ eminentiæ, affabrè elaboratum, caput vittâ coronatum, qua veteres matronæ utebantur, collum, & exigua pectoris pars ſunt abſoluta. Græcis literis antiquioribus ſuprà caput inſcriptio habetur. Obtinuit hoc ſimulacrum Marius Charybdius, dum Panormi moraretur, Magnæ Regiæ Curiæ Judicis, & Regii Conſiliarii munere perfunctus, à Patre Petro Villafrates, Rectore Collegii Panormitani Societatis Jeſu, à Senatu Meſſanenſi ad eundem Rectorem ſcriptis literis. In aula domus Senatoriæ inter Statuas Annibalis, Scipionis Africani, & Ciceronis parieti affigitur ſequenti epigraphe.

D. O. M.

Elpis, Matronæ nobiliſs. Meſſan.
Inſignis Poetriæ, Magni Boethii,
Viri Conſularis, ſanctimonia conſpicui,
Uxoris, etiam in exilio coniuntiſs.
SS. Martyrum Placidi, Flau. Eutych. & Victorini,
Amitæ à ſorore Fauſta, fauſtiſſima
Fœmina; vetuſtiſſimum hoc marmoreum
Signum S. P. Q. M. dono à Patribus
Societatis Jeſu datum, in hac domo Senatoria
Poſuere

Senatores

D. Marcellus Cyrinus, Eques S. Jacobi,
D. Carolus Gregorius,

Fr.

Fr. Antonius Gotho, Eques Hieroſolymitanus,
Joannes Leonardus Caloria,
D. Franciſcus Ozes,
Thomas Suaglies.
Anno Domini MDCXLIII.

Hæc Samperius. Suſpicari quis etiam poſſet de Elpide Siculâ, inquit Octavius Cajetanus in Idæâ Sanctorum Siculorum pag. 26. revocandàne ſit ad alterutram è noſtris claſſibus. Quippè Vernerus mulierem devotam appellat, Arnoldus Belga Monachus ſanctiſſimam, & doctiſſimam. Sanè Elpis ex viri Boëthii convictu, qui omnium diſciplinarum viris doctis conſecutus videtur, in literis, & pietate magnos progreſſus fecit. Ejus ingenii vim, candoremque, & animi pietatem, opera, quæ compoſuit, demonſtrant.

Reprehendendus in hoc loco Antonius Amicus, quòd viro ſuo Boëthio, Conſuli, & Philoſopho illuſtriſſimo, Elpidem ademerit, & Boëthii Oratoris neſcio cujus uxorem fecerit. Eam autem Boëthii Conſulis uxorem fuiſſe ante Ruſticianam ægrè quis vel ſibi, vel aliis ſuadebit. Quædam profectò ſunt, quæ non tàm libenter conciliantur intactâ rerum, & annorum ratione. Conſule Stephanum Maurum de Siciliæ Protometropoli pag. 192. Alexandrum Calamatum in Comment. Hymnorum.

CVIII.

EMPEDOCLES I. AGRIGENTINUS.

Empedocles I. Agrigentinus, nobilis, ac dives, Philoſophus Pythagoricus, coronam aurcam in capite ferebat, & in pedibus ænea ſotolaria, & in manibus laurum, Gloriam Dei quæritans. Athenis publice legit. Scripſit *Carmina de naturalibus, & de purificationibus libros duos, carminibus quinquies millibus. Item de Medicina metro, & proſa.* Nonnulli hunc primum Oratorem fuiſſe ajunt: ſed ejus vitam Laërtius latè ſcribit. Periit in incendio Ætnæo: nam una ex crepidis ejus æneis, quam flamma eructavit, juxta montis crateres reperta eſt. Ex Conſtantino Laſcare.

Empedocles natus eſt Agrigenti ex Methone, ut Hippobatus,

tus, ſive Archionio, ut Thelauges Pythagoræ diſcipulus ſcribit, patre, primùm unà cum Zenone Eleate auditor Parmenidis: à quo poſteà diſcedens Anaxagoram, & Pythagoram audivit, quorum alterius conſtantiam vitæ, gravitatem, habitumque, alterius de naturâ rationes ſectatus eſt, ut ſcribit Alcydamas referente Laertio. Ariſtoteles in ſuo Sophiſta, quod opus apud Latinos non extat, tradit eundem Empedoclem fuiſſe primum Oratoriæ artis inventorem, ſicuti Dialecticæ Zenonem. Cui, & in Vitis aſtipulatur Satyrus, qui & Medicum illum fuiſſe, & Oratorem optimum, Gorgiamque Leontinum, qui Oratoriam artem primus illuſtravit, ipſius diſcipulum extitiſſe, eique perſæpè cùm magiam exerceret, affuiſſe refert. Fuit Homeri in primis ſtudioſus: unde Ariſtoteles in libro, quem de Poëtis inſcripſit, Homericum eum appellat, & in dicendo ſummo acumine, in ſcriptis quoque ſuis translationibus, cæteriſque Poëticis figuris uſum aſſerit. *Multa opera* compoſuit, quorum *tria, & quadraginta* ſe perlegiſſe fatetur Hieronymus Philoſophns, ut Laërtius teſtatur. Scripſit *verſu heroico de Philoſophia naturali opus inſigne*, cujus fragmentum in Bibliotheca Medicæâ Florentiæ hodia viſitur. Quod opus Ariſtotelem vidiſſe liquidò conſtat, tùm quòd ejuſdem eſt farinæ cum ejus Philoſophiâ, quam habemus, tùm quòd multis in locis ejus ipſe verſus citat. Unde, & in ſuâ Poëticâ cum ita Homero comparat, ut illis ſolùm communem verſum tribuat. Idcircò Homerus Poëta, Empedocles verò Philoſophus naturalis eſt appellatus. Timæus autem, & illis, & aliis multis cum modis virum admirationi habitum fuiſſe prædicat. Non enim ſolùm prænuntiabat futuras tempeſtates, ſed excogitabat quoque remedia, quibus fieret, ne ab illis fruges corrumperentur. Unde ab Agrigentinis, Colyſanemas, hoc eſt, ventorum inhibitor eſt nuncupatus, quod cùm Agrigentum Urbs, & ejùs ager aliquando vento infeſtaretur validiori, periculum ille omne expanſis circa Urbem, colleſque utrium inſtar aſinorum pellibus averterit, ut 18. lib. Timæus, referente Laërtio, prodidit. Nempe Dæmon ex pacto ad pellium illarum præſentiam operabatur, ut advertit Raynaudus in Theologiâ Naturali diſtin. 4. quæſt. 4. artic. 2. Empedoclis factum ex Clemente Alexandrino ſtro mat. 6. relatum perpendens.

Peſti-

Peſtilentiam quoque multis in locis ignium ſuffitu ab eo ſedatam lib. 37. cap. 27. author eſt Plinius. Retulit, & Heraclitus ipſius arte corpus humanum exanime, triginta dies fuiſſe integrum, incorruptumque ſervatum. Fuit, & vates futuri præſcius, ut patuiſſe dicit Heraclitus apud Laërtium verſibus ab eo compoſitis, quibus Agrigentinos incolas ſalvere juſſit: à quibus, & Deum ſe credi, & Divinos ſibi honores deferri voluit. Cæterum Ariſtoteles ipſum fuiſſe in primis liberum, atque ab omni ambitu alieniſſimum affirmat, quòd Regnum Agrigenti ultrò à civibus ſibi delatum forti, conſtantique animo renuerit, ſimplicitatem vitæ Regum deliciis præferens. Agrigenti etiam triennalem magiſtratum inſtituit, qui mille hominum cœtus erat. Cùm aliquãdo in Olympia equeſtri certamine victor fuiſſet, atque ex præſcripto animatis abſtineret; ex myrrhâ, thure, aliiſque aromatibus bovem confecit, quem ad panegyrim convenientibus diſtribuit, ut ex Pythagoræ inſtituto propagatum legimus. Pertinaciſſimè verò ſimultates, atque inimicitias, & ſuſcipiebat, & exercebat, ut Suidas, & ex veteribus plures ſcribunt. Cùm Deorum numerum exquiſiturus eſſet, veſte purpureâ, ut lib. 12. Ælianus refert. Sertum quoque aureum in capite, ærea in pedibus ſandalia, laureoſque ramos in manibus ferebat. Claruit ætate ferè, quâ Xerſes ab Athenienſibus navali prælio Thæmiſtocle duce Salaminâ fugatus eſt, quâque Fabii ad Cremeram occubuere, ut M. Coriolanus Romam debellaturus ex Volſcis advenit, ut lib. 17. cap. ultimo Gellius ſcribit. Tradit denique Laërtius Empedocle totam Siciliam decorari, cumque tùm bello, tùm ingenio toto terrarum orbe ſuâ ætate non habuiſſe parem. De obitu verò ejus varia feruntur. Heraclides ſiquidem tradit, quòd cùm ſacrificio ad Piſianactis agrum unà cum aliis intereſſet, peractis ritibus plerique diverſis agri locis ſparſim ſub arboribus fuſi umbram quæſierunt: ſolus autem ipſe cùm in loco, ubi ad rem divinam faciendam accubuerat, remanſiſſet, mane facto à cæteris ſurgentibus quæſitus non comparvit. Cujus deinde ſociis quid illi factum eſſet ignorantibus, unus è ſervis retulit, mediâ nocte ſe vocem magnam audiviſſe, quæ Empedoclem vocabat, cùmque ſurrexiſſet, nihil ſe præter lucem, ac tedarum ſplendorem vidiſſe. Plerique

O verò,

verò, quos Phavorinus ſequitur, aſſerunt eum Meſſanam venientem caſu crus perfregiſſe, ac tandem apud Megaram dolore invaleſcente immortuum, ibique ſepulturæ traditum, cùm annos vixiſſet ſeptuaginta ſeptem: tametſi aliqui centum, & novem ejus vitæ fuiſſe annos ſcripſerint. Sunt, & qui evulgaverunt Agrigentinis ipſum infenſum è Siciliâ diſceſſiſſe, navigaſſeque Peloponneſum, atque ibidem obiiſſe. Quibus aſtipulatur Neanthes Cyzicenus apud Laërtium, qui eùm Methone vitâ functum ſcripſit, quò ob pullulantis domi Tyrannidis exordia profugerat. Quidam verò narrant, quòd poſtquàm Panthiam mulierem Agrigentinam genere nobilem, à Medicis deſperatam, curaſſet, immortalis ab Agrigentinis, & cæteris Siculis propè ſit habitus: eoque, ut ſuæ immortalitatis fidem conſtantiorem faceret, in montis Ætnæ crateres ſe coniecerit vivum: cujus deinde projecta ab Ætnæ eructatione ſandalia juxta voraginem inter cineres ſint reperta, ut Suidas refert. Quos ſecutus Lactantius lib. 3. Divin. Inſtitut. & cauſam, & modum, quo ſe in incendium dejecerit, explicat. Quorum aſſertioni Horatius accedit his verſibus.

. . . Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Inſiluit. . .

Democritus autem Trezenius in libro contra Sophiſtas refert illum juxtà Homerum.

Connexo ex alta laqueo ſua guttura cornu
Inſerviſſe, anima, ut tetrum penetraret ad orcum.

Ex Diogene Laertio de Vitis Philoſophorum lib. 8. in Empedocle apud Thomam Fazellum de Rebus Siculis Decad. 1. 6. pag. 135. 136. qui Laërtii ſiluam elegantiori, & methodo, & charactere ordinavit.

C I X.

EMPEDOCLES II. AGRIGENTINUS.

Empedocles II. Agrigentinus, primi nepos, Poëta Tragicus, ſcripſit *Tragœdias quatuor ſupra viginti*. Ex Conſtantino Laſcare.

Lapſum hic Laſcarem, & nepotem pro avo repoſuiſſe conſtat ex Laërtii contextu. Quare Fazellus citatus loco citato ſubdit: Empedocles alter, ſuperioris avus, non ſolùm rei militaris peritiâ inſignis, cujus ſpecimen Olympiade 71. victor non aſpernandum edidit: quam ob cauſam, & belligerorum equorum alumnum eum Laertius vocat; ſed, & Philoſophiæ ſtudiis clariſſimum, quatuor & viginti Tragœdiis editis mortuus eſt.

Idem Goltzius tradit. Ferunt aliqui Empedoclis avum fuiſſe eloquentiâ, & Philoſophiâ clariſſimum, militari peritiâ celebratum: ab hac Olympiade 71. vixiſſe, à quibuſdam memoriæ proditum eſt. Ex Huberto Goltzio.

C X.

ENTIUS REX SARDINIÆ.

ENtius Siculus; Rex Sardiniæ Friderici II. Imperatoris nothus, inter Poëtas recenſetur a Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

Sardiniæ, ut ab eâ Inſulâ Januenſes precibus Piſanorum eiiceret, à patre præfectus eſt. Mox ille navali claſſe Antiſtites, Romam à Gregorio IX. anno 1239. accitos, ut ſolemni Concilio Fidericum ob ſcelera Regno deturbaret, non longè à portu Piſano cepit ad patris mandatum, qui, uti referunt, ità ſcripſerat:

Omnes Prælati, Papa jubente vocati,
Et tres Legati, veniant huc uſque ligati.

Nuntio tàm inſperatæ victoriæ Fridericus accepto, qui poſt victam, depopulatamq; Faventiam ad depopulationem vicinæ Bononiæ ſe paraverat, confeſtim omnes ad Amalphim Urbem carceri mancipandos miſit. Gregorius hac novâ injuriâ tanto dolore eſt affectus, ut paucis poſt diebus febre correptus, decimo quarto ſui Pontificatus anno mortem obierit. Sed Entius dum Bononiam obſidione premit, à Pontificio Legato, copioſâ Bononienſium manu inſtructo, capitur, atque ferreâ incluſus caveâ mortem ſubire cogitur anno 1272. Martio menſe. Cadaver Bononienſes in Divi Dominici honorificè condunt. Ex Hieronymo Surita Annal. lib. 5. cap. 61. pag. 417. 480. Abrahamo

hamo Bzovio Annal. an. 1239. num. 43. Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 8. pag. 16. Roccho Pyrrho Chronolog. Regum Siciliæ pag. 49.

CXI.

EPYCIDES, ET HIPPOCRATES SYRACUSANI.

EPycides, & Hippocrates Syracuſis oriundi, ſed ortu Pœni, germani fratres, armis, & literis claruerunt. Copiarum ductores fraude Siculos à Romanis ad Pœnos inclinare conabantur. Ex Conſtantino Laſcare.

CXII.

EPICHARMUS MEGARENSIS.

EPicharmus Siculus Megarenſis Philoſophus cum Pythagora Samio Phalaridem, ut tyrannidem deponeret, hortatus eſt. Sed identidem eandem rem inculcanti tyrannus reſpondit: aggredi tyrannidem appetentis eſt: deponere minimè. Comparans eam actionem ſagittario, qui ſimul atque ſagittam emiſerit, non habet eam amplius revocandi poteſtatem. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 6. pag. 132.

CXIII.

EPICHARMUS SYRACUSANUS.

EPicharmus Syracuſanus, vel ex Caſtro oppido Sicanico, Poëta Comicus, Pythagoræ auditor. *Comœdiam* primus invenit, itemque tres *literas Græcas duplices*, *multaſque præterea Comœdias* edidit. Hic à Hierone mulctatus eſt, quòd laſcivos verſus coram Cleginâ recitaſſet. Ex Conſtantino Laſcare.

Mortuo ſtatua erecta fuit Syracuſis cum inſcriptione.

Quantum ſol vincit ſublimis ſidera cœli,
Quanto vis pelago major ineſt fluviis,
Tantum ego profiteor Sophia præſtare Epicharmus:
Cui Syracuſa comis patria ſerta dedit.

Co-

Comentaria reliquit, in quibus de naturâ rerum, de ſententiis, de Medicinâ diſſeruit, notaſque breves Commentariorum locis appoſuit, quibus apertè indicat ab ſe opuſcula elaborata. Obiit anno ætatis nonageſimo. Ex Diogene Laërtio de Vitis Philoſophor. lib. 8. in Epicharmo. Refert Heraclides in Epitome Sotionis Pythagoram inter reliqua ſcripſiſſe Quintum Elothalem, Epicharmi patrem. Ex eodem Laertio lib. 8. in Pythagora Samio.

Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ, Sixti V. magnificentiâ inſtaurata, depictus Epicharmus Epigraphen hanc oſtentat.

Epicharmus Siculus duas Græcas literas addidit.

Ex Mutio Panſa de Bibliotecâ Vaticanâ pag. 290. Antonio Cicarello in Vita Sixti V. Pont. Rom. pag. 609.

Epicharmi Syracuſani opera Megarenſi attribuit Fazellus, alterutrum floruiſſe ait multò ante Chionidem, & Magnetem antiquiſſimos Comicos. Cujus ſententiam Cicero in Tuſculanis celebrat: nollem mori, ſed mortem nihil æſtimo. Eum Plautus Horatio in Epiſtolis referente incitatus eſt. Vixit autem annos nonaginta ſeptem, ut Lucianus refert. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 3. pag. 79.

CXIV.

EVAGRIUS.

Evagrius S. Pancratii, Tauromenitani Epiſcopi, diſcipulus, *mirabilem ejus vita ſtylo non incompto, ſed Græco* exaravit. Verùm Evagrianum codicem mendoſum cenſet Octavius Cajetanus Societatis Jeſu tom. 1. Vitar. SS. Sicul. in Animaduerſione ad Vitam S. Pancratii pag. 10. Atuerò illum probat, & plura de hoc Evagriano codice diſſerit, Placidus Reina tom. 1. Hiſtor. Meſſan. pag. 111.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Sicilienſium ita de S. Pancratio luſimus.

Ex peditioni Tauromenitanæ
navali victoriâ proluſerat Pancratius:
Nam Antiochiâ in Siciliam navigans Marciano comite,

Præſul

Præſul Tauromenitanus
à Petro Apoſtolo initiatus,
Lychaonidem navarchum, & nautas Chriſto ſubegit.
Hauſtam à pelago undam
ad abluenda capita
Neophytorum lacrymis compenſavit:
Ipſam creditarum aquarum ſolutionem
pelago foeneratus.
Reſtituto incolumi navigio
ære alieno mare liberatur.
Conceptum jamdiu certamen
ut expeditius iniret Pancratius,
in arenam Tauromenitanam nudus deſcendit.
Everſo Phalconis fano,
Diruto Lyſonis ſimulacro,
Urbis Præfectum, Civeſque ferè omnes
in deditionem Crucis redegit.
Impeditus Urbanis exuviis,
Epaphroditum presbyterum,
levis armaturæ militem,
in proximum agrum eduxit,
ut agreſtium hominum turmas ruſticando caperet.
Interim pugnabat intra mœnia
novo telorum genere in Aquilinum,
vaniſſimorum Deorum ſtudioſum,
fautorem acerrimum,
Sacris enim imaginibus objectis à Pancratio,
verſis in adverſarios ipſos pugionibus
Aquilini partes ceciderunt.
Plus unius Dei cultor valuit,
quàm plurium propugnator,
plus religioſæ icones valuerant,
quàm olim terrificum Meduſæ caput:
id hoſtes vertebat in ſaxum,
illæ reddiderunt in cinerem.
Ornari meliori clypeo nequiverat Pancratius,
nec hebetiori gladio Aquilinus.

Uter-

Uterque iniquo Marte pugnavit:
ſed ille propitium armorum numen expertus,
is iratum;
uterque probavit,
jaculantem in cęlum
in ſemet ſagittas accerſere.
Tot, ac tantis bellis feliciter confectis,
ne deeſſent ad triumphum agendum victoris inſignia,
morſibus primò, mox fuſtibus, inde petitus lapidibus,
Denique ferro interemptus ab Artagato,
Martyrii palmam obtinuit.
Hanc in manu geſtans
purpureâ proprii cruoris clamyde paludatus,
Superum capitolium conſcendit.

CXV.

EUCLIDES GELOUS.

EUclides Gelenſis, Philoſophus Platonicus, ac Geometra præſtantiſſimus, alius fuit ab illo Megarenſi, de quo Laërtius, & qui Dialogos ſcripſit, ut ait Proclus in ſecundo ſermone in Primum Euclidis: utque ſcribit Hieronymus, vixit tempore Ptolemæi Primi, Junior Platone, ſed vetuſtior Eratoſthene, & Archimede: fuitque Gelous, ut ex verbis Laërtii colligitur. *Multa, ab Eudoxo, & Theæteto ſumpta perfecit*. Scripſit *Elementorum libros XIII.* nam alii duo additi fuerunt ab Hypſicle, & Ariſtæo. Item *Muſicam*, *Optica*, *Catoptrica*, *Phænomena*, *Poriſmata*, *Dodomena*, quæ potius Theonis ſunt. Hic à Ptolemæo Rege interrogatus, ut ait Proclus, eſſet ne ulla ad Geometria via conciſior, quàm Elementaris? Reſpondit non eſſe ad Geometriam capeſſendam regiam viam, callemue ullum. Ex Conſtantino Laſcare.

Euclidem Geometram Siculum Geloum fuiſſe Scriptores Noſtrates, ſive Laſcarem ſecuti, ſive ab antiquioribus edocti, omnes ad unum affirmant. Unus pro cunctis loquatur, Franciſcus Maurolycus Meſſanenſis, profundâ Mathematicarum facul-

cultatum notitiâ,& infinitâ propè Hiſtoriarum cognitione toto terrarum orbe clariſſimus. Is lib. 1. Compend. Hiſtor. Sicil. pag. 28. Poſt exceſſum Agathoclis, Regis Syracuſanorum, anno mundi 4877. ante Chriſtum natum 322. ſcribit Theocritum Poëtam Syracuſis claruiſſe:nec non Euclidem Geometram ex Gelâ. Nam Megarenſis ex Græciâ Philoſophus Moralis fuit, ut Proclus, & Laertius innuit. Cæterùm ſi domeſtica teſtimonia in causâ propriâ ſuſpecta ſunt; teſtes duos, externos homines, omni exceptione majores in medium proferam, qui dejectâ vulgi opinione, Siciliæ reſtituunt Euclidem ſuum, aut certè quidem Græciæ, tanquam non ſuum, in libertatem vindicandam ſubduxerunt. Alter eſt Chriſtophorus Clavius Bambergenſis, alter Joannes Baptiſta Ricciolius Bononienſis, uterque Societatis Jeſu: illuſtriſſima ſatis nomina, & vitæ inſtitutis, & Mathematicarum ſcientiarum, & rerum abditarum inexhauſto promptuario.

Si Proclo, nobili Scriptori, & aliis Auctoribus antiquis, credendum eſt, Euclides hic noſter junior fuit illo Megaræo, floruitque tempore Ptolomæi Primi, qui Ægypto poſt Alexandri Magni mortem Olimpiade 115. & ante Chriſtum natum anno 319. cœpit imperare; ut Joannes Lucidus refert. Quod quidem verius eſſe crediderim, hoc maximè adductus argumento, quod Diogenes Laërtius omnia opera Euclidis illius Megarici diligentiſſimè enumerans, nullam prorſus faciat mentionem hujus celeberrimi voluminis de Geometricis Elementis conſcripti, in quo perpetuam, & nunquam interituram famam ſibi comparavit Euclides, & gloriam. Neque enim putandum eſt Diogenem, in monumentis Philoſophorum exercitatiſſimum, hoc tàm inſigne opus vel ſcientem voluiſſe præterire, vel ab Euclide ſuo fuiſſe compoſitum ignoraſſe. Itaque Euclides noſter Geometra acutiſſimus, ab illo Megaræo Philoſopho longè alius eſt, qui cùm in doctrinâ Academicorum eſſet ſummâ cum laude verſatus, animum totum ad Mathematicas diſciplinas tranſtulit: in quibus ita excelluit, ut concordi omnium judicio principem inter Mathematicos ſibi locum jure optimo vindicarit.

Hæc Clavius Prologom. in diſciplinas Mathemat. de Euclide Geometra. Subdit ibidem ejuſdem Elementa Geometrica, & cæ-

& cætera ejuſdem opera refert. Scripſit *volumina ad rem Mathematicam ſpectantia non pauca*, in quibus eximia ejus diligentia, admirandaque doctrina facilè elucet: qualia ſunt *Optica*, *Catoptrica*, *Elementares Inſtitutiones ad Muſicam capeſſendam pertinentes*, *Phænomena*, *atque Datorum liber*, *opus de diviſionibus*, quod nonnulli ſuſpicantur eſſe libellum illum acutiſſimum de ſuperficierum diviſionibus, Machometo Bagdedino adſcriptum, qui nuper Joannis Dee Londinenſis, & Friderici Comandini Urbinatis operâ in lucem eſt editus. Conſcripſit item *Conica Elementa*, Auctore Proclo, quæ tamen ad nos nondum pervenere, & *alia idgenus opuſcula*. Maximè verò *volumen Geometricorum Elementorum*, nunquam omnium conſenſione ſatis laudatum, tàm mirabili ordine, tantâque eruditione contexuit; ut nullus unquam eorum, qui ſimilia conſcripſerunt Elementa, conſcripſerunt autem, ut ait Proclus, non pauci, par illi extiterit, nedum ipſum ſuperarit.

Ipſe verò Clavius libros XV. Elementorum Euclidis perſpicuis demonſtrationibus, accuratiſque ſcholiis illuſtravit, addito libro XVI. de Solidorum Regularium cujuslibet intra quodlibet comparatione. Commentaria hæc ſæpiùs excuſa Carolo Emmanueli, Sabaudiæ Duci, dicata, prodierunt. In eorum præfatione Commentariorum ſuorum rationem aperit, non pauca de aliorum Commentariis ediſſerens: quæ quidem omnia rem, quam tractamus, quàm maximè nobilitant.

Extant, inquit Clavius in Præfatione citatâ, Commentarii Campani, ac Theonis in ſingulos Euclidis libros ſanè eruditi, qui ſatìs eſſe poſſint cujuis ad facilè conſequendam horum Elementorum doctrinam. Sed alter ſecutus in omnibus eſt traditionem Arabum, qui magnâ ex parte Euclidis ordinem, ac methodum perverterunt, verbaque propoſitionum ejuſdem locis non paucis immutarunt, ut verus, germanuſque Auctoris ſenſus perdifficilè poſſit intelligi. Alter penè innumeris mendis, vitiiſque injuriâ librariorum ita eſt depravatus, & propter notas Græcas, quæ in ejus demonſtrationibus adhibentur, obſcuras illas, & malè impreſſas, adeò impeditus; ut magnam difficultatem inexercitatis ingeniis, perplexitatemque gignat. Quo fit, ut Euclidem ſine maximo labore, ac ſtudio nemo percipiet.

Jam ſi alii ad noſtram uſque memoriam majus aliquod ſtudium, operamque in hoc munus intepretandi Euclidis Elementa contulerunt; hi vel ſex priores tantùm libros expoſuerunt; vel, ſi qui in univerſum Euclidem Commentarios ediderunt; hi perſępè relictis antiquorum demonſtrationibus certiſſimis, proprias alias, ac novas confinxerunt: quæ plerumque non tàm firmæ ſunt neque rem ipſam ſimpliciter, & abſolutè conficiunt. Præſertim, quòd modò à propoſitionibus voces quaſdam perperam detrahunt, modò alias ineptè apponunt, modò denique nonnullas temerè immutant: ut meritò de vero, proprioque Euclidis ſenſu dubitare quis poſſit. Quâ tamen in re Fridericum Comandinum Urbinatem Geometram non vulgarem excipio, qui nuper Euclidem latinè redditum in priſtinum nitorem reſtituit, paucis locis exceptis, in quibus non parùm à vero aberravit.

Clavio Ricciolium attexam. Is tom. 1. part. 1. Magni Almageſti Chronolog. 2. Aſtronomor. vel Aſtrologor. Coſmographor. aut Polyhiſtor. qui Aſtronomica, vel Geographica propiùs attigerunt, hæc habet. Petrus Ramus lib. 1. Schol. Mathem. & noſter Clavius in Prologomenis ad Euclidem, cenſet Euclidem, cujus Elementa Geometrica extant, eſſe diverſum ab illo Megarenſi, eo potiſſimùm argumento, quòd Diogenes Laërtius loquens de operibus Euclidis Megarenſis nuſquàm tàm egregii monumenti, quale ſunt Elementorum libri, nec non Optica, Catoptrica, Muſica, Data, & Phœnomena. Eſto enim Euclides, ut Proclo viſum eſt, Elementa hæc ab aliis, præſertim ab Eudoxo, & Theęteto collegerit, adjectis certis demonſtrationibus, ubi deerant; magna tamen laus hæc ipſa eſt, inquit Petrus Ramus, inchoata perficere, ex incertis certa facere, ſed maximè omnium indigeſta componere. Nec derogatur illi à Proclo, quòd Elementorum vocetur non inventor, ſed conſtructor, & demonſtrator: quo jure plures aliqui antiqui palmam ſunt adepti, & adipiſcentur in poſterum apud cordatos viros.

De patriâ Euclidis, de ipſo Euclide, deque operibus ejuſdem dictum ſatis. Referendæ huc eſſent additiones omnes Elementorum Euclidis, ſive Græcæ, ſive Græco-Latinæ, ſive Latinæ, ſive Italicæ ſingillatim. Sed proſequi tàm minuta moleſtum eſt,

eſt, nec quicquam præſefert utilitatis. Supereſt, ut pauca de Gelâ, Siciliæ Urbe vetuſtiſſimâ, dicamus: cùm ejus memoria in hac Bibliothecâ non raró incidat, & hîc meminiſſe juvabit.

Gela Siciliæ flumen, à quo Gela Urbs nuncupatur. Gelam autem Antiphones è Rhodo, & Enthimus è Cretâ Colonias ducentes, condiderunt à Syracuſis conditis annos quinque ſupra quadraginta, ex Thucydide lib. 6. nimirum Olympiadis XXII. anno 3. ante Chriſti nativitatem 690. ex Cluverio lib. 1. Veteris Siciliæ cap. 15. Anno verò propè 108. à Gelæ primordiis Gelenſes Agrigentum condiderunt. In tantam deinde amplitudinem & Gela, & Gelenſes venerunt, ut mole ſuâ corruerint. Nam Olympiade CXXIV. à Phintia, Tyranno Agrigentinorũ, deletum eſt, & Gelæ, & Gelenſium nomen. Sed ubinam extiterit Gela, diſſentiunt Scriptores. Alii affirmant, & quidem veriùs, fuiſſe à mari diſtantem, ad mare verò ex Gelæ ruinis conſtructam Phintiam, quam hodie Alicatam appellamus. Alii, ubi nunc Terranova, alii, ubi Veteris Plutiæ veſtigia viſuntur, alii, ubi aliarum Urbium buſta jacent, Gelæ ſitum ſtatuunt. Gela fluvius, & ejuſdem nominis Urbs memoratur ab Herodoto, Thucydide, Ariſtophane, Virgilio, Ovidio, Plinio, Silio, Claudiano, Diogene, Stephano, Vibio, Suida, & aliis. Conſule Joannem Paulum Clarandaum Societatis Jeſu in Hiſtoriâ Platienſi à pag. 18. ad pag. 57. lib. 1. cap. 4. & 7.

CXVI.

EUCLIDES LEONTINUS.

EUclides Philoſophus, quem inolita jam opinio Megarenſem credendum contendit, natus eſt Leontini, matre Leontinâ Euridice, patre Megarenſi Hegeſippo. Adhuc infans involutus faſciis Megaram Provinciæ Atticæ ductus, ibidem in magnum Philoſophum Socrate magiſtro adolevit, ut omnem Græciam famâ ſuâ compleverit. Conſule Diogenem Laërtium de Vitis Philoſophorum in Euclide Megarenſi. Cæterùm Leontinum Euclidis vulgò Megarenſis patriam Theophilus agnoſcit apud Philadelphum Mugnos in Novo Laërtio pag. 25.

CXVII.

EUDOXUS SYRACUSANUS.

EUdoxus Syracuſanus Poëta Comicus, Agathoclis Tyranni ſecundus ex tribus filius, *multas Comœdias* compoſuit, ex quibus octies adeptus eſt victoriam, ter in urbano certamine, quinquies in Lenaico. ex Conſtantino Laſcare, & Huberto Goltzio.

Fuerunt, & tres alii Eudoxi: primus Gnidius Aſtrologus, Medicus, Geometra, & Legum Lator. Secundus Rhodius Hiſtoriarum Scriptor. Tertius, & alius Gnidius Medicus. Ex Diogene Laërtio de Vitis Philoſophorum lib. 8. in Eudoxo Gnidio.

CXVIII.

EUHEMERUS MESSANENSIS.

EUhemerus Meſſanenſis fuit, *Jovis, & cæterorum, qui Dii putabantur, res geſtas collegit, Hiſtoriamque contexuit ex titulis, & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur, maximèque in fano Jovis Triphilii*, in quo auream columnam à Iove poſitam fuiſſe ſcribit, cui, ut rerum à ſe geſtarum monumenta eſſent, res à ſe geſtas inſcribi juſſerat. Eam Euhemeri Hiſtoriam Ennium eſſe interpretatum, & ſecutum Lactantius teſtatur. De hoc Euhemero Hiſtorico Diodorus Siculus lib. 6. Biblioth. qui liber cùm interciderit cum aliis ejuſdem plurimis, ex eo decerpta lege in Euſebio lib. 2. Præparat. Evangel. Ex Huberto Goltzio.

Euhemeri patriam incertam putat Hieronymus Columna in fragm. Ennii lib. 4. Nam Plutarchus in libris, quos de dogmate Philoſophorum ſcripſit, Tegeatem facit, ſed in libro de Oſiride, & Iſide Meſſenium: quod confirmat Ælianus, Strabo, & Lactantius. Clemens Alexandrinus, & Arnobius Agrigentinum fuiſſe tradunt. Mendacem illum appellant Plutarchus de Oſiride,

de, & Iſide, Strabo lib. 11. Apollodorus apud Strabonem lib.7. Idem Plutarchus de Placitis Philoſophorum lib.1. cap. 7. Theophilus Antiochenus Epiſcopus lib. 3. ſermonum apud Joannem Gerardum Voſſium, Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 26. dier. Genial. Sextus Empiricus adverſùs Mathemat. lib. 8. Timon Phliaſius apud Politian. Miſcellan. cap. 35. impium, & Atheum criminantur. Sed hanc turpem notam elvere ab Euhemero conatur Hieronymus Columna in Vitâ Ennii pag. 25. *quadam alia opera* ſcripſiſſe cenſetur: nam citatur à Varrone de re ruſticâ lib. 1. cap. 1. Columella lib. 9. cap. 3. ab Hygino lib. 11. rerum Aſtronomic. cap. de Eniocho, Plinio lib. 26. cap. 12. à Pompejo Feſto ad Proverbium, Sus Minervam. Ex Placido Reina in Hiſtor. Meſſan. tom. 1. à pag. 210. ad pag. 218.

Cenſorinus inter Elegiographos, Voſſius, inter Poëtas Græcos Euchemerum numerant. Vixit Caſſandro Rege, cui maximè carus, longis peregrinationibus ſuſceptis Oceani meridionalem plagam luſtravit. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

CXIX.

EUMACHUS.

Eumachus inter Poëtas Siculos recenſetur à Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtar. Siculor.

CXX.

BEATUS EUSEBIUS AGYRENSIS.

B. Euſebius Monachus, Syriacè, ac Latinè doctus: incertum exinde infert Cajetanus, Syruſne, an genere Italus extiterit. Certè quidem domo Siculus Agyrenſis fuit. Nam divo Philippo, à Petro Apoſtolo ad ſerendam Evangelii ſementem, fugandoſque Dæmones, in Siciliam deſtinato, comes adhæſit, & cum eo ex Oriente Romam navigavit, hinc Agyram advenit. Hic fœderatis precum opibus cum Philippo procul exturbavere Dæmones, qui proximum Agyræ montem, cavernaſque

que adversùs Ætnam infeſti tenebant: quorum agmen deforme inſtar lapidum è montis vertice devolui, ac ſpecie ignis è templo prorumpere vidit Euſebius, qui Urbem, & propinquos Urbi ſeceſſus morâ ſuâ nobilitavit. Sed Orbiani Toparchæ metu Alexandriam conceſſit, ibique *Vitam, & Miracula Divi Philippi*, quæ conſcripſerat, propagavit. Tandem Agyram reverſus, in pace quievit. Ejus caput die 12. Maii feſto etiam ſolemni ritu, ac pompâ per Urbem circumducitur. *Narratio B. Euſebii Monachi de Vita, & Miraculis Divi Philippi, Apoſtolici Presbyteri, Dæmonum expulſoris*, extat apud Octavium Cajetanum tom. 1. Vitar. SS. Sicul. pag. 28. Sed pag. 33. Vita ejuſdem Beati Euſebii legitur ex Actis S. Philippi. Acta Euſebiana de S. Philippo Græcè ſcripta reperiebantur in Bibliothecâ Vaticanâ, Cryptæ Ferratæ, ac Meſſanenſis Cœnobii S. Salvatoris: latinè vertit Jacobus Sirmundus Societatis Jeſu, vir plane doctiſſimus. Eadem Acta latine extant in m. ss. codd. Eccleſiarum, Agyrenſis, Catanenſis, Syracuſanæ, & Panormitanæ, ex iiſdem Græcis fontibus deducta. Ex Octavio Cajetano Societ. Jeſu in Animad. ad Vitam S. Philippi pag. 21. tom. 1. Vitar. SS. Siculorum.

Agyram Urbem, cujus populum fidelem, fortiſſimum, locupletem, atque illuſtrem Cicero in Verrem V. appellavit, ab Argyrio dictam ferunt, quod latinè argenteum ſonat: nam argenti fodinas habet. Viventibus adhuc Jolajo, & Herculi templa dicavit, ſacris etiam celebrioribus inſtitutis. Sed Sancti Philippi appulſu tot, ac tantis beneficiis cumulata, ob extinctam Idololatriam, ob fugatas Dæmonum phalanges, Sanphilippus dici coepit, & etiamnum tam divinâ nomenclatione gloriatur. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Catan. pag. 106. qui pag. 107. quædam de B. Euſebio narrat, quæ parùm ſibi conſtant.

CXXI.

FABIUS.

Fabius Siculus Poëta. Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

CXXII.

FELIX EPISCOPUS MESSANENSIS.

FElix anno 590. Meſſanenſi Eccleſiæ præerat. Benedictinum inſtitutum profeſſus, eodem Auguſtinum, Anglorum Epiſcopum, & Apoſtolum, erudivit, ut Gregorius Magnus Pontifex Maximus, Felici ſcribens, apertè teſtatur. Quod ſcripſi Auguſtino, Anglorum gentis Epiſcopo, alumno, ut recordaris, tuo. Illum verò inſtituit Romæ in ipſius Gregorii Magni Cœnobio S. Andreæ, cujus præfecturam adminiſtrabat ex Uvione lib. 1. cap. 20. pag. 232. Ligni Vitæ, Joanne Diacono lib. 2. cap. 33. de Vitâ S. Gregorii Magni. Plures epiſtolas Felici Gregorius miſit, quas in Regiſtro videre eſt. Felix Gregorio unam dedit, in quâ Beatiſſimum Pontificem alloquens, cum eo ab infantiâ nutritum, edoctumque ſe ipſum meminit. Extat tom. 3. Concil. General. *Epiſtola Felicis Epiſcopi Meſſanenſis ad Gregorium Magnum P. O. M.* De Felice plura Rocchus Pyrrhus in Notit. Eccleſiæ Meſſan. à pag. 261. uſque ad pag. 286. Carolus Morabitus in Annal. Eccleſiæ Meſſan. pag. 117. & ſeqq.

CXXIII.

FILIÆ STESICHORI HIMERENSES.

FIliæ Steſichori Himerenſes, Luſciniæ parentis æmulatrices, celebres Poëtæ audierunt. Ex Conſtantino Laſcare.

CXXIV.

FLACCUS.

FLaccus Siculus ſub Claudio Nerone ſcripſit *Latinè de limitibus*. Ex Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Sicul. in Animadverſion. pag. 106.

Wilielmus Goëſius collegit, illuſtravit, atque edidit Auctores rei Agrariæ, unà cum Nicolai Rigaltii notis, & obſervationibus, nec non Gloſſario ejuſdem. Amſtelodami 1674. in 4. Sunt autem nomina veterum Auctorum, qui hoc volumine continentur. Siculus Flaccus, Julius Frontinus, &c.

CXXV.

FLAVIUS VOPISCUS SYRACUSANUS.

FLavius Vopiſcus Syracuſanus edidit *Vitam Aureliani Imperatoris, item Taciti Imperatoris, & fratris ejus Floriani: ad hæc Probi, quam ad Celſum* ſcripſit, nempe Rufum Celſum, ut in Firmo vocat. Edidit item *quadrigam Tyrannorum, Firmi, Saturnini, Proculi, & Bonoſi: præterea trigam Imperatorum, Cori puta, Numeriani, & Carini.* Neque præter iſta quæ hodie extant, quicquam vel ab ipſo Auctore, vel ab alio Scriptore citatur. Quâ vixerit ætate, non uno colligere eſt argumento: avum enim ſuum interfuiſſe dicit concioni, cùm Aper manu occideretur Diocletiani. In Carino autem quatuor hoſce Principes laudat, Diocletianum, Maximianum, Galerium, & Conſtantium, atque horum ſingulis libris vitam eſſe proditam ait à Claudio Euſthenio, qui Diocletiano ab epiſtolis erat: atque hoc idcirco à ſe dici, nequis rem tantam à ſe petat, maximè cùm virorum Principum vita non ſine reprehenſione dicatur. Unde liquet vixiſſe poſt obitum Conſtantii Chlori, qui Conſtantini Magni pater fuit. Attamen in Aureliano ait: & eſt quidem jam Conſtantius Imperator. Sed puto ab Aureliano ſcribendi initium fecit: Carinum verò in literis miſit poſt obitum Conſtantii. Vel hoc verum eſt, vel ſcribi debet: jam Conſtantinus Imperator: vel intelligendus Conſtantius, Conſtantini filius, & omnino verius, quod primo loco dicebam. Nam Aurelianum multò ante alios editum fuiſſe verba hæc oſtendunt in Probo: ſed non patiar ego ille, à quo dudum ſolus Aurelianus eſt expetitus, cujus vitam, quantum potui, perſecutus, Tacito, Florianoque jam ſcriptis; nonne ad Probi facta conſcendere, ſi vita ſuppetat, omnes, qui ſuperſunt, uſque ad Maximianum, Diocletianum dicturus. In

Vo-

Vopiſco præter eruditionem illud etiam laudamus, quod omnia ordine narrat meliori, quàm factum fuit à Spartiano, Capitolino, atque aliis Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptoribus, in quibus pleraque valde turbata. Cæterùm decreverat quoque memoriæ tradere *Vitam Apollonii Thianei* cujus magicas fraudes veris Chriſti miraculis opponebant Gentiles. Hunc impoſtorem Vopiſcus in Aureliano appellat celeberrimæ famæ, auctoritatiſque, ſapientem Philoſophum, amicum verum Deorum, ipſum verò pro numine frequentandum. Et poſt aliqua de eodem ait: quid enim illo viro ſanctius, venerabilius, antiquius, diviniuſque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam, ille multa ultra homines, & fecit, & dixit: quæ qui volet noſſe Græcos legat libros, qui de ejus Vitâ conſcripti ſunt. Ex his cognoſcere eſt, ut Vopiſcus magnis follibus propudioſa fuerit mendacia ſpiraturus, ſi ſcripſiſſet Vitam Apollonii, quam continuò pòſt promittit his verbis: ipſe autem, ſi vita ſuppetat, atque ipſius viri favori uſquequaque placuerit, breviter ſaltem tanti viri facta in literas mittam. Non quò illius viri geſta munere mei ſermonis indigeant; ſed, ut ea, quæ miranda ſunt, omnium voce prædicentur. Ex Joanne Gerardo Voſſio de Hiſtoric. Latinis lib. 2. pag. 193.

CXXVI.

FLORIDICUS ENNENSIS.

FLoridicus Ennenſis Medicus præclariſſimus, legitur apud Leonardum Orlandinum de Ætna pag. 32. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Catan. pag. 100.

CXXVII.

FRANCISCUS JOANNELLUS MESSANENSIS.

FRanciſcus Joannellus Meſſanenſis, Conſtantini Laſcaris in Græcis diſciplinis diſcipulus, multorum præceptor evaſit. Nam illuſtris Grammaticus Scholam habuit adoleſcentibus

Regio diademate inſignitus eſt. Annum agens vigeſimum Innocentii III. Pontificis Maximi interceſſione ab Germanorum Septem-viris Imperator contra Othonem IV. quem Pontifex, Pontificiæ ditionis agrum devaſtantem, Imperiali dignitate privaverat, creatus eſt: eoque armis Imperio pulſo, Romæ ab Honorio III. Pontifice Maximo Auguſtus ſalutatus, & inauguratus eſt. Hic multis in Italiâ, in Siciliâ bellis geſtis, Hieroſolymæque Regno Saracenis adempto; ætatis ſuæ quinquageſimo ſeptimo Tarenti moritur Idibus Decembris à Chriſto nato M C C L. Inde Panormum ejus cadaver translatum, in principe templo porphyreticho ſepulcro tumulatur, ubi ſequentes verſus leguntur.

Qui mare, qui terras, populos, & Regna ſubegit,
Cæſareum fregit ſubitò mors improba nomen.
Hìc jacet, ut cernis, Fridericus in orbe Secundus,
Quem lapis hic totus, cui mundus parvit, arcet.
Vixit annos 57. Imperii 38. Regni Hieroſol.
25. Siciliæ 57. obiit anno 1250.

Non vacat Auctorum opiniones examinare, quo anno ortus fuerit, quandiu Rex Siciliæ, Hieroſolymæque, aut Imperator vixerit: etenim hac in re multiplex ſententia jactatur. Verùm conſtanter tenendum Panormi ortum eſſe conſtanti Panormitanorum traditione, qui locum indicant in mediâ principis templi areâ, ubi Conſtantia, ne ſuppoſititii filii ſuſpicio naſceretur, Fridericum ſub tentorio peperit, ſterilitate ipsâ prælætitiâ geſtiente. Confirmat Veterum traditionem multorum Auctorum ſuffragium, quos videre eſt apud Auguſtinum Invegium quibus idem Invegius aſtipulatur, tom. 3. Annal. Panormit. pag. 494. 495.

Hunc linguarum Latinæ, Græcæ, Saracenicæ, & Germanicæ peritiſſimum, in bonarum artium profeſſores, & Academiarum proventus augendos liberaliſſimum extitiſſe affirmant. Effecit inſuper, ut Ptolemæi Almageſtum ex Saracenico idiomate latinitate donaretur, & eâ occaſione Mathematicæ diſciplinæ, quæ multis jam annis Europâ exulaverant, veluti poſtliminio redierunt. Primus etiam medendi arte nobiles Auctores Europæ oſtendit. Prætereà ſub idem tempus Italica Poëſis Pa-

normi, & Meſſanæ, ubi Rex morabatur, habuiſſe primordia tradunt plerique docti viri, eumque ſcripſiſſe *carmina Italica*, illi ſeculo minimè iniucunda. Leo Allatius, genere Chius, eruditè diſſerit hac de re in Epiſtolâ nuncupatoriâ Poëtarum antiquorum Italorum ad Academicos Meſſanenſes, & nonnullorum Siculorum carmina, ex codicibus manu exaratis pervetuſtis in lucem prodit: quorum Elogia ſuis in locis ſine fuco, & phaleris dabimus. Ex Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ, Thoma Fazello, & Huberto Goltzio in Hiſtoriâ Siculâ, Leone Allatio de Poë tis antiquis Italis.

CXXX.

FRONTINUS.

FRontinus Siculus ſub Claudio Nerone ſcripſit *latinè de aquæductibus*. Ex Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Animad. pag. 106.

CXXXI.

FULGIDAS GELENSIS.

FUlgidas Gelenſis Geometra. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Agrigentinæ de Scriptoribus Gelenſibus pag. 344.

CXXXII.

GEORGIUS.

GEorgius cognomento Siculus inter Poëtas Siculos recenſetur à Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

CXXXIII.

GEORGIUS EPISCOPUS SYRACUSANUS.

GEorgius Epiſcopus Syracuſanus, anno Chriſti Servatoris 663. ſanctitate, ac literis floruit. Sub ejus Pontificatu Con-

Conſtantium Imperatorem Syracuſis necatum tradit Anaſtaſius Bibliothecarius in Vitâ Vitaliani Papæ. Nam Conſtantius cùm Syracuſis ſextum annum ageret, & avarè, nec majorum more, aut juris formâ, ſed tyrannicè tributa ex Siciliæ Urbibus exigeret, adeò ut multi non ſolùm fortunis, ſed etiam uxoribus, & liberis ſpoliarentur; meritò in odium civium traductus, dum molliter, ac libidinosè in balneis lavaretur, ſaponeque Gallico deliniretur, ab Andrea Troyli filio, cæteriſque ſuis domeſticis ferventi ſitulâ in verticem ejus injectâ excerebratus occubuit, 15. Julii anno 668. Georgius autem occiſus eſt in loco, qui Maran vocabatur, ſepultuſque in æde S. Anaſtaſiæ de Ollis. Subdubitat autem Cajetanus, num à Saracenis fuerit interemptus, cùm Syracuſas diripuerunt, & odio in Chriſti fidem acti Religionis noſtræ capita, & nervos maximè deiicere, ac diſſolvere conati ſunt. Planè ad viri laudem facit ea occiſionis memoria, & ſepulturæ. Dicitur eum didiciſſe Conſtantinopoli, & *Troparia, quæ in Chriſti nativitate canuntur, & in Epiphania*, feciſſe. Ex Anaſtaſio Bibliothecario in Vitâ Vitaliani Papæ, Thomâ Fazello de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 6. pag. 405. Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 137. Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Appendice pag. 472.

Troparium autem, eſt ſectio Canonis Pſaltici. Nam in Eccleſiâ Orientali certis diebus certos Canones canebant, quos in Troparia dividebant, plerumque in triginta, ſed unum magnum Canonem in CCL. Vide Meurſium in Gloſsâ Græcolatin. Ex Joanne Paſſerat. in Diction. Calepini.

Sed Dominicus, & Carolus Magrus, germani fratres Melitenſes, in Hiero-Lexico literâ T. verbo Tropus rem enucleatiùs explicant. Tropus genus Monaſtici cantus, qui ante Miſſæ introitum in ſolemnitatibus dici ſolebat, à Divo Gregorio Papa, ut refert Durandus lib. 4. cap. 1. inſtitutus. Et eſt ejuſmodi: exempli gratia in die Nativitatis Domini Introitus prioris Miſſæ incipit: ecce adeſt, de quo Prophetæ cecinerunt, & poſteà immediatè ſenſum continuando Introitum coniungebant, Puer natus eſt, &c. Vox enim Tropus converſionem, & revolutionem ſignificat. Nam recitantur eadem verba: & ideo à Joanne Beleth cap. 19. dicitur zona, quia tanquam cingulum ambo-

rum

rum ſenſuum capita connodat. Ac Tropanarius dicebatur liber, in quo continebantur ejuſmodi Tropi. Græci tamen Troparium vocant nonnullas preces, quàs ſæpè in Horis Canonicis canunt. Hæc Magrus.

CXXXIV.

GOFFREDUS RIZARUS CATANENSIS.

GOffredus Rizarus Catanenſis, Alphonſo Regi à Conſiliis, nobilis, & egregius legum Doctor, prudentiâ, fide, memoriâ tandem, quâ veluti codice utebatur, inſignis, nomen non modò Siculorum Elogiis, ſed etiam faſtis æternitatis inſcribendum ſibi peperit. Ex Joanne Baptiſta de Groſſis in Decacordo Catan. chordâ 9. pag. 147.

CXXXV.

GORGIAS LEONTINUS.

GOrgias Leontinus Orator Subtilis, diſcipulus Empedoclis, ac Tiſiæ. Primus Athenis artem Oratoriam publicè legit, multoſque docuit. *Plura in arte* edidit, *plura* compoſuit. Hujus *tres* extant *Orationes*, quas ego legi, ait Laſcaris, in Bibliothecâ Florentinâ Divi Marci. Ex Conſtantino Laſcare.

Gorgias Leontinus Caramantidæ filius fuit, ſi Philoſtrato, & Pauſaniæ, aut Philolai, ſi Æliano credimus, Empedoclis diſcipulus, ut refert Quintilianus. Præceptor fuit Poli Agrigentini, Periclis, Iſocratis, Alcidamanti, & complurium Philoſophorum, atque Oratorum. Gorgiæ tanquam patri quicquid habet ars ſophiſtica ingenii jure debet, ut auctor eſt Philoſtratus, qui vitam ejus exactè ſcripſit. Vehementia præterea in dicendo, paradoxorum ſpiritus, magniloquentia, elocutio, tranſgreſſio adiectiones, verba etiam poëtica, ornatus, gratia, ex quibus oratio tùm dulcis, tùm potens emanaret; Gorgiæ inventionis eſt opus. In Panegyricis quoque eminentiſſimus eſt viſus: in Oratoriâ, ac Sophiſticâ arte uſque adeo fuit eminens, ut ſingulis annis à diſcipulis centum minas aſſequeretur, & alios ex patro-

trociniis dicendi quæſtus faceret. Hic, ut Plato, & Cicero tradunt, de quacumque re in diſceptationem, quæſtionemque vocatus copioſiſſimè ſe dicturum profitebatur, auſuſque eſt in conventu omnium ex ſingulis poſcere, quâ de re quiſque vellet audire. Hic hominum primus, & auream ſtatuam, & ſolidam, quæ ſuam effigiem ad vivum propè exprimebat, ſeptuageſimâ circiter Olympiade, cùm *Orationem Pythicam* ex arâ habuiſſet, Delphis in templo Apollinis ſibi poſuit, ut lib. 10. ſcribit Pauſanias: cùm cæteris non aurea, ſed deaurata ſurrigeretur: tantus fuit ejus docendæ artis Oratoriæ quæſtus, ut Philoſtratus, Cicero, Diodorus, & Plinius memorant. Hic ob eloquentiam, famam, & commendationem à Leontinis inter Legatos primus pro auxiliis contra Syracuſanos impetrandis Athenas miſſus eſt. Ingreſſus Urbem, cùm in Senatum, ac populi conventum adductus eſſet, *Orationem* habuit, maximâ acrimoniâ, arte dicendi, exercitationis inventione, ac declamandi modo, atque peritiâ adeò inſignem; ut licèt Athenienſes ingenio ſummo, ſummâque eloquentiâ pollerent, & novitatem ejus ſermonis, & colorum Rhetoricorum pinguedinem, à communi artificio differentem admirati, præſidium, quod poſtulabat, libenter conceſſerunt. Hinc, ut Suidas Scribit, ut Athenis publicè Artem Oratoriam profiteretur, verbis ſimul, & ſummis cum præmiis adduxerunt. Ubi diu cum incredibili omnium admiratione, attentioneque avidiſſimè audiretur; Critiam, & Alcibiadem, ambos ætate florentes, Periclem quoque, ac Thucydidem ſeneſcentes ſibi devinxit. Tandem viſendæ patriæ deſiderio impetratâ ab Senatu veniâ in Siciliam profectus Leontinum pervenit. Patriâ reviſâ, ſalutatiſque laribus, in quibus fuerat educatus, quorum adhuc in regione Caſtelli novi diruta Leontini oſtendunt veſtigia, quaſi ſitim extinxiſſet, Athenas reverſus eſt. Ubi tandem inediâ, ac ſenio ſummo confectus occubuit: cujus funus tanto honore ſunt proſecuti, ut cùm cæteri Areopagitæ æneâ tantùm ſtatuâ pro juſtis donarentur, Gorgiam ſolùm aureâ inſculpi ſanxerint. Uixit autem annos centum, & octo, ſive CIX. ut Apollodorus tradit, eo corporis robore, ac ſenſuum integritate, ingenio vegeto, & memoriâ firmâ, ut interrogatus, cur tandiu vivere vellet? Reſpondiſſe dicatur à Cicerone,

ni-

nihil ſe habere, quod ſenectutem incuſaret. Interrogatus iterum cauſam tàm longæ ſenectutis, & valetudinis in omnibus ſenſibus vigentis? Reſpondiſſe à Luciano in Macrobiis traditur, quòd aliorum convivia non ſit ſectatus. Quo factum eſt, ut in adagium Gorgiæ ſenectus, pervenerit. Cùm itaque Gorgias ad ſupremum ſenectutis perveniſſet, infirmitate detentus, ac morti vicinus, in ſomnum dilapſus eſt. Tunc ad eum quidam accedens, quæſivit, quid ageret? cui ille reſpondit: jam me ſomnus incipit fratri tradere: mortem ſomni fratrem appellans, ut Ælianus lib. 2. refert. Hujus viri *tres* hodie *Orationes* extant Florentiæ in Bibliothecâ divi Marci Ordinis Prædicatorum. Ex Thoma Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 3. pag. 73. 74.

De Gorgiâ Leontino multa comminiſcitur Philadelphus Mugnos in ſuo novo Laërtio pag. 48. 49. quæ nullius pretii erit huc ingerere. Multa prætereà ſparſa leguntur apud Veteres de Gorgiâ, ex quibus duo proferam.

Iſocrates, Theodori filius, Erechtienſis, qui puer ità ingenuè inſtitutus eſt, ut quiſquam alius Athenienſium, Prodicum Ceum, Gorgiam Leontinum, Tiſiam Syracuſanum, Theramenem Rhetorem audivit. Scripſit Panegyricum annis ante exitum X. aut, ſi aliis credendum, XV. quem è Gorgiæ Leontini, & Lyſiæ ſcriptis fertur tranſtuliſſe, de Permutatione, annos natus XXCII. ad Philippum paulò ante obitum. In ejus ſepulcro fuit menſa, Poëtas, & Magiſtros ejuſdem habens, inter quos Gorgiam, intuentem, in cęleſtem globum aſtante Iſocrate. Ex Plutarcho de Vitis X. Rhetorum in Iſocrate.

Xenophon hoc modo in amicitiā Cyri venit: erat illi familiaris quidam Proxenus nomine, Bæotius genere, Diſcipulus Gorgiæ Leontini, Cyro notus, & carus. Is apud Cyrum Sardis morabatur: ſcripſit autem Xenophonti epiſtolam Athenas illum accerſens, & Cyro amicum fieri ſuadens. Xenophon autem, & Socratis, & Oraculi Delphici monitis ad Cyrum acceſſit, in cujus animum ità ſeſe inſinuavit, ut non minùs illi amicus, caruſque fuerit, quàm Proxenus. Ex Laërtio de Vitis Philoſophor. lib. 2. in Xenophonte.

Gorgiam poſt Salomonem cæteris præferendum dixit Petrus Gregorius Toloſanus, qui Comment. Artis Mirabilis cap.

7. pag.

7. pag. 116. 117. 118. latè diſſerit de Gorgia Leontino.

CXXXVI.

GORGODORUS LEONTINUS.

Gorgodorus Leontinus, Philoſophus, & Geometra, Philolai Mechanici filius, Tiſiam primùm audivit, poſtea Tarentum acceſſit ab Archytâ Tarentino Geometriæ addiſcendæ causâ. Is Archytas Platonem, cujus in Geometriâ diſcipulus fuerat, per literas monuit, ut ex Siciliâ diſcederet, quòd Dionyſius, Tyrannus Syracuſanorum, de eo necando cogitaret. Columbam ligneam tàm affabrè effinxit, libravitque, ut vivæ volatum imitaretur. Cæterùm Gorgodorus ſub Archytæ diſciplinâ magnos proventus fecit, adeò ut in patriam rèverſus, Gallum automatum, ſive à ſeipſo ſaltitantem efformaverit, &, ut Hermodorus tradit, accepto per ſpiramenta quædam aëre Galli cantus æmulantem. Hunc Auctor dono dedit Olympio, Leontinæ Reipublicæ Principi, qui C. Plauto, Conſuli Romano, amico ſuo miſit. Vixit annos 86. devixit anno mundi 3616. Ex Philadelpho Mugnos in Raptu Proſerpinæ pag. 9. in ſuo novo Laërtio pag. 51. 52. ab urbe conditâ 401. ſecundùm Timæum apud Teophilum.

CXXXVII.

SANCTUS GREGORIUS EPISCOPUS AGRIGENTINUS.

S. Gregorius Monachus Baſilianus, Epiſcopus Agrigentinus, Prætoriæ, in vico Agrigentino, patre Charitone, matre verò Theodote, nobilibus, parentibus, anno circiter 524. Juſtino ſeniore Imperatore, ortus, à S. Potamione Antiſtite undâ luſtrali aſpergitur. Sub Donato Agrigentino rationem, ac convenientiam numerorum, feſtorumque dierum ambitus triennio perfectiſſimè comprehendit, atque ad alta, ſolidaque progreſſus, Davidis carmina perdidicit. Duodennis Clericis annumeratus, Donato Bibliothecario erudiendus traditur. Angeli monitu inſciâ domo ad littus deſcendens, conſcenſâ navi, quæ in promptu erat, Carthaginem primò, dein verò tribus

adjunctis Monachis viæ comitibus Hieroſolymam appellit. Macarius Patriarcha perſpectâ ejus indole in Diaconorum numerum adlegit. Monachorum familias luſtrans cum pietatis fructu, in quendam ſapientiſſimum ſenem incidit, apud quem annos quatuor commoratus, dicendi facultatem omnem, Philoſophiam, Aſtronomiam, itemque Grammaticam ſibi comparavit, adeo vt alter Chryſoſtomus diceretur. Hieroſolymâ digreſſus, Antiochiam pervenit, hoſpitio exceptus à S. Euſtathio, Urbis Archiepiſcopo, in quâ S. Baſilius Magnus Hexameron eſt interpretatus: & ipſe *de dogmatibus tàm egregios ſermones* habere cæpit, ut ex Antiochenis Sapientibus par illi eſſe nemo poſſet: quippe quem gratia Spiritus Sancti ornarat. Poſt annum Conſtantinopolim appulit, ubi Divi Chryſoſtomi libros evoluens, ſeipſum negligentiæ incuſabat. Inde ſacrarum literarum ſtudio celebrati famâ ità cœpit, ut Patriarcha, idemque doctiſſimus, familiares ſuos exploratum miſerit, quorum nuncio accepit à Gregorii doctrinâ rumorem ſuperari. Igitur eo advocato, apud ſe detinuit, noctu, diuque mutuis diſceptationibus in longum protractis. Invaleſcente tunc temporis Sergii, Cyri, & Pauli hæreſi, *multas* edidit *cùm ad docendum, tùm ad laudandum compoſitas orationes*; In Concilio in locum Epiſcopi Sardicæ Conſtantiæ Cypri ſubrogatus, Hæreticorum errores tàm feliciter convellit, ut læti Patres diſceſſerint, eidem cęleſtem ſapientiam gratulantes, idemque Juſtinianus Imperator ad colloqium ex poſceret. In Quintâ Synodo Oecumenicâ Conſtantinopolitanâ II., ſub Vigilio Pontifice anno 553. coactâ, Gregorius vitæ ſanctitate, eloquentiâ, & veritatis doctrinâ, omnibus propè ſuperior apparuit, ex Nicephori teſtimonio. Romam veniens ad ſacra loca inviſenda, ubi certior de adventu Pontifex factus, deque rebus præclarè geſtis à Gregorio, Epiſcopum Agrigentinum creat, demiſsâ cęlitus columbâ latitantem indicante, diſſentientibus intereà factionibus pro novo Epiſcopo Agrigenteligendo. Cùm Agrigentum pervenit, miraculis ubique locoi rum patratis, templum ingrediens columbam iterum ſupervolantem ſanctitatis ſuæ præconem meruit. Per feram calumniam ſtupro accuſatus, Romæ detectâ innocentiâ in patriam remittitur: etiam ab Apoſtolo Petro, & Paulo in cuſtodiâ vinculis

culis exſolutus, aliiſque portentis cœlum innocentiæ teſtem habuit. Conſtantinopolim iterum adivit, ubi Cineralibus feriis verba fecit *de dogmatibus, de jejuniis ipſis Cineralibus, de Petro Apoſtolorum Principe, deque aliis rebus*. Cumulatus honoribus, præmiiſque ab Imperatore, Romana limina per viam exoſculatus, Agrigentum venit, ubi miraculis illuſtris ad patriam viventium migravit, incerto anno, quo vitâ exceſſerit. Cæterùm ex temporum ſupputatione ad annum 564. exceſſum S. Gregorii Epiſcopi Agrigentini Cajetanus notat in Animadverſionibus ad ejus Vitam pag. 167. & pag. 175. refert Breviarium Vitæ ex Græco codice m. s. Veneto, quem Conſtantinus Cajetanus Octavio germano fratri ſuo miſerat, ab ipſo latinè reddito, deprompitam. Pag. verò 188. tom. 1. Vitar. SS. Sicul. adducit Vitam Gregorii, Epiſcopi Agrigentini, Auctore Leontio Presbytero Monacho, & Præfecto Monaſterii Sancti Sabæ in Urbe Româ, Synchrono, ex quo pauca delibavimus, nec non ex Nicephoro lib. 17. cap. 17. Vitam à Metaphraſte conſcriptam refert Laurentius Surius tom. ultimo ad diem 29. Novembris, eandem refert Gregorius Polydorus in ſuo Gregoriano pag. 48. Ejus memoria colitur Agrigenti ex Martyrologio Romano, Menologio Græcorum, & Menæis, apud Octavium Cajetanum in Martyrologio Siculo pag. 142. Novembris 23.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Sicilienſium ità de S. Gregorio Agrigentino legimus.

Prætoriam,
Agrigenti ſuburbanum vicum,
natalibus ſuis nobilitavit Gregorius.
Ex Agrigentino gymnaſio,
ex quo Donatus præceptor
rude donatum dimiſerat,
ad feras erudiendas proficiſcens in Africam,
Chriſtianus Peripateticus
mundi contemptum ambulando docuit.
Beatus, cùm ærumnoſus,
Macarii, Patriarchæ Hieroſolymitani, hoſpitium,
quòd in limine in honores offenderat,
actutum reliquit.

Gregorio Nazianzeno
par habitus eloquentiâ,
eidem Pontificiâ dignitate par eſt effectus.
Adhuc oblatam à Vigilio thiaram
reſpuiſſet,
niſi columbæ indicio à Deo ſe factum Antiſtitem deprehendens,
Deo, quàm ſibi, placere maluiſſet.
Agrigentinæ telluris, cujus fuerat inquilinus,
jam initiatus agricola, & paſtor,
cùm amputare cœpiſſet vitia,
& afflicto gregi, quantum poſſet, mederi:
incidit in convitia,
& alieno malo propè contabuit.
Sabini, & Creſcentii laboravit invidiâ:
ab Exarcho delatus in cuſtodiam,
è cuſtodiâ delatus ad judices,
ut capitali ſupplicio affectus, cuſtodiâ liberaretur;
flagitioſis accuſatoribus damnatis, de flagitio abſolvitur.
Obſeſſam inſidiis ſtationem
paulò poſt cùm ſecuriore mutavit,
pro terrenâ cuſtodiâ
in æterna tabernacula receptus.

Gregorium alterum, maximis in Chriſtianam Rempublicam promeritis cognomento Magnum, Pontificem Optimum Maximum, paulò poſt Gregorium Epiſcopum Agrigentinũ, ſupremum Numen ſingulari beneficio terris conceſſit. Illum in Siciliâ genitum ex Silviâ Octaviâ, ſanctiſſimâ parente Siculâ, Gordiani Romæ Senatoris coniuge, nonnemo ſcribit: at ſaltem Romæ in paternâ domo Siculorum magiſterio educatum, Siculos deinde alumnos aliquot ſibi cariſſimos habuiſſe, omnes tradunt. Certè quidem ipſum fuiſſe Siculæ rei ſtudioſiſſimum, & Cœnobia fundamentis condita, inſtitutaque ampliſſimi patrimonii hæredes, & Sicilienſium Eccleſiarum dignitas non minimùm aucta, firmataque, declarant. Quanquam autem hæc, aliaque nomina deeſſent, quibus monumentum quoddam in hoc Siculorum literatorum theatro ſibi vendicaret; illum hîc non omittendum cenſuimus. ob nominis ſimilitudinem, & co-

lumbæ

lumbæ prodigium: quibus Gregorius Magnus, P. O. M. cum Gregorio verè Magno Epiſcopo Agrigentino quoquomodo convenit, & alter alterius coronis videtur.

S. Gregorius I. cognomento Magnus, maternis etiam num clauſus viſceribus, quantus eſſet futurus, à Patriarchâ Benedicto Silviæ Octaviæ matri, cùm ſanctiſſimum cognatum adhuc uterum geſtans inviſeret, prænunciatus fuit. Ex Monacho, & Abbate S. Andreæ in Urbe, S. R. E. Cardinalis electus, ſtatim ad Tiberium Cæſarem Conſtantinopolim Legatus, Eutychium Patriarcham Hæreticum ita convicit;ut ejus librum Imperator in ignem iniiceret, & Eutychius paulò poſt morbo confectus reſipiſceret errore palam damnato. Summo omnium conſenſu Pontifex Romanus ſalutatus, cùm Urbe profugeret, columnæ igneæ indicio proditus,& retractus, non Imperii ſolùm utriuſque Provinciis, ſed Barbaris etiam extremi Orbis regnis mirè profuit. Et primo quidem Pontificatus anno ab ipſo Romani Imperii capite, Româ, peſtilentiſſimam luem viſis portentis avertit. Proximum de Italiâ meritum: eam enim comportato undique frumento, diſtributis in pauperis infinitis propemodùm eleemoſynis, fame liberavit. Tùm ad reliquum Imperii, regioneſque longinquas converſus, Orthodoxis Epiſcopis mandavit, nequod per ignaviam Chriſtiano gregi malum accideret. In Africâ Donatiſtas, & Schimaticos mirâ dexteritate oppreſſit: in Hiberniâ etiam palabundos populos ad frugem revocavit. Tùm Joannem Ravennatum Epiſcopum, deinde Dalmatiæ Pontifices correxit. Totus ad Hæreſes profligandas intentus, è Siciliâ Manichæos expulit, Ethnicos, quoſque Judaicæ ſuperſtitioni mancipatos noverat, in ſemitam veritatis traduxit. Poſteà Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani audaciam, ſibi univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi nomen arrogantis, feliciſſimè fregit. Hiſpaniæ Regnis conſuluit, Urbis templis, quæ à Gothis vaſtata, cæteriſque in integrum reſtitutis. Miſſis in Angliam Auguſtino, & ſociis Edelbertum Regem cum omni familiâ convertit, Eccleſias conſtruxit, & per Regnum univerſum, Epiſcopatus, ſcholaſque publicas inſtituit. Agilulphum, Longobardorum Regem, Urbi, atque Italiæ ingruentem, propulſavit. Schiſmaticos in Iſtriæ finibus ad unitatem reduxit. Et quamvis

vis lecto ob afflictiſſimam valetudinem perpetuò ferè decumbere cogeretur; totum tamen terrarum orbem literis circumvolando luſtravit. Gallias Simoniacâ labe purgavit, Germanias properantibus eò diſcipulis juvit. Concilia, quibus Eccleſiæ utilius, aut excogitari nil poteſt, diverſis paſſim in Regnis, in Hiſpaniâ, Africâ, Numidiâ, &c. coëgit, & lectiſſimæ virtutis homines eiſdem ſuo nomine præeſſe voluit. Arrianos dein in Hiſpaniâ, Agnoëtas Alexandriæ, &c. opportunis legationibus compreſſit. Romanum denique Imperium à graviſſimâ bellorum clade, pace inter Imperatorem, & Agilulphum Regem compoſitâ, eripuit, Agilulpho ipſo ab Arianiſmo ad Eccleſiæ Romanæ gremium aggregato. Ad hæc, ne poſteritas careret, & literaria Reſpublica meritas gratias Gregorio rependeret; Gregorius Romanum Breviarium ordinavit, officio Eccleſiaſticarum precum elegantiore ſtylo, & compendioſiore inſtaurato. Miſſæ ſacrificium ita digeſſit, auxitque, ut ejus quaſi Auctor habeatur. Antiphonarium, tot ſeculis tantâ cum fidelium voluptate decantatum, compoſuit. Plurium feſtorum Officia in commodiorem uſum redegit, Circumciſionis Domini, Commemorationis S. Pauli, plurium Sanctorum Pontificum, Dedicationis Eccleſiæ, atque aliorum, ſummo etiam ipſorum Cœlitum applauſu, tanto temporum decurſu celebratorum. Ut de orationibus Eccleſiæ pleriſque, hymnis, atque aliis operibus, in magnis voluminibus contentis, ab eodem compoſitis, nil dicamus. Dum hæc moliretur, Spiritus Sanctus candidiſſima columbæ ſpecie in aurem ipſi dictare viſus eſt. Fuit enim, uti de vivente adhuc S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus inquit, Organum Spiritus Sancti, per cujus gratiam tantum ſcientiæ lumine præditus evaſit, ut non præſentium modò temporum quiſquam Doctorum, ſed nec in præteritis ipſi par fuerit unquam. Et S. Ildephonſus: nihil ei ſimile antiquitas demonſtrat: nam ſanctitate vicit Antonium, eloquentiâ Cyprianum, Auguſtinum ſapientiâ, & aliis virtutibus excelluit, &c. Synodus Toletana 8. cunctis Eccleſiæ Doctoribus præferendum cenſuit. Pontificatus anno 13. menſe 6. die 10. deceſſit. Ab ipſis Græcis etiam ſolemni anniverſariâ memoriâ colitur. Martii 12. S. Gregorii opera lege apud Robertum Bellarminum de

Scri-

Scriptoribus Eccleſiaſticis. Cæterùm de Gregorio Magno Elogium conciſius ſubdere libuit ex Buſſieres.

Italia interim peſſum ibat vaſtatione Longobardorum, ſævitiâ peſtilentiæ, & aquaruminundatione; niſi pietàte Gregorii Magni ſuffulta inhibuiſſet præcipitem caſum. Is ex Præfecto Urbis Benedictinæ familiæ ſponte adſcriptus, & renitens anno 590. in ſummum Pontificem lectus, religionis, liberalitatis, fortitudinis, privatæ pietatis, & doctrinæ viuum exemplar; ea geſſit, ſcripſit, & paſſus eſt, ægritudinem corporis emendans animi valetudine, ut ſtabilimentum Eccleſiæ, Romæ ſecuritas, pauperum pater, Doctor pietatis, non modò annis ſexdecim, quibus ſedit, ſed futuris ſeculis fuerit. Verè magnus, quoquo modo magnitudinem metiaris. Ex Joanne de Buſſieres Societ. Jeſu in Floſculis Hiſtor. ad annum Christi 583.

CXXXVIII.

GREGORIUS CERAMEUS, ARCHIEPISCOPUS TAUROMENITANUS.

GRegorius Cerameus, Archiepiſcopus Tauromenitanus, doctiſſimus, idemque eloquentiſſimus. Scripſit *Homilias in Evangelia, deque aliis argumentis*, è quarum numero multa m.s. leguntur. Meminit illius Conradus Geſnerus, Auctor damnatus, in Bibliothecâ. Hunc à Theophane Cerameo diverſum Eccleſiæ Tauromenitanæ præfuiſſe anno 878. cenſet Rocchus Pyrrhus in Notit. Eccleſ. Taurom. pag. 444.

CXXXIX.

GUALTERIUS PATERNIO CATANENSIS.

GUalterius Paternio Catanenſis, Aragonenſibus, ac Siculis Regibus, à ſtirpe, fide, virtute, obſequiis denique pretioſus, Siciliæ Protonotarius, Magnæ Regiæ Curiæ perpetuus Judex, ac tandem Præſes. *Ad caput Volentes erudita Commentaria* dedit, Franciſco Milanenſi commednata. Ex Joanne Baptiſta de Groſſis in Dechacordo Catan. cordâ 9. pag. 147. GUI-

CXL.

GUIDO COLUMNA MESSANENSIS.

GUido Columna Meſſanenſis, Juris peritus excellentiſſimus, Regiæ Siciliæ Curiæ Judex, & Poëta nobiliſſimus. Scripſit *Latino, & Italico ſermone Hiſtoriam Trojanam*. Hiſtoria Trojana Italicæ cōſcripta in Bibliothecâ Magni Ducis Florentiæ aſſervabatur: eam à primoribus paginis exſcriptam cùm Senatus Meſſanenſis obtinuiſſet, Accademici Meſſanenſes ſummâ diligentiâ typis imprimendam curaverunt. Prodivit in lucem Neapoli apud Ægidium longum 1665. in 4. Senatui Meſſanenſi dicata. Scripſit quoque rudi ſeculo Carmina Italica, quæ unà cum aliorum veterum carminibus Allatius edidit. Ex Placido Samperio Societ. Jeſu in Iconolog. Virgin. Meſſan; & Leone Allatio de Poëtis Italis Antiquioribus.

CXLI.

HALIANACTES HIMERENSIS.

HAlianactes Himerenſis, Stheſicori germanus frater, *leges* tulit, ſingulari ſcientiâ, & prudentiâ præditus. Ex Conſtantino Laſcare.

CXLII.

HEGESIAS SYRACUSANUS.

HEgeſias, filius Soſtrati Syracuſani, ex matre à Stymphalo, Arcadiæ urbe, Jamique, quem infantem Pindarus, & eum imitati Græci à Draconibus melle, quod apibus ſubduxerant, enutritum fuiſſe ſcribunt, nepos, Syracuſis, ubi ortum habuit, Rempublicam geſſit. Ad fatidicâ poſteà Piſæ aram Vates Olympicus effectus eſt. Subinde Olympiade circiter 84. Olympiacâ victoriâ currù mulabus ducto, conſpicuus extitit, ut 6. Ode in Olymp. Pindarus teſtatur. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 4. pag. 105.

HEN-

CXLIII.

HENRICUS ARISTIPPUS CATANENSIS.

HEnricus Ariſtippus Catanenſis, Principis Eccleſiæ Archidiaconus, Græcis, Latiniſque literis eruditus, Gulielmo I. Siciliæ Regi familiaris, Fazello, & Hugoni Falcando commendatur. Ex Joanne Baptiſta de Groſſis in Dechacordo Catan. chordâ 9. pag. 145.

CXLIV.

HENRICUS DE SIMONE DREPANENSIS.

HEnricus de Simone Drepanenſis, nobilis genere, Theologus eximius, ſcripſit *Commentaria in Ariſtotelis Philoſophiam* anno 1422. Eugenio IV. dicata. Fundavit Panormi Collegium Canonicorum S. Georgii in Algâ Venetiarum in templo S. Jacobi Mazaræ, cui Bibliothecam, libris manu exaratis, aureiſque lineis exornatis, inſtructam, reliquit. Ex Leonardo Orlandino in Deſcription. Drepan. de Scriptor. Drepan. pag. 48.

CXLV.

HENRICUS TESTA LEONTINUS.

HEnricus Teſta Leontinus, Italicæ Poëſi, vel natales dedit, vel incrementa. Scripſit *Carmina*. Ex Leone Allatio de Poetis Italis Antiquioribus.

CXLVI.

HERMOCRATES SYRACUSANUS.

HErmocrates Syracuſanus, vir ſanè politicus, & amator patriæ, miráque doctrinâ ornatus, pater Dionyſii ſenioris, ſive Socer. Ex Conſtantino Laſcare.

CXLVII.

HERMODORUS PANORMITANUS.

Hermodorus Panormitanus, Artem Hiſtoricam, & Philoſophiam à Timæophonte Leontino didicit, è cujus ſcholâ plures Philoſophi, & Oratores inſignes prodierunt. Ex Philadelpho Mugnos in Novo Laërtio de Timæophonte pag. 102. 103. & pag. 125.

CXLVIII.

HERODICUS LEONTINUS.

Herodicus Leontinus, frater Gorgiæ, Medicus celeberrimus. Ex Conſtantino Laſcare.

In Vitâ Hippocratis Coi legitur: cæterùm parentis ſui Heraclidis diſcipulus fuit, deinde Herodici, &, ut quidam tradunt, Gorgiam Leontinum Rhetorem audivit. In epiſtolâ quadam, Herodoto Halicarnaſſæo ſcriptâ, Hippocrates Herodici methodum medendi ejuſque in pharmacis componendis peritiam laudat. Herodicum Socratis, aliorumque Philoſophorum præceptorem fuiſſe refert Carolus Antonius Converſanus in Æthereâ Leontinorum gloriâ pag.9. Primum omnium Artem Medicam in Siciliâ profeſſum narrat Mugnos, vixiſſe annos 106. ad annum mundi 3530. Philadelphus Mugnos meminit de Herodico in Triumpho Leontino, in Raptu Proſerpinæ, paſſim in Novo Laërtio.

CXLIX.

HICETAS SYRACUSANUS.

Hicetas Syracuſanus, Philoſophus, dixit omnia fieri harmoniâ, & neceſſitate, terramque moveri juxta primum Circulum, ut ait Laërtius. Ex Conſtantino Laſcare.

CL.

HIERON LEONTINUS.

Hieron Leontinus, Urconidis, Leontinæ Reipublicæ Senatoris, filius, in ſcholâ Steſichori, dum is Catanæ moraretur, in arte Poëticâ eruditus, ſuavitate carminis peregriniſque inventionibus maximè gratus. Scripſit *Vitam Phalaridis, Tyranni Agrigentinorum, & Tarquinii Superbi, Romanorum Regis, verſu priſca illa ætate adinvento*. Urbanis Magiſtratibus regendis etiam adhibitus, deceſſit anno poſt orbem conditum 3509, ætatis ſuæ 81. Ex Philadelpho Mugnos in novo Laërtio pag. 130 in Triumpho Leontino, & in Raptu Proſerpinæ.

CLI.

HIERON TYRANNUS SYRACUSANORUM.

Hieron Syracuſanus, Tyrannus, Ditromedis filius, frater Gelonis, liberalis, & beneficus in Literatos, & Muſicos. Ex Conſtantino Laſcare.

Hieron Syracuſanus, cùm eſſet ex Duce Rex factus, populi Romani perpetuus amicus fuit: atque omnis expers diſciplinæ cùm in morbum incidiſſet, erudiri cœpit, ac ſeſe ultrò ſermonibus Phyſicis accomodare, donec paulatim, dum per valetudinem licuit, Poëtis Pindaro, & Simonide acceritis uſus eſt. Ælianus de variâ Hiſtoriâ.

Catanâ potitus, abolito Catanæ nomine, Ætnam eam Urbem, ſeque Ætnæum appellari juſſit, *Legeſque tùm Laconicas, tùm Doricas incolis* præſcripſit, quæ ſanè præſtantiſſimæ erant. Fuit quoque Hieron ſtrenuus pugil, terque in Olympicis certaminibus vicit, ſemel quadrigis, ſemel celete. At poſt alteram celete partam in Olympiis victoriam Syracuſas regreſſus, Catanam poſteà periit: ubi morbo correptus, poſtquàm undecim regnaſſet annos, menſeſque octo, fato functus eſt: voto Jovi facto, Regnique ſucceſſore Thraſybulo fratre prius ab eo nominato. Re-

liquit autem unicum filium, cui Dinomeni erat nomen. Honores funeris non alios nactus eſt, quàm ſi ipſius Catanæ Urbis conditor fuiſſet. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 1. cap. 4.

C L I I.

HIERONYMUS TYRANNUS SYRACUSARUM.

Hieronymus Syracuſanus, nepos Hieronis, vir ſanè doctiſſimus, ſed crudeliſſimus fuit. Ex Conſtantino Laſcare.

Hieron Junior, quem pulchritudine corporis nemo æquabat, & futurum Regem portenta pronunciaverant, induſtriâ, & rei bellicæ præſtantiâ Rex Syracuſarum ſalutatus, ſplendidiſſimum dominatum geſſit. Cùm morti appropinquaret, careretque liberis, Hieronymum, ex Gelone filio præmortuo nepotem, quindecim ei adhibitis tutoribus ſucceſſorem in Regno, & hæredem inſtituit, eumque admonuit, ac tutores, ut fœdus cum populo Romano, quinquaginta annos ab eo cultum, & ipſi inviolatum ſervarent. Sed Hieronymus abjectâ tutelâ, contemptiſque avi monitis, luxurioſiùs, & arrogantiùs agendo, à Romanis deſcivit, adhæſitque Annibali. Cùmque ſuperbè nimis in cives ſeſe haberet, ab eis interfectus eſt. Livius lib. 4. Secundi Belli Punici. Conſule Thomam Fazellum de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 4. & 5.

C L I I I.

HIERONYMUS GRANDIUS SYRACUSANUS.

Hieronymus Grandius Syracuſanus, Cæſarei, ac Pontificii Juris Doctor, Generalis Vicarius Urbem patriam gubernavit. Floruit anno 1500. Scripſit *Hiſtorias, ſeu Chronicon Siciliæ*. Ex Placido Reinâ in Notit. Meſſan. tom. 2. pag. 224. Stephano Mauro in Meſſanâ Siciliæ Protometropoli pag. 10. Melchiore Incofero Societatis Jeſu de Marian. epiſtol. cap. 54. pag. 409. Vincentio Ferrârotto de Ufficio Strategi pag. 9.

CLIV.

HIPPARCHUS SOLOENTINUS.

HIpparchus, ſive Hipparchides r Soloëntinus, Poëta eximius Tragicus. Scripſit *ad modum Eclogæ Amores inter Lycum fontem, & Liſſum flumen in campis Leontinis*. Qui biberet ex Lyco fonte, ſtatim, aut ad tres dies moriebatur. Ex Philadelpho Mugnos in Novo Laërtio pag. 131. 152.

CLV.

SANCTUS HIPPOLYTUS EPISCOPUS.

S. Hippolytus Epiſcopus Siculus, communi opinione non Chriſtianorum modò, ſed Ethnicorum, verus Propheta, & Vir ſanctus habitus: nam Divino Spiritu afflatus multa prædixit. Hippolyti *Vaticinia* unà cum libris Oraculorum, quæ Danielis Viſiones vocabant, apud Græcos, & Saracenos ſummâ Religione aſſervabantur. Quæ quidem Vaticinia omnes cùm in Occidente, tùm in Oriente venerabantur, & interpretabantur, ex Græcis, ac Latinis, ex ipſis etiam Saracenis, quos prælia aggreſſos illis ſubnixos, fidenteſque, & de victoriâ certos, tradit Luitprandus, atque fidem rerum eventu Vaticiniis auctam. Addit hic Auctor in Hiſtoriâ legationis, quam anno 988. pro Othonibus Auguſtis ad Nicephorum Phocam Imperatorem Conſtantinopolitanum obivit, Phocam interpellans: Hippolytus quidam Sicilienſis Epiſcopus *Vaticinia* ſcripſit *& de Imperio veſtro, & de gente noſtra*. Quo autem ævo floruerit, cujus Sedis Epiſcopus fuerit; non dum exploratum. Pro certo habendum ipſum ante Saracenos vixiſſe, Vaticinia quoque ante Barbarorum cladem ſcripſiſſe: Stephanus Maurus, & Petrus Anſalonius in Civem, & Epiſcopum Meſſanenſem trahunt: fortè illud commune jus obtendentes, quo bona derelicta primi occupantis fiunt: aut aliud, quo bona propria liberorum ab inteſtato decedentium parentibus obveniunt. Cùm ergo Meſſana Siciliæ pa-

rens

rens reputetur apud populares ſuos; quiſquis Sicilienſis Epiſcopus dicitur ſine particularis ſedis ſignificatione, Meſſanẽſis Epiſcopus intelligendus, & Siculus pro Meſſanenſi recenſendus. Ex Luitprando Epiſcopo Cremonenſi in Hiſtoriâ prædictâ legationis, operâ Chryſtophori Brouveri Societ. Jeſ. Henrici Caniſii, demum Cæſaris Baronii editâ, Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Sicul. pag. 36. & in Animadverſion. pag. 14. Petro Anſalonio de familiâ Anſaloniâ pag. 310. num. 80. Stephano Mauro in Meſſanâ Sicil. Protometropoli pag. 252. atque alibi.

CLVI.

HONUPHRIUS MAREMMA CATANENSIS.

HOnuphrius Maremma Catanenſis, Ordinis Prædicatorum, vir omni doctrinarum genere excultiſſimus, Theologus in primis ſcientiſſimus, & Concionator eloquentiſſimus. Martini Regis conſcientiæ moderator, floruit anno 1395. Ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catanenſi Chordâ 2. pag. 136

CLVII.

JACOBUS LEONTINUS.

JAcobus Leontinus, Italicæ Poëſis parens, ſcripſit *Carmina*, quæ infantiam redolent, & characteris ſimplicitatem. Ex Leone Allatio de Poëtis Italis Antiquioribus.

CLVIII.

JACOBUS HUMANA NETINUS EPISCOPUS SCUTARENSIS.

JAcobus Humana Netinus, Abbas S. Spiritus Caltaniſettæ, Scutarenſis, ſeu Chalcedonenſis Epiſcopus, ut ſcribit Littara, Dalmatii Epiſcopi Syracuſani Vicarius, dum Syracuſanam Diœceſim luſtraret, Calatajerone deceſſit anno 1517. Auguſti 10. Neti ædes S. Claræ dicavit, & Leonis X. Pontificis juſſu Divi Conradi primum feſtum inſtituit. Inter Scriptores *Vitæ S. Conradi*

radi ab Octavio Cajetano refertur. Ex Vincentio Littara de Rebus Netinis pag. 141. Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Syracuſ. pag. 224. Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Animad. ad Vitam S. Conradi pag. 81. ubi falsò Joannes Scutarenſis appellatur.

C L I X.

JACOBUS RHEDA DREPANENSIS.

JAcobus Rheda Drepanenſis, Ordinis Prædicatorum Magiſter, Siciliæ Inquiſitor in Orrhodoxæ fidei negotiis anno 1470. In ſacris literis, & in diſputationibus contra Hæreticos eruditiſſimus. Scripſit *duo volumina contra Hæreticos, unum volumen in Job.* Ex Leonardo Orlandino de Scriptor. Drepan. pag. 41.

In Cœnobio Meſſanenſi S. Hieronymi, ſanctitate, ac miraculis clarus deceſſit Martij 15. Prophetiæ dono inſignis, multa proſpera Conſalvo Cordubæ prædixit, quâ de causâ Conſalvus ducentos aureos, frumenti modios 170. quotannis Cœnobio Meſſanenſi mittere conſuevit, ſacello in illius Cœnobii Templo ſibi delecto, quod nobiliſſimâ tabulâ exornatum voluit. Franciſcum nominatum legimus. Ex Stephano Mauro in Meſſan. Sicil. Metropoli pag. 190. Octavio Cajetano in Martyrologio Siculo pag. 109. Silveſtro Maurolyco in Oceano Religion. lib. 2. pag. 141. Placido Samperio in Iconolog. Virgin. Meſſan. lib. 2. pag. 259.

C L X.

JACOBUS RIBALDUS NETINUS.

JAcobus Ribaldus, Raynaldum alio in loco Pyrrhus vocat, Netinus, Generalis Vicarius Syracuſanæ Diœceſeos, à Dalmatio de S. Dionyſio Catalauno, Epiſcopo electus, Cæſarei, ac Pontificii juris Doctor, Hiſtoriâ claruit ſeculo decimo quarto. Scripſit *vitam S. Conradi Eremitæ ſoluta oratione*, Dalmatio dicatam, ex Roccho Pyrrho in notit. Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 181. 228. Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 143. Octavio Cajetano in Animadverſ. ad Vitam S. Conradi pag. 85. tom. 2. Vitar. SS. Siculorum.

C L X I.

IBYCUS MESSANENSIS.

IBycus Meſſanenſis, Hiſtoricus, & Poëta ex novem vatibus lyricis Græciæ unus, Rheginus genere, *plura lingua Dorica* ſcripſit. Primus inſtrumentum ſambucam invenit. Hic in ſilvâ quadam Calabriæ à latronibus captus, & ab eis interimendus, ad grues caſu illac volantes dixit: ſaltem vos teſtes mortis meæ, & ultrices eſtote. Quo interempto latrones die quadam in theatro ſpectandi gratiâ ſedentes, cùm grues fortè volantes vidiſſent; dixerunt ad invicem: ecce grues Ibyci, quod quidam audiens, id, quod erat, ſuſpicans, Civitatis Præfecto retulit, qui re diſcuſſâ, & cognitâ eos ſuſpendio damnavit. Unde proverbium ortum eſt in re certâ: Grues Ibyci, quod Divus Cyrillus Divinâ factum Providentiâ affirmat. Ex Conſtantino Laſcare.

Ibycum fuiſſe Rheginum affirmant ex veteribus, ac recentibus non pauci, quos diſſimulare non poſſumus. Cicero lib.4. quæſt. Tuſculan. Neanthes apud Athenæum lib. 4. Athenæus lib. 13. Polydorus Virgilius in Catalogo Inventorum rerum. Carolus Stephanus in Dictionar. Joannes Gerardus Voſſius de Poëtis Græcis lib. 4. Lilius Gregorius Gyraldus. Ex adverſo veterum aliorum auctoritate ſubnixi, præſertim Diogenis Laërtii, Scriptores noſtrates illum fuiſſe Meſſanenſem ſcribunt. Franciſcus Pharaonius in Inſtitut. Grammat. de Coſmographiâ. Franciſcus Maurolycus in Compendio Hiſtorico Siciliæ. Joannes Jacobus Adria de Valle Mazariæ, & de laudibus Siciliæ. Claudius Marius Aretius in Corographiâ Siciliæ. Thomas Fazellus de Rebus Siculis Decad. I. lib. 2. pag. 49.

Polyzelii Meſſanenſis Hiſtorici ſecundùm quoſdam, Phyſtii ſecundùm alios, Cerdantis ſecundùm alios, filius creditur. Gyraldus.

Ab avibus Ibycis nutritus, & ab eiſdem nominatus fuiſſe dicitur. Ex Athenæo lib. 2. cap. 1. apud Balthaſarem Bonifacium in Hiſtoriâ ludicrâ lib. 1. cap. 6. ubi plura de Ibyco, pag. 6. & 7.

Laſciviæ notâ laboravit. Hinc in jocum proverbialem abiiſſe vide-

videtur Ibyci equus, de iis, qui nolentes præter ætatem, ac vires ad periculoſum negotium adigerentur. Ejuſdem *Poema* màximè laſcivum quoque fuiſſe teſtatur Cicero 4. Tuſculan.

Digreſſus à patriâ inSamum Inſulam navigavit,quo tempore Samiorum Rempublicam Polycratis pater adminiſtrabat, quinquageſimâ circiter Olympiade,cùm apud Lydos Croetus regnaret. Gyraldus.

Cùm Græciam peragraret, in ſolitudine comprehenſus à latronibus, jam jam jugulum ſicis præbiturus, grues, quæ forte fortunâ ſupervolabant, ultrices fore dixit: at ipſe quidem interfectus eſt. Sed in theatro Corinthi latrones aſſidentes, à Gruibus proditi, meritas pœnas luerunt. Unde Ibyci Grues Græcis in adagium abierunt, quoties ſceleribus novo quodam, & improviſo caſu detectis, ſceleſti ſupplicio afficiuntur. Plutarchus de Garrulitate.

Extat hac de re Græcum Epigramma titulo Antipatri, quod Petrus Ægidius Antuerpienſis latinum reddidit:

Quondam ad deſertum venientes, Ibyce, littus,
Vitam prædones eripuere tibi.
Sæpè gruum nubem imploranti, quæ tibi teſtes
Advenere necis, cùm morerere, tuæ.
Attamen haud fruſtrà: ſiquidem clangore volucrum
Siſyphio cædem eſt Eumenis ulta ſolo.
Latronum genus, heu cupidum lucri, atque rapinæ!
Cur vos nequaquam terruit ira Deum?
Quando nec Ægiſthus, vatem qui occiderat olim,
Atrarum occurſus fugerat Eumenidum.

Scripſit *libros ſeptem lingua Dorica*. Suidas. Sed *octo, ejus libros* fuiſſe refert Raphaël Volaterranus lib. 6. Anthropolog. Magni nominis Poëta fuit: adeout genus metri ab eo Ibycum dictum ſit. Arnoldus Pontanus in notis ad Euſebium anno Abrahami 1477. ſtyli ſuavitate Steſichorum imitatus. Athen. lib.4.

Sambucam invenit. Eſt autem Sambuca inſtrumentum muſicum, quatuor fidibus tenſum, ex Euphorione in lib. de Iſthmiis, acutum ſonum reddens ex Maſurio apud Athenæum lib. 12. quod uſitatum fuiſſe Parthis, & Troglodytis, Pythagoras in libro de Mari Rubro tradit.

Conſule Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis, Placidum Reinam tom. 1. Notit. Hiſtor. Meſſan. à pag. 117. ad pag. 123.

Fuerunt, & alii duo Ibyci: alter Poëta melicus, alter Philoſophus Pythagoricus. Conſule Craſſum, & Reinam citatos.

C L X I I.

IDIS AGRIGENTINUS.

Fiſtulam quidam putant à Mercurio inventam, alii à Fauno, quem Græci vocant Pana: non nulli eam ab Idi, paſtore Agrigentino ex Siciliâ. Ex Iſidoro etymolog. lib. 3. cap. 21.

Tibiam è calamis factam Tityrinum vocant Dores Italici, ut refert Artemidorus Ariſtophanius lib. 2. de Doride apud Athenæum lib 4. edit. Græcolatin. pag. 182. qui pag. 176. habet: non me latet Ameriam Macedonem in gloſſis ſcripſiſſe Tityri, non Monaulon appellari.

Cæterùm Siciliæ fecunditatem vel in arundinibus gignendis quæ ad tibias faciendas maximè ſint idoneæ, narrat Solinus cap. 12. In Thermitanis locis Inſula Siciliæ eſt arundinum ferax, quæ accommodatiſſimæ ſunt in omnem ſonum Tibiarum, ſive Præcentorias facias, quarum locus eſt ad puluinaria præcinendi: ſive Vaſcas, quæ foraminum numeris Præcentorias antecedunt: ſive Puellatorias, quibus à ſono clariore vocamen datur: ſive Gingrinas, quæ breviores licèt, ſubtilioribus tamen modis inſonant: aut Miluinas, quæ in accentus exeunt acutiſſimos; aut Lydias, quas & Turarias dicunt, vel Corinthias, vel Ægyptias, aliaſque à Muſicis per diverſas officiorum, & nominum ſpecies ſeparatas. Idem ejuſdem Siculæ telluris indolem erga Muſicam laudat. Nam, inquit, in Haleſinâ regione fons aliàs quietus, & tranquillus, cùm ſiletur; ſi inſonent tibiæ, exultabundus ad cantum elevatur, & quaſi miretur dulcedinem vocis, vltrà margines intumeſcit. Quod & Dionyſius Africanus de ſitu Orbis innuit:

Hìc & Haleſinus fons eſt mitiſſimus vndis,
Tibia quem extollit: cantu ſaltare putatur,
Muſicus & ripis lætis excurrere plenis.

lege

lege Joannem Vigintimillium de Poëtis Siculis Bucolicis à pag. 14, ap pag. 23.

CLXIII.

JOANNES ANSALONIUS CATANENSIS.

JOannes Anſalonius Catanenſis, Pittinæi Dominus, adeò eloquentiâ pollebat, vt Apollo nuncuparetur. Acri vir ingenio fuit, eruditione, ac moribus præſtantiſſimus, Pater Hieronymi Anſalonij, qui ad Joannem Siciliæ Regem pro arduis Regni negotijs Orator fuit, Senatoriæ dignitatis in patriâ reſtitutor, Alphonſo Regi pretioſus. Ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. Chordâ 9.

CLXIV.

JOANNES ANTONIUS GOZIUS NETINUS

JOannes Antonius Gozius Netinus, Juriſprudentiâ clariſſimus, & ſanè ſingularis habitus, Joannis Scarrociæ, Medicorum ætatis ſuæ celeberrimi, ſocer. Veneno extinctus Palatioli, dum ibi delegatoriâ poteſtate crimina inquireret. Extat ejus *Epiſtola ad Petrum Pipim ann.* 1496. ex Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 143.

CLXV.

JOANNES ANTONIUS PROVINA NETINUS.

JOannes Antonius Provina Netinus, quem Ferdinando Regi à Secretis fuiſſe ſcribit Littara, Hiſtoricus excellentiſſimus, & Geographus, in Inſulam Hiberniam à Summo Pontifice miſſus Nuncius, ſcripſit *de ejus Inſulæ, & Thyles ſitu, populorumque moribus*, quem librum Ferdinando Acunæ, Siciliæ Proregi, dicavit. Aſſervabatur opus Neti apud Cœnobitas Minores de Obſervantiâ. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Syracuſan. pag. 227. Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 125.

CLXVI.

JOANNES AVRISPA NETINUS.

JOannes Auriſpa Netinus, vir quidem omni ſcientiarum genere eruditus,& celeberrimus. In Italiâ ob laudes in Poëticâ diſciplinâ, laureâ redimitum prædicant. Præclaris dotibus à Secretis Sedis Apoſtolicæ à Nicolao V. Pontif. creatus, à quo & Abbatiam S. Philippi de Grandis Meſſanæ obtinuit, deinde ab eodem Pontifice Abbatiam S. Mariæ Roccadiæ Leontini anno 1451.

Joannem Auriſpam Secretarium Apoſtolicum,Rhetorem luculentum, à Romano Pontifice in pretio habitum, ſcribunt Auctor ſupplementi Chronic. & Philippus Bergomas lib. 15. Floruiſſe in politiori literaturâ utriuſque linguæ teſtatur Thomas Fazellus pag. 108. excelluit namque ingenio non ad ſolutam ſolùm orationem, ſed ad verſus componendos elegantiſſimos. Quo in genere *nonnulla ejus Epigrammata, in altero verò Epiſtolarum opus egregium, & Hieroclis liber in Pythagoræ aurea carmina latinitate donata*, extant. At verò Lilius Gregorius Gyraldus quanquàm illum inter Oratores,ac Poëtas reponat; Græcè, Latinèque probè doctum fuiſſe referat; ejus tamen carmina, quæ ipſe legerit,neſcio quid Sicularum gerrarum habuiſſe opinatur: fuit enim eo tempore, quo nondum exquiſitæ literæ in lucem redierant. Vixiſſe autem Ferrariæ ad ſummam ſenectutem, à Ferrarienſibus Principibus ſummo loco habitum, qui & eum locupletem reddiderunt. Ab illo Ciſtarellam familiam originem duxiſſe ferunt. Sed tàm immiti cenſurâ de Auriſpæ carminibus, cæteroqui elegantiſſimis, ut Fazellus teſtatur, Lilius iſte Ferrarienſis ferreum ingenium præſefert, non Lilium olet. Laurentius Valla, cæteroqui homo auſterus, ſed elegantiarum ſtudioſus, fatetur ſe multùm Auriſpæ, tùm Leonardo Aretino debere cum laudis præconio. Nam id dicam, inquit, quod verè poſſum dicere, me non tàm meâ voluntate, quæ ardentiſſima erat, ad hoc opus deſcendiſſe, quàm prudentiſſimorum, atque amantiſſimorum conſilio, cùm aliorum, tùm præcipuè Auriſ-

pæ,

pæ, & Leonardi Aretini, quorum alter græcè legendo, alter latinè ſcribendo ingenium excitavit meum: ille præceptoris, hic emendatoris, uterque parentis apud me locum obtinens, &... ò viros omni laude digniſſimos! ò de literis, ac de literatis optimè meritos! Non veremini, ne alii eò, quò vos perveniſtis, licèt perquàm arduum ſit, perveniant: ſed hortamini, incenditis, & quaſi de alto manum ſcandenti porrigitis. Meminerunt & alii de Auriſpâ, Æneas Silvius Piccolomineus in Hiſtor. Leander Albertus in Hiſtor. Ital. Chryſtophorus Scannellus in Chronic. Sicil. Franciſcus Philelphus in Epiſtolis: quas tamen Philelphi epiſtolas ab anno 1427. ad annum 1453. fictas exiſtimat Vincentius Littara de Rebus Netinis, fallaci ſanè conjecturâ probans Auriſpam obiiſſe ann. 1406. Attamen ad ann. 1457. ſupervixiſſe Auriſpam conſtat in lib. Protonot. Sicil. pag. 166. teſte Roccho Pyrrho in Notitiis Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 225.

CLXVII.

JOANNES BURGIUS CALATAJERONENSIS, ARCHIEPISCOPUS PANORMITANUS.

JOannes Burgius Calatajeronenſis, Artium, & Medicinæ Doctor, ut nemo alius, per eam ætatem clariſſimus, patritio genere, ad Urbana officia gerenda repetitis vicibus admotus; cùm Syndicus eſſet, ſeu municipalium jurium Advocatus, ac Defenſor, quod munus ſolis Nobilibus etiam num conceditur, pro rebus patriis ad Alphonſum Regem, Cajetæ agentem, Orator mittitur anno 1446. Rebus, quas in commiſſis habuerat, feliciter peractis, de Rege ipſo meritus eſt. Nam ſubinde morbo correptum, periculo, in quod inciderat, Regem exemit. Hinc in Epiſcopum Sipontinum promotus eſt: è quâ Diœceſi Callixto Pontifice indulgente plurima Divorum Lipſana, inter quæ fruſtulum oſſis ex brachio Divi Jacobi Majoris, Calatajeronenſium Tutelaris, ad Cives ſuos per Nicolaum Monteleonem, Archidiaconum Garganicum, & Canonicum Syracuſanum, tranſmiſit. Antequàm Calatajeronem inviſeret creatus Archiepiſcopus Manfredoniæ, ſive quòd duæ ſedes in unam coaluiſſent, ſive Siponti-

pontinâ extinctâ Manfredoniæ dignitas ſupereſſet, tùm Abbas Novæ lucis dicitur à Rocco Pyrrho. Cardinalis Nicæni Beſſarionis, viri eloquentiſſimi, ac ſapientiſſimi, tunc Epiſcopi Mazarienſis, Archimandritæ Meſſanenſis, & Siculorum Cœnobiorum Ordinis Baſiliani Abbatis, negotia fideliter, conſtanterque adminiſtravit. Sed erepto è vivis Beſſarione anno 1464. ætatis 77. Ravennæ, cùm è Gallicanâ legatione rediret, eodem anno Januarii 25. Mazarienſi Eccleſiæ, quam Selinuntinam Adria vocat, Burgius præficitur, à Ferdinando Rege apud Paulum II. Rom. Pont. nominatus, & Abbas S. Annæ de Portellâ, ſeu de Scalis, Monteregalenſis Diœceſeos, electus. Mox à Siculis Optimatibus, ſolutis jam Generalibus Regni Comitiis pro Regni Capitulis, Decretiſque ſanciendis ad Joannem Regem, Terraconæ degentem, Orator miſſus, omnia ex voto perfecit, & Mazarienſi Eccleſiæ, Urbi patriæ, Netinæque, quam à Calatajerone impenſiùs diligebat, privilegia, tanquam Regiæ benevolentiæ indices, impetravit, quibus adhuc gaudent, Burgii memoriâ in ipſis vigente. Anno demum 1467. ad Panormitani Archiepiſcopatus faſtigium Pauli II. diplomate, quem Romæ à morbo liberavit, evectus eſt. Cùmque duris exhantlatis laboribus patriam adiiſſet, ibi ſpiritum exhalavit, anno 1469. Januarii 16. in æde maximâ tumulatus. Sed Joannes Vega, Siciliæ Prorex, cùm ejus cadaver effoſſores integrum reperiſſent, decentiùs humari mandavit, adjecto epitaphio:

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Joanni Burgio,
Epiſcopo Sipontino, Mazarienſi, ac tandem Archiepiſcopo Panormitano:
D. Veſpaſianus Bonannus, Franciſcus Rizarus: Franciſcus
Monteleonius, & Nicolaus de Manardo anno 1543.
Civitatis Patres, antiquitatum non immemores,
tumbam hanc inſtaurare fecerunt. Ceſſit naturæ
anno 1466.

Ex Petro Paulo Morrettâ in Hiſtoriâ Calatajeronenſi pag. 41. & 53. Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 233. Panormitanæ pag. 168. Mazarienſis pag. 513. 514.

JOAN-

CLXVIII.

JOANNES BAPTISTA PLATAMONIUS CATANENSIS.

JOannes Baptiſta Platamonius Catanenſis, ingenio, ſanguine, fortunis tandem illuſtris; Regii Fiſci Patronus, Alphonſo, Siciliæ Regi, à Conſiliis, & à Secretis. Magnæ Regiæ Curiæ perpetuus Judex, ad Romanos Pontifices, ad Imperatores, Regeſque pro Alphonſo ſæpiùs Orator, ac Legatus, Siciliæ tertiùm Prorex; in hoc Siculorum literatorum pinacothecâ meritò ſibi vendicat locum. Ex Joanne Battiſta de Groſſis in Decachordo Catanenſi Chordâ 9. pag. 146.

CLXIX.

JOANNES CANDIDUS SYRACUSANUS.

ANtequam Leo X. Pont. Max. Romanum gymnaſium repararet, novoque titulo Romanam Sapientiam vocaret; Lectores Sacrarum literarum Palatii Apoſtolici è Dominicanâ familiâ eligebantur, una cum eiuſdem Palatii Magiſtris. Inter Lectores illos magni nominis recenſetur Candidus noſter hiſce verbis: Pater Baccalaureus frater Joannes de Candido ex Trinacriæ Provinciâ ſub Sixto IV. Pont. Max. à Magiſtro Ordinis Leandro de Manſuetis ad legendum ſententias in Sacro Palatio fuit deputatus. Ita enim in ejuſdem Provinciæ Regeſto pag.95. emicat. die 5. Junii anno 1474. Frater Joannes de Candido Baccalaureus fuit deputatus ad legendum ſententias in Sacro Palatio, pro primo anno, pro gradu, & formâ, & completâ lecturâ, habuit licentiam accipiendi inſignia Magiſtralia ubicumque. Ex Vincentio Mariâ Fontanâ in Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatii Apoſtolici pag. 186.

CLXX.

JOANNES GATTUS MESSANENSIS, EPISCOPUS CATANESIS.

JOannes Gattus Meſſanenſis Ordinis Prædicatorum, natus anno 1440. patre Gerlando Gatto Agrigentino, viro nobili, ingenio, & memoriâ felix, Dialecticus, Philoſophus, & Teologus præclarus, Mathematicus etiam non obſcurus. Publico ære Florentiæ, Bononiæ, diutius Ferrariæ docuit. Cum Romæ in Generalibus Dominicanorum Comitiis coram Nicolao V. Pont. Max. diſputaret, interrogatus à Nicolao fuit, num publico decreto Doctor pronunciatus fuiſſet, reſpondiſſetque Joannes, nondum ſe Doctoratus inſignia conſecutum, Pontifex impoſito illi apice Doctorem pronunciavit. Præter Latinum, & Hebræum ſermonem, Græcanicum etiam calluit, ad quem faciliùs, & opulentiùs ſibi comparandum, in Græciam tendit. Romæ Cardinalis Beſſarionis favore primò Abbas Alyenſis, mox Epiſcopus Cephalœditanus, ac demùm Catanenſis effectus eſt poſt diſceſſum Franciſci de Campolo, Epiſcopi Catanenſis. Sed àd aſſequendam Catanenſis Eccleſiæ poſſeſſionem inhibitus, interim ab Eccleſiâ Cephalœditanâ excluſus, mœrore confectus in patrio ſolo denatus eſt, delatuſque in ædem S. Dominici, in quâ ſacris religionis ſimul, & doctrinæ fuerat initiatus, & communi luctu, ac ſplendido funere cohoneſtatus, in æde maximâ Divæ Mariæ, ſepulturæ mandatur. Extant *Orationes aliquæ coram Romano Pontifice habitæ, variâ eruditione refertæ*. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 2. pag. 50. Michaële Pio de Viris Illuſtribus Dominic. part. 2. lib. 3. pag. 44. Franciſco Maurolyco in Hiſtor. Sicil. lib. 5. pag. 168. Antonio Senenſi de Scriptoribus Dominic. Roccho Pyrrho in Notitiis Eccleſiæ Cephalœdit. pag. 460. Catan. pag. 58. atque alibi, Joſepho de Ambroſio in Relatione ſolemnitatis Epiſtolæ Marianæ ad Meſſan. pag. 317.

JOAN-

CLXXI.

JOANNES MARRHASIUS NETINUS.

IOannes Marrhaſius Netinus. Poëta clarus anno 1446. in Italiâ eſt habitus. Senis *Angelinetum Poema amatorium Elegiaco verſu* conſcripſit, quod Leonardus Aretinus in Epiſtolâ, quam ad ipſum dedit, maximè probavit. Multa item alia ingenioſi Poëtæ monumenta edita ſunt, in quâ arte doctorum hominum iudicio ſummus evaſiſſet; niſi Medicinæ deditus, Muſis ultrò ceſſiſſet. Ex Thomâ Fazello de Rebus Decad. 1. pag. 109. lib. 4. Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 226.

CLXXII.

JOANNES MATTHÆUS SORTINUS NETINUS.

IOannes Matthæus Sortinus Netinus, in arte Medicâ præſtantiſſimus, totius Sicilię Archiater à Ferdinando Rege creatur, datis literis Barcinone 3. Kalendas Junii 1503. in quibus ejus induſtriam, & in medendo peritiam, etiam in aulâ Regiâ probatam, Rex commendat. Ad Generalem Siculi Regni Conventum pro Patriâ Orator miſſus; in Reipublicæ Netinæ ornamentum, utilitatemque nonnullas immunitates obtinuit. Vixit ad annum Chriſti 1518. ex Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 147. Philippo Ingraſſiâ de Protomed. Sicil.

CLXXIII.

JOANNES PATERNIO CATANENSIS,
Archiepiſcopus Panormitanus, Cardinalis deſignatus, Prorex Siciliæ.

IOannes Paternio Catanenſis, Monachus Benedictinus Cœnobii Catanenſis Divæ Agathæ, natalibus illuſtris, atque ingentibus literarum promeritis illuſtriſſimus, ob Juris utriuſque

dignitatem Doctor fundamentarius à noſtratibus Juriſconſultis appellatus; poſt Archidiaconi, & Vicarii partes in Eccleſiâ Catanenſi ſummâ prudentiâ obitas, muniaque Abbatis S. Leonis Afforenſis, S. Mariæ Novæ Lucis, & S. Mariæ de Scalis pari laude peracta, Epiſcopus Melitenſis, & Cameræ Apoſtolicæ Collector evaſit, anno 1478. poſtquàm in ſucceſſoris gratiam Antonius Alagona Melitenſes infulas abdicaverit, Sixto IV. Pont. Max. & Ferdinando Rege, annuentibus. Ejuſdem Regis aſſenſu, & Innocentii Octavi Pont. Max. auctoritate Melitenſem Epiſcopatum in Panormitanum Archiepiſcopatum cum Petro Fuxo, Sanctorum Coſmæ & Damiani Cardinali, commutavit, compoſitis intereà conditionibus, quæ utrique prodeſſent, anno 1490. Princeps templū Panormitanū ſacello ad aram maximam conſtructo, marmoreis ſignis, ab Antonello Gagino Panormitano Sculptore celeberrimo, ad ſæculorum admirationem elaboratis, exornavit, ædes Archiepiſcopales hortis, fontibuſq; irriguis, opere marmoreo conſpicuis, adauxit, proventuſque ampliavit. Regias vices tàm alto animo in Siciliâ geſſit anno 1494. ut bis, atque iterum ad eaſdem gerendas fuerit admotus. Cum octogeſimum annum attingeret, Romam accitus; ut à Romano Pontifice inter Purpuratos Patres cooptaretur; mundo valedixit anno 1511. Januarii 24. Iacet in templo Panormitano ad lævam ſine ullâ inſcriptione, gentilitio tamen ſtemmate inſculpto. Scripſit *Allegationes elegantiſſimas pro Primatu Eccleſiæ Panormitanæ*. Ex Roccho Pyrrho in Notitiis Eccleſiæ Melitenſis pag. 600. Panormit. pag. 170. 171. Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. chordâ 9. pag. 143. & 148. Joan. Franciſco Abelâ in Melitâ Illuſtratâ.

CLXXIV.

JOANNES PISCIS CATANENSIS, EPISCOPUS CATANENSIS.

IOannes Piſcis Catanenſis, Simonis, & Antonii frater, natu minimus, Ordinis Minorum Conventualium divi Franciſci Aſſiſiatis, gentilium ſplendoribus, doctrinæque varietate clariſſimus, Theologus eximius, Orator diſertiſſimus, mirabilem, quam

quam de ſeipſo in Siciliâ opinionem excitaverat, Baſileenſi Concilio, cui Alphonſi Regis Orator interfuit, mirabiliùs ſuperavit. Demum ad Catanenſis Eccleſiæ thiaram evectus, extremum diem obiit, magno ſui deſiderio relicto. ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catanenſi Chordâ I. pag. 148. & Chordâ 9. pag. 144.

Hunc fuiſſe præcipuum Doctorem Speculatiuum, nuncupatum Malleum Hæreticorum, affirmat Rocchus Pyrrhus in Indice notabilium rerum octo Epiſcopatuum florentium in Siciliâ, literâ I. ver. Ioannes de Piſcibus.

Ioannes de Piſcibus ex Catanenſibus Proceribus ſatus, acerrimâ ad ſtudia indolem exercuit, ut vix ex ephebis ſolutus in patrio Lycæo publicè Philoſophiam profiteretur. Sac. Theol. Magiſter Religionis Academias ſuo nomine decoravit. Exiguæ ſtaturæ; ſub flavi coloris, à pluribus Ioannes Piſcicellus, vocabatur. Solidæ, atque imperturbatæ vocis organo gaudebat, ut mirum fuerit ex gracili pectore adeò ſonoram emergere. Quare à Regiis Conſiliis adſcitus, univerſali Comitiorum plauſu Provinciæ moderator eligitur anno 1421. In concionibus floridus, æquè ac eruditus, expeditâ pronunciatione mirificè Auditores alliciebat. In literariis diſceptationibus ſubtilis quemquã ſecum congredientem illudebat, unde in proverbium abiit: Piſciculus thynnos in rete concluſit. Ad Concilium Baſileenſe anno 1435. bis profectus cum Nicolao de Tedeſchiis, Panormitano Archiepiſcopo, ab Alphonſo Rege miſſus. Catanæ ultimum diem clauſit ſenio confectus anno 1444. atque in æde maximâ mortuali pompâ tumulatur: Ex Philippo Cagliola in explorat. Provinciæ Siculæ Minorum Conventualium 6. manifeſtatione 6. pag. 176.

C L X X V.

JOANNES PRÆCOPIUS PANORMITANUS.

IOannes Præcopius Panormitanus, Cœnobii S. Martini Ordinis Benedictini Alumnus, humanis, diviniſque ſcientiis ornatus, regularium Inſtitutionum conſultiſſimus, Angelo Seniſio immortuo Abbas S. Martini ſubrogatur anno 1386. Decem-

bris 8. ab omni conventu, atque ab Urbano VI. Pont. Max. approbatur. Siculorum nomine ad Gregorium XII. Orator miſſus, abſolutionem ipſis impetravit ab interdicto, & execrationibus, quibus devinciebantur, anno 1414. Idibus Auguſti. Tandem per annos 32. officio functus rarâ cum primis in pauperes, peregrinoſque charitate, vitâ functus eſt anno 1418. Septembris 4. in ejus locum Bernardo Invegio Panormitano paucis pòſt diebus ſubſtituto. Fuerat Ioannes in concionatorio munere, atque in docendo clariſſimus: ſubinde de literis benemerentiſſimus, quòd in ſuo Cœnobio Philoſophiæ, ac Theologiæ, Sacrorumque Codicum ſtudia excitaverit. Edidit Hiſtoriam inſtaurationis Gregoriani Cænobii S. Martini metro alligatam. Extant m.ss. in Bibliotheca ejuſdem Cęnobii quæſtiones Theologicæ, atque in Sacram Scripturam. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Cęnobii S. Martini pag. 177. 178.

CLXXVI.

JOANNES PRIMUS CATANENSIS CARDINALIS.

GYmnaſium Catanenſe, à M. Marcello poſt expugnatas Syracuſas inſtitutum, vel reſtitutum, cùm ad Hippocratis tempora primam originem referat; Friderico II. Rege, Catanenſibus infenſiſſimo, everſum, Alphonſus Rex, eiſdem gratiſſimus, inſtauravit, aucto præceptorum ſtipendio, multiſque immunitatibus liberaliter collatis. Quæ inde utilitates proficiſcantur non uni Catanæ, non uni Siciliæ, ſed univerſo terrarum Orbi, cùm inde tot ſapientiſſimi viri prodierint ad Urbium, ad Regnorum, ad Orbis totius monumentum, & gloriam immortalem, quæ literis facilè comparantur; mihi percurrere jucundum eſſet, ſi occaſio ſcribendi pateretur. Sed hiſce ornamentis interim ſilentio prætermiſſis, quamquàm ea multis nominibus in ſui commendationem animum urgerent, ac penè ſtylum dirigerent; Ioannem Primum Catanenſem de patrio gymnaſio optimè meritum, hoc in loco laudandum duximus. Is præclaris animi dotibus, profanis, ſacriſque diſciplinis ſatis imbutus, Ordinis Benedictini Monachus, S. Pauli de Urbe jam Abbas, dum

dum Legatus, atque Apoſtolicus Commiſſarius pro Sicilienſibus Eccleſiis inviſendis renunciaretur, ab Eugenio IV. Pont. Max. pro Catanenſis Gymnaſii reparatione ampliſſimas obtinuit ſanctiones, eaſque ab Alphonſo Rege ratas habuit. Ex Epiſcopo Catanenſi Purpuratos inter Patres relatus anno 1446. fato ceſſit anno 1449. 12. Kalendas Februarii. Neapoli ex Uvione de ligno Vitæ tom. 1. lib. 2. cap. 2. pag. 212. in Templo S. Severini Ordinis Benedictini tumulatus. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Catan. pag. 55. 56. Ioanne Baptiſtâ de Groſſis in Catanâ Sacrâ, & in Decachordo Catan. præſertim ex Auctoribus Hiſtor. Pontif.

CLXXVII.

JOANNES RICCA NETINUS.

IOannes Ricca Netinus, genere nobilis, Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ profeſſor, ad Martinum Regem, & Mariam Orator à Civibus miſſus, Netinæ Reipublicæ privilegia, quæ præcedentes Reges largiter conceſſerant, recenti confirmatione munienda curavit. Scripſit Commentaria in Magiſtrum Sententiarum, ubi de Confeſſione loquitur, & citantur ab Angelo in ſummâ ſub nomine Joannis à Neto, ut moris eſt apud religioſas familias, apud quas abjecto gentilium cognomento, patriæ nomen ſuper imponitur. Florebat anno 1390: ex Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 94.

Hunc Syracuſanum fuiſſe Vvadingus refert in Bibliothecâ Scriptorum Franciſcanorum; ſed Netinum fuiſſe infertur ex eodem, dum Joanni à Neto tribuit ea opera, quæ Joanni Syracuſano appingit. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Syracuſ. pag. 225.

CLXXVIII.

JOANNES ROSA CALATAJERONENSIS, EPISCOPUS MAZARIENSIS.

IOannes Roſa Calatajeronenſis, honeſto loco natus, literario pulvere ſplendidè ſordidus, in Minorum Conventualium gymna-

gymnaſiis ſupremus Regens effulſit, in arte concionatoriâ æquè verſatus: quam ob rem Joanni XXII. pretioſus fuit. Cùm Siculam Provinciam adminiſtraret, Epiſcopus Mazarienſis creatur, Provinciæ adminiſtrationi Joanne de Thermis ſuffecto, à Benedicto XIII. Pont. Max. an. 1415. Julii 16. quanquàm poſt exactum Provincialatus quadriennium ſcribat Cagliola in Epiſcopum Mazarienſem fuiſſe Roſam evectum. In ſui Vicarium Magiſtrum Vincentium Myrtum, concivem, ac familiarem, pari literaturâ, & eloquentiâ præditum, elegit. In ſubſcriptionibus cognomine tantùm, Roſâ, utebatur, cujus ſtemma, quod eſt Roſa, pro januâ principis templi adhuc inſculptum videtur. Calatajerone Mazariam demigrante familiâ Roſâ, inter cæteros ejus domus heroës Vincentius, Miles Regius, Urbanus Quæſtor, opibus affluens, prodivit, qui ſacellum Divo Vincentio in Baſilicâ dedicavit, ſibi marmoreum tumulum erexit. Superſunt etiam adhuc apud Calatajeronenſes Roſæ familiæ analecta quædam, & quidem modica, ſi veteri dignitati conferantur. Denique in Mazarienſi ſolo cunctis collacrymantibus Ioannes deceſſit, ibique ſepultus. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Mazar. pag. 510. Philippo Cagliolâ in Exploratione Provinciæ Siculæ explorat. 6. manifeſt. 11. pag. 184. Petro Paulo Morrettâ in Hiſtor. Calatajeron. pag. 43.

CLXXIX.

JOANNES SCALAMBRUS LEONTINUS.

IOannes Scalambrus, Simonis, Baronis Serravallis, Iroldi, Canneti, Caſtri, atque aliorum Feudorum toparchæ, filius, Philoſophiæ, ac Theologiæ lauream Patavii adeptus, utriuſque Iuris conſultiſſimus, cùm in Romanâ, tùm in Hiſpanienſi Curiâ multos annos verſatus, ſcientiarum, quibus apprimè eruditus erat, ſpecimen præbuit. Ferdinando Regi Catholico, quà prudentiâ, quâ probitate morum cariſſimus, præſtantiſſima obivit munia. Eccleſiæ Agrigentinæ Decanus anno 1460. ſed an. 1500. Canonicus Regiæ Collegiatæ Catanenſis memoratur. In Hiſpanienſi aulâ Ferdinandi Regis Sacellanus, in Siciliâ primus

è ſe-

è Sæcularibus Presbyteris Fidei Quæſitor fuit. Cùm apud Ferdinandum degeret, Abbas S.Mariæ Terranæ propè Calataieronem renunciatur, obſignatis literis Vallisoleti an. 1506. S. Mariæ Terranæ Beneficium ſatis opulentum hodie Regiæ Monarchiæ Iudici attribuitur, atque in Generalibus Regni Comitiis Abbas Commendatarius quadrageſimam quartam obtinet ſedem. Demùm Joannes cunctis honoribus remiſſo nuncio è vivis deceſſit. Ex Carolo Antonio Converſano in Ætherea Leontinorum gloriâ pag. 31. & ſeqq.

CLXXX.

IOANNES SENISIUS CATANENSIS.

IOannes Seniſius Catanenſis, B. Angeli Seniſii germanus frater, monaſtico inſtituto, & morum concordiâ eidem conjunctiſſimus, cum eodem ex Cœnobio Catanenſi S. Nicolai de Arenis evocatus ad reparandum Gregorianum Cœnobium S. Martini, Saracenorum incurſionibus non fatiſcens modò, ſed propè collapſum; priſtinam ordinis Benedictini ſanctimoniam, plurimis alumnis aggregatis, tanquam in robuſta veterum Monachorum ſupplementa, induxit, & magnificis ſubſtructionibus recentes ædes fundauit. S. Martini Prior, inde Burgetti, quod eſt Cœnobium Gregoriano S. Martini obnoxium, cultu in Virginem Mariam claruit: *in cujus Aſſumptionem Rythmum* compoſuit. Quarè inter Scriptores Marianos Benedictinos recenſetur à Tornamirâ. Ex Petro Antonio Tornamirâ in Centur. Scriptor. Marian Benedictin. Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. de Cœnobio S. Nicolai de Arenis. Rocchus Pyrrhus in Notit. S. Martin. pag. 202. Joannem Angeli ſucceſſorem in Abbat. S. Martini, & Burgetti Priorat. conſtituit.

CLXXXI.

JOANNES THAMAGNINUS NETINUS.

IOannes Thamagninus Netinus, Medicus, & Aſtrologus celeberrimus; adeò ut, qui Aſtrologiâ inclareſcerent, Thamagnini

gnini deinde dicerentur, plura prædixit, effecitque, ab hominum fide aliena, ſed vulgò ſatis decantata, receptaque, quorum aliqua Thyanæo adſcribunt veteres nugivendæ. Fertur ſub certo ſiderum aſpectu piſcem ferulaceum effinxiſſe, quem piſcatori cuidam amico tradidit: ad ejus jactum piſces in ſagenas irruiſſe: quo per imprudentiam amiſſo, alterius efformandi opportunitatem nunquam Joannem nactum. Coram adoleſcente parùm pudico pronunciavit adeſſe jam horam, quâ quis puellâ diu concupitâ facili negotio potiretur: quod expertus adoleſcens, munera poſtridie ad vatem miſit, quem turpe factum reſcientem dicti pœnituit. Per forum, & antiquam Seruatoris ædem tranſiens, multaſque aviculas de more garrientes inaudiens, prædixit, ad veſperam fore ut tritici grana deciderent ex ancillæ ſacco, eaque volucres collecturas. Advenerant mercatores quidam porcos empturi: adeunt Joannem, cumque eo paciſcuntur, joci causâ decepti à quibuſdam, qui percontantibus mercatoribus, quiſnam porcos haberet, Joannem innuerant. Is iniuriam ſuſpicatus, bellâ ludificatione traductos dimiſit. Nam acceptâ numeratâ pecuniâ ſues vendit, quibus nihil pingujus vidiſſe fatebantur, & unà cum ſubulcis abigendos tradit. Sed ecce tibi adventante noctis crepuſculo ingenti grunnitu edito ſues unà cum ſubulcis diſparverunt. Reverſi mercatores trepidantes, faſſique ignorantiam, creditam pecuniam recipiunt. Eâdem ludendi gratiâ emptor factus, eodem præſtigiorum genere uſus eſt. Nam peregrinas merces mercatus, niveam monetam, quam puri puti argenti credidiſſes, pro pretio ſoluit. Sed ad littus properantes hoſpites, cum ſarcinas ſuas colligerent, merces cum ſiliquarum frondibus commutaſſe deprehendunt Sed citato curſu ad Joannem redeunt, merces expoſcentes, illatam fraudem conqueſti. Attamen is merces reddidit, & arte artem eludentes illuſores monitos voluit, hoſpites benè ominatos abire iuſſit. Hæc, atque alia, ſive ad detinendam plebem hiſce commentis, ſive ad Aſtrologiæ vim declarandam excogitata, de Joanne Thamagnino circumferuntur. Deceſſit ſine liberis, & Philoſophico more legatis ad pios certos uſus opibus, hæredem ex aſſe Rempublicam Netinam poſtremis tabulis inſtituit, anno 1411. Sepultus in Divi Nicolai, epitaphium hoc, Auriſpæ opus præſe ferebat:

Natu-

Naturam rerum, cœlos qui novit, & aſtra,
Et multis cecinit, quæ ſua fata priùs.
Hoc Tamagnini Domini tegit oſſa Joannis:
Nam mens ſe junxit, venerat unde Jovi.
Mille quatercentum, denus fuit annus, & unus
Chriſticolis, cœli cùm rapuere virum.

Ex Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 100. Rocco Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Syracuſan. pag. 225.

CLXXXII.

SANCTUS JOSEPHUS SYRACUSANUS.

S. Joſephus, cognomento Hymnographus, Syracuſis Plotino, & Agathâ parentibus, natus, ingenium ad omnia Chriſtiana Religionis munia peragenda, & ad ſacras literas excolendas accomodatum tulit. Captâ à Saracenis patriâ, unà cum fratribus, ac matre in Peloponneſum, inde Theſſalonicam, Macedoniæ Metropolim, demigravit. Hic monaſticum vitæ genus amplexatus, ſanctimoniæ ſpeculum evaſit. Tellus corio ſtrata erat ei cubile, ſimplex tunica, tenuis cibus, adeò ùt frigidâ tantùm, & pane famem toleraret, vigiliæ ſatis longæ. Incumbens in genua multùm temporis precationibus exigere, Deum laudare aſſiduis cantionibus, exſcribendis, voluendiſque diuinis paginis operam inſumere. Hanc ob cauſam ſenior Cœnobii Præfectus convocato conventu, cùm Joſephus abeſſet, dixit, prædixitque: is eſt Sancti Spiritus ſedes, ac domicilium, qui per ejus os cantiones eloquetur, quarum ſonus per vniverſum terrarum orbem diffundetur. Sed initiatus Sacerdotio, pòſt cum Gregorio Decapolitâ, qui eâ tempeſtate clariſſimus habebatur, Conſtantinopolim pergit. Quò appulſus, illicò in templum Sergii, & Bacchi Martyrum unà cum Gregorio divertit. Miſſus ab eo ad Romanum Pontificem, ut Leonis Iſaurici perſecutionem in Divorum imagines furentem aliquo tandem ſubſidio diſſiparet. In reditu à piratis capitur, atque in Cretam abducitur, ubi conjectus in carcerem, quamvis capite diminutus, ut habent Græcorum Menæa, nihil caritatis magnitudinem diminuit. Nam &

mortales de ſalutis viâ edocuit, & ſervus ipſe complures è duriſſimâ Dœmonis ſervitute in veram libertatem aſſeruit, quos inter ut Epiſcopum quendam in fide nutantem adeò ſtabilivit, ut fortiſſimus Chriſti athleta tormenta carnificum urgere non dubitaverit. Intereà Joſepho Pontificis Myrarum in Lyciâ verenda ſpecies viſa: certior fit de morte Imperatoris Iconomachi, atque diffractis catenis liber inaudito miraculo per aërem Conſtantinopolim venit. Gregorium, eiuſque aſſeclam Joannem fato functum reperiens, ſecum in templum divi Joannis Chryſoſtomi eorum corporibus translatis, ibidem extructo Cœnobio vivere ſtatuit. In Theſſaliæ finibus templum Divo Bartholomæo Apoſtolo dedicat, ejus lipſanis ab incomparabili quodam viro dono acceptis, illum per quietem ſæpènumero vidit cœleſtia ſibi myſteria aperientem, & Sacræ paginæ difficultates explanantem. Ità Codex Meſſanenſis. Cum verò ingenti aliquando deſiderio æſtuaret Sanctum Apoſtolum verſibus exornandi: ſeſe tamen continebat, metuens, nè forte minus acceptum, gratumque illi eveniret, inſtar Moyſis quadraginta dies carnem macerans, ut Divinarum cantionum tabulas acciperet, occluſiſque ſenſuum foribus, ac mente ab omni evagatione in ſe collectâ; S. Apoſtoli corpus piè, reverenterque complectitur. Nec fruſtratus eſt hominem ſuus labor: nam pridie ejus diei, quo Divi Bartholomæi memoria celebratur, videt virum Sidoniâ veſte indutum, ſacras templi valuas tenentem. Is ſacræ menſæ mappam pulſans, tollit S. Evangelij codicem, & in ejus ſinum reponens, benedicat, inquit, tibi præpotentis Dei manus, influant in linguam tuam cæleſtis ſapientiæ maria, fiat cor tuum S. Spiritus ſedes, tuique cantus omnem terrarum orbem demulceant: planè, ut quiſquam, & verborum, & rerum ſuavitate captus Spiritales Sirenas appellet. His dictis viſum evanuit: ſed verba in imos præcordiorum ſulcos defoſſa, ſataque uberem poſtmodum ſegetem tulere. Atque hæc fuit Divini chariſmatis incitatio, hæc divitiarum fodina. Itaque ſimulac ad ſcribendos verſus manum admovit, mirum quantùm, & ſoni blandimentis aures demulceret, & ſententiarum ſpiculis animos percelleret! Nam, quod eſt muſicæ genus, quod ibi non eluceret? quæ carminis concinnitas in canentium ore non emicaret?

caret? Torporem ſanè omnem, ſomnumque à ſegnibus, pigriſque hominibus excutiebat, qui expeterent non aures modò, ſed mentem dulci modulamine deliniri. Quin, & Scriptores quam plures poſthabitis aliorum verſibus, ex hoc uno Divini Joſephi theſauro maximas ſibi gazas in cantionibus ſcribendis hauriebant ſeu, ut rectiùs loquar, in dies hauriunt. Demùm omnes ferè gentes, ac nationes illius carmina in ſuum idioma convertentes, ijs adeò delectantur, ut ſuis cantibus noctis tenebras illuſtrarent, ac vigilias pulſo ſopore vel ad ſolares radios producant. His itaq; ſtudiis Dynaſtis, Regibuſq; nedùm populo, per quam gratiſſimus, tametſi per Bardam exilio mulctatus, quòd illum liberiùs argueret; ſed ſtatim revocatus eſt, eique ſacrorum vaſorum cura demandata ſub Ignatio Patriarchâ, cujus poſt mortem Photius Patriarcha delectus, vel per ingentem vim, ac dolum intruſus eſt, à quo & ſummoperè amatus, cumulatuſque honoribus Joſephus fuit: fortaſſis, ut magnam virtutem beneficio ſibi demerendo, ſceleribus ſuis fucum illineret Photius, Romani Pontificatus carnifex, ab eo tot membra obtruncans, quot illius fraudibus Orientis Eccleſiæ ſeceſſionem ab Romanâ fecerunt. At Joſephus ubi acerrimum fidei defenſorem ſe præbet, Cherſonâ ablegatur. Inde verò ſub vitæ finem à Theodorâ Auguſtâ, quæ Orthodoxam fidem colere ſemper, ac tueri conniſa eſt, in Civitatem reſtitutus, ibi ſanctiſſimè diem obivit ſuum. Corpus in Monaſterio, ubi nunc jacet, humatur. Ejus memoria 3. Aprilis celebratur. Scripſit *plures hymnos in Sanctorum laudem*, quorum quidam extant tom. 1. &c. Vitar. SS. Siculor. Octavij Cajetani. Vitam S. Joſephi Hymnographi ex Hymnis, quos ipſe ſcripſit, Auctore Anonymo, Græcè deſcriptam habuimus ex membranis m. ss. Bibliothecæ S. Salvatoris Meſſanenſis, Sanè Scriptor antiquus, ex proloquio in Vitam ſatis conſtat. Tranſtulit in latinum Auguſtinus Floritus Societ. Jeſu, Vitam S. Joſephi Hymnographi primùm compoſuit Theophanes Monachus, & Presbyter. Agunt, & Græcorum Menæa de S. Joſepho Hymnographo. Ex Octavio Cajetano tom. 2, Vitar. SS. Siculor. pag. 43. & in animadverſionibus pag. 16.

CLXXXIII.

ISAACUS AGYRENSIS.

ISaacus Agyrenſis, Aſtrologus illuſtris, Ejus *m. ss. Græca* in Bibliothecâ Venetâ aſſervantur. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Catan. pag. 190.

CLXXXIV.

SANCTUS ISIDORUS EPISCOPUS.

S. Iſidorus Epiſcopus Siculus, ob harmoniam morum, & literarum S. Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi par dicitur. Nam uterque Sancti Gregorii diſcipulus, Regulam S. Benedicti profeſſus, dignitate Epiſcopus, doctrinâ, & ſanctitate inſignis. Arnoldus Belga in notis ad diem 18. Kalendas Februarii aliorum ſecutus opinionem putat fuiſſe Monachum è Monaſterio S. Andreæ, quod Romæ ad Clivum Scauri Gregorius Magnus conſtruxerat. Refertur ad an. 610. Februar. 15. ex Octavio Cajetano tom. 1. Vitar. SS- Siculor. pag. 225.

Iſidorus Hiſpalenſis, Leandri, Fulgentii, Florentiæ Virginis, nec non Theodoriæ Reginæ, matris Hermenegildi, & Recaredi, quorundam judicio, germanus frater, ætate minimus fuit, animi, & virtutum indole patri Severiano, quem nonnulli Carthaginenſis Provinciæ Ducem faciunt, ſuiſque fratribus æqualis: eloquentiæ, doctrinæ, atque ingenii laude multò major: in quo quiddam ſibi antiquitas vindicavit, imò noſtrum tempus antiquitatis in eo ſcientiam imaginavit, inquit Braulio, Epiſcopus Ceſaraguſtanus in Prænotatione librorum Iſidori. Quâ quidem eruditionis opulentiâ Hiſpaniam omnem illuſtravit, & Orthodoxæ Religionis jura, fratribus à Levuigildo Rege relegatis, tutatus eſt. Multùm contulit Leandri ſive induſtria, ſive aſtus. Nam, cùm ab exilio rediiſſet, Iſidorum tunc juuenem, incertum quâ de causâ, intra conclave concluſit, ſublatâ prorſus vagandi facultate. Hoc ille otium ad occaſionem innumeros libros evo-

luendi

luendi convertit: unde volumen Etymologiarum prodiit, quod Braulionis hortatu ex indefeſsâ lectione conſarcinavit, opus ſpiſſum, ac varium. Ex eâ cuſtodiâ non ante liberatur, quàm Leandro defuncto ſucceſſor ei eſt ſubrogatus. Eccleſiam ſuſceptam cùm optimis legibus, atque inſtitutis temperaſſet, Collegium Hiſpali conſtituendum curavit, juventuti literis, & ſapientiæ ſtudiis imbuendæ. Unde,tanquam ex arce ſapientiæ plurimi prodierunt probitate morum, & doctrinæ commendatione illuſtres. Scripſit Iſidorus præter reliqua vaſtæ lectionis opera *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, cujus ſtylum imitari quodammodo conati ſumus in hac Bibliothecâ Veterum Siculorum, qui literarum famâ claruerunt. Ex Joanne Marianâ de Rebus Hiſpan: lib.6. cap. 7.

Fuerunt, & alii duo Iſidori nomine, probitatis, & eruditionis opinione in Hiſpaniâ excellentes: Iſidorus Epiſcopus Cordubenſis, cui ob antiquitatem Senioris cognomentum eſt: & Iſidorus Pacenſis Epiſcopus, qui ætate poſterior Junioris cognomen tulit. Hic in ſuo Chronico meminit de Iſidoro Hiſpalenſi, de quo inquit Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis. S.Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus ſedere cępit in Epiſcopali ſede anno 596. & anno 636. migravit in cęlum.

CLXXXV.

BEATUS JULIANUS MAJALIS PANORMITANUS.

BEatus Julianus Majalis Panormitanus, egregiis in Panormitanam Rempublicam geſtis Pater Patriæ nuncupatus, & vitæ ſanctimoniâ Beati nomen aſſecutus. Gregoriani Cœnobii Sancti Martini alumnus, domum perquàm amplam, ſectoque lapide ad ſummum verticem productam, Matthæi Sclaphani, Adriani Comitis, Regio palatio ferè conterminam, ab Alphonſo Rege obtinuit, ut Monachis ſuis domicilium ſtatueret. Sed cùm in Urbis Regiæ ſinu forenſes ſtrepitus, & alternantes rerum motus Monaſticam quietem interturbarent; aliò commigravit. Sed illas ædes in pauperum ægrotantium uſus convertit, confluentibus illuc Urbanis Xenodochiis:

dochiis: unde Pandochium, ſeu vernaculo titulo, Magnum Hoſpitale, dictum eſt: ipſe perpetuus Adminiſtrator, & Rector etiam Regio mandato renunciatus. *Pro Oeconomico regimine inſtructiones, ſeu Capitula* compoſuit, auctoritate Regia dein communita. Miſſus ab Alphonſo Rege in Africam, ut cum Othomario, Boſpherii Regis Tunetani, filio, perpetuum fœdus poſcente, quidquid honeſtius, & Siciliæ utilius videretur, firmaret; re feliciter confecta, donis auctus barbaricis plurimis, in Siciliam redit, effuſis ubique gratulationibus exceptus. Ad Alphonſum Regem, ſive Cajetæ, ſive Neapoli degentem, non ſemel pro Siculis optimatibus, aut Senatus, Populique Panormitani nomine Orator acceſſit. Joanni Regi percarus, Eugenio IV. Nicolaus V. & Callixto III. Romanis Pontificibus æſtimatiſſimus, reliquũ ætatis, & publicis curis feriis impetratis, in Cœnobio Ciambrarum exegit, ædiculâ propè conſtructâ, Chriſti Domini cruciatuum myſteriis depictâ, in quâ ſacrificium operaretur, Eremicolæ cella indè dicta, paucis contubernalibus adſcitis. Poſt annos ſex admirandi ſeceſſus, ibidem humanis valedixit, anno reparatæ ſalutis 1470. Octobris 4. Venerandam ejus ad vivum imaginem ſuper Sacellum domus Hoſpitalis Panormitanæ hac epigraphe veneramur.

B. Julianus Majalis Panormitanus, Ordinis S. Benedicti,
& Monaſterii S. Martini alumnus, ex auctoritate
Eugenii IV. Pont. & Regis Alphonſi,
Hujus Magni, & Novi Hoſpitalis Fundator, & Inſtitutor,
anno ſalutis noſtræ 1441.

Scripſit etiam *volumen de conformitate vitæ Spiritualis ad primum exemplar Jeſu Chriſti*. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Coenobii S. Martini pag. 197. 198. Octavio Cajetano in Ideâ SS. Siculorum pag. 35.

CLXXXVI.

JULIUS CÆSAR.

IUlius Cæſar, cognomento Siculus, inter Poëtas Siculos; Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

CLXXXVII.

JULIUS FIRMICUS MATERNUS I.

JUlius Firmicus Maternus I. Siculus Junior, floruit ſub Conſtantino Auguſto, ut conſtat ex præfatione ad Macortium Lollianum Proconſulem, quarè non abſurdè conſignatur anno Chriſti 314. à Sanſovino in Chronologiâ, vel 318. à Junctino. Scripſit autem *libros octo Aſtronomicorum, Aſtronomicis præceptis plenos*. Ex Joanne Baptiſtâ Ricciolio Societatis Jeſu in Almageſto tom. 1. part. 1. Chronic. 2.

CLXXXVIII.

JULIUS FIRMICUS MATERNUS. II.

JUlius Firmicus Maternus alter Siculus, Scriptor Chriſtianus, edidit *de profanarum Religionum erroribus ad Imperatores Conſtantium, & Conſtantinum*. Ex Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Animadverſionibus pag. 106.

Prodiit hic liber præter alias editiones Lugduni Batavorum 1672. Ex officinâ Hackiana, à Joanne Vuovver recenſitus.

Apud Ludovicum Morerium in Magno Dictionario habes plura de Julio Firmico Materno Siculo, ubi Auctorum ſententias refert, qui utriuſque operis Scriptorem unum, eundemque exiſtimant, quique poſterioris operis Auctorem alium fuiſſe à Siculo noſtro arbitrantur. Sed Balthaſar Bonifacius in Hiſtoria ludicrâ lib. 15. cap. 5. pag. 436. pauca hæc de Maternis habet. Firmicus Maternus gravis Matheſeos Scriptor. Firmicus Maternus alter elegantiſſimus libelli de errore profanarum gentium exarator.

CLXXXIX.

JUSTINUS EPISCOPUS.

Iuſtinus, ſive Juſtinianus, Epiſcopus Siculus, quem Eccleſiæ Meſſanenſi attribuit Albertus Piccolus, eâ de causâ, quòd Epiſcopus Siciliæ dicatur. Sed ob eam rem, riſum ciet Piccolus, inquit per ſtomachum Pyrrhus in Notit. Eccleſ. Panormit. pag. 59. Cæterùm Eccleſiæ Meſſanenſis jura egregiè tuetur Carolus Morabitus in Annalibus Eccleſiæ Meſſanenſis, & pag. 372. Juſtinum in ejus Antiſtitem trahere nititur. Fuit autem ille ſapientiſſimus, & zelo Chriſtianæ fidei ardentiſſimus. Scripſit Græco ſermone ad Petrum Gnaphæum Antiochenum Epiſcopum, epiſtolam. Extat tom. 2. Conciliorum Generalium. Ex Octavio Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Animadverſion. Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. chordâ 9.

CXC.

LANDULPHUS.

Antonius Amicus Meſſanenſis, Canonicus Eccleſiæ Panormitanæ, Philippi IV. Regis privilegio Regius Hiſtoriographus, multa è proprio penu de Rebus Siculis ſe depromptuꝛum pollicebatur, plura de alieno: ſed aliò avocatus à fato, nobis digniſſimarum Hiſtoriarum deſiderium reliquit, relicto nobis indiculo, quo & ſuas præconceptas, & alienas lucubrationes jam apparatas, recenſet. Has inter Auctoris Siculi minimè cenſendum *Chronicon* Landulphi, Abbatis S. Mariæ de Flumine apud Caccamum, à Cardinale Baronio Foſſę Novæ indigitatum, & in ſuis Annalibus ſæpè laudatum.

Has inter Auctorum Siculorum Anonymorum cenſenda, & *Hiſtoriam de Evocatione Comitis Rogerij Normanni ad capiendam Inſulam Siciliam*, ex m.s. codice Bibliothecæ Senatus Meſſanenſis. *Et Hiſtoriam de rebus geſtis Guilielmi I. & Guilielmi II. Regum Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ*, ex m.s. codice Bibliothecæ, S. Ni-

S. Nicolai de Arenâ Catanenſis Ordinis Benedictini. Et *Chronicon rerum geſtarum in Sicilia ab anno Domini* 1027. *uſque ad annum* 1277. Ex m. s. codice Fratris Honorii Pactenſis S. T. D. Ordinis S. Franciſci. Addita etiam eſt *Appendicula uſque ad annum* 1416. ex eodem codice m. s.

Epiſtolam Theodoſii Monachi de Syracuſarum everſione, Hiſtorias Bartholomæi de Neocaſtro, Nicolai Specialis, & Michaëlis Platienſis, inter Auctorum Siculorum opera eſſe recenſendas, certò conſtat. De ſingulis vide in ſuis locis.

CLXXXXI.

LAURENTIUS FERRARIUS PANORMITANUS.

LAurentius Ferrarius Panormitanus, illuſtri ſanguine genitus, & ſaniſſimis ſanctiſſimiſque documentis in Gregoriano Cœnobio S. Martini educatus, religioſi conuentus conſpiratione dignus habitus eſt, qui Ambroſio Isf ro, nobiliſſimo Panormitano, à Catalaunis deductâ origine, quem Antonius Panormita funebri Panegyrico laudavit Alphonſi Regis iuſſu; ſuccederet, Abbas S. Martini creatus anno 1452. Septembris 3. In bonâ ſenectute ſpiritum exhalavit an. 1458. menſe Octobre, Concionatoris munere annos plurimos perfunctus. Scripſit *ſermones aſceticos, de vero Monachorum profectu libros tres*. Extant in Tabulario Gregoriani Cœnobii S. Martini. Ex Roccho Pyrrho in Notit. S. Martini pag. 181. 182.

CLXXXXII.

SANCTUS LEO PONTIFEX OPTIMUS MAXIMUS.

S. LEO Pont. Opt. Max Pauli Meneii Medici filius, Monachus Benedictinus, prius in Purpuratorum Patrum Senatum relatus, humanis, ac latinis literis peritiſſimus, Græcè ac Latinè Doctiſſimus, muſicos etiam modos apprimè calluit. Hinc *Pſalmos, & Hymnos in meliorem concentum redegit*: *Acta Sextæ Synodi Conſtantinopolitanæ comprobauit*, atque *in Latinum ſermonem*

 vertit.

vertit. Scripſit *Epiſtolas multas, pluraque alia, proſa, & metro, Græcè, tùm Latinè*. In brevi Pontificatu tantâ gloriâ fulguravit, ut mortalium oculos effuſo ſplendorum nimbo perſtringeret. Nam menſes decem, dieſque undeuiginti regnauit. Ejus memoria in ſacris faſtis colitur IV. Kalendas Julii, quo die humana deſervit anno 684. Celebrant Leonem II. Martyrologia, Romanum, Bedæ, Uſuardi, & Adonis, Baronius in notis ad Martyrolog. & in Annal. Eccleſiaſt. Anaſtaſius Bibliothecarius, & reliqui Pontificiæ Hiſtoriæ Scriptores, tùm Ordinis Benedictini, præſertim Gabriel Buccellinus in Aquilâ Imperii Benedictinâ pag. III. & Auguſtinus Oldoinus Societatis Jeſu in Athenæo Romano pag. 459.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Sicilienſium ita de Leone luſimus:

Leonis Siculi Pontificis Maximi
certus nativitatis locus ignoratur.
Nec enim obujus cuique theſaurus eſt.
Meſſanenſes, Catanenſes, My'enſes, Buterenſes,
Sancti Marci Oppidani,
Herbitenſes,
qui excisâ patriâ in Aydonenſes, & Nicoſienſes immigrarunt,
natale ſolum Leonis tuentur.
Septem Siciliæ Urbes glorioſiùs pro Leone dimicant,
quàm ſeptem Græciæ Urbes pro Homero certarunt.
Quid cæcus Poëta cum Leone Poëta,
qui vel oculis vigilantibus ſomnum libat?
Quid Græcus cum Græco, & Latino?
quid profanus vates cum Divino Pſalte?
quid infimæ ſortis homo cum Dei Vicario?
Singuli bellum juſtum exiſtimant,
Pontificem vincere:
nec religioni ducunt,
Religionis parentem
domum ducere.
Exacuunt ejuſmodi contentiones pietatem,
Civium ſtudia efferueſcunt erga Cœlites,
quibuſcum in terris degentibus

commune

commune cœlum habuiſſe credunt.
Hinc diſce,
quàm fœcunda Heroum mater extiterit Sicilia,
quòd Agathoni Siculo Leo Siculus ſucceſſerit.
Atlantis nimirum Hercules,
veriùs Eliæ loco Eliſæus ſubrogatus.
Geminus quippè ſpiritus viguit in Leone,
Agathonis, & Leonis.
Quod ille peragendum duxerat, hic peragere incœpit,
quod prior inchoaverat, poſterior abſolvit;
uterque Sanctiſſimus.
Præſulum Ravennatum cervicibus
humi depreſſis,
Sextum Concilium Conſtantinopolitanum erexit.
Latinis, & Græcis literis ad miraculum excultus,
cunctis miraculo fuit præter Leonem.
Vel ſupra ſeptem Colles poſitus
infra cæteros poni ambiebat:
ſæpiùs ſe eſſe Pontificem dolens,
quòd idcirco cæteris innoteſceret.
Muſicæ peritiſſimus,
quam ore profitebatur, harmoniam
concentu morum ſuperavit.
Pauperum amantiſſimus, quia ſimillimus,
ad cœleſtes translatus eſt nundinas,
Evangelicus negotiator,
qui poſt Agathonem quęſierat margaritas.

Septem Siciliæ Urbium momenta pro vindicando ſibi Leone vide apud Cajetanum, Pyrrhum, Groſſum, Maurum, cæteroſque Auctores Noſtrates, & expende ad eruditæ prudentiæ libram.

CLXXXXIII.

LEO CENTURIPINUS.

LEO Centuripinus, Græci ſermonis intelligentiſſimus; ſcripſit *laudationes in S. Leonem Thaumaturgum*. Ex Octavio

Cajetano tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Animadverſion. ad Vitam S. Leonis.

CLXXXXIV.

LEO CORINTHUS TROINENSIS.

LEO Corinthus Notarius Troinenſis, *Vitam SS. Alphii, Philadelphi, & Cyrini è quodam pervetuſto Codice m.s. Græco latinitate donavit* anno 322. ex Octavio Cajetano in Animadverſion. ad Vitam SS. fratrum tom. 1. Vitar. SS. Sicul. & Carolo Antonio Converſano in Ætherea Leontinorum gloriâ pag. 74.

CLXXXXV.

LEONIDAS LEONTINUS.

LEonidas Leontinus, belli, paciſque ſtudijs præclarus, Leontinam Rempublicā Conſul adminiſtravit, & florentiſſimas copias in Phalaridem, Tyrannum Agrigentinorum, duxit. Syracuſas amandatur, ibidem ex Chriſida coniuge ſuâ, Hicetam ſuſcepit, & Praxidem Grammaticum. Poëta Comicus, & Tragicus, utrumque Dramatis genus coniunxit, *Tragicomœdias* inter primos Auctores compoſuit, præſertim *Proſerpinæ Raptum, & ejuſdem nuptias cum Moloſſorum Rege Argis celebratas*: quâ Tragicomœdiâ uſus eſt Phlegon Trallianus in Iſide ſecundum Cæſarem Volphangum Pighium. Scripſit quoque *nuptias inter Cererem, & Oſiridem*. Vixit annos 78. anno mundi circiter 3489. Ex Philadelpho Mugnos in Triumpho Leontino, in Raptu Proſerpinæ, in Novo Laërtio pag. 130. atque alibi. Franciſco Aparo in Triumpho Siculo pag. 51. Philadelpho Mauro in Hiſtoriâ SS. Fratrum pag. 71.

LICI-

CLXXXXVI.

LICINIUS LEONTINUS.

Licinius Leontinus floruit anno mundi 3495. Poëta, & Legiſlator, ſcripſit *leges Leontinorum, & Proſerpinæ Raptum*, ſecundùm Aſconium Padianum. Ex Philadelpho Mugnos in Triumpho Leontino, & in Raptu Proſerpinæ pag. 9.

CLXXXXVII.

SANCTUS LUCAS DEMENNENSIS.

S. Lucas Demennenſis parentes habuit nobilitate conſpicuos. In Aſceterio Agyrenſi religioſæ vitæ nomen dedit. E Sicilià in Calabriam profectus, S. Eliæ diſcipulus, brevi plurium Monachorum Abbas evaſit, Ægris mortalium corporibus ſudarioli etiam contactu ſalutem reſtituebat, Averni genios ſupremo quodam imperio expellebat, nec non armatas Saracenorum phalanges ſæpè inermis fugavit. Miraculis clarus obiit 3. Idus Octobris anno Domini 993. Hunc putavimus minimè prętermittendum in hoc opuſculo literatorum Siculorum: cùm & ipſe ſapientiſſimus fuerit, divino à fonte hauſtâ ſapientiâ. Teſtantur ejus vitæ Scriptores apertis verbis. Sancti Spiritus in eo gratiâ redundante ad eam Scripturarum intelligentiam, cumque perfectionis cumulum pervenit; vt non planas modò Scripturas, ſed profunda etiam myſteria, Philoſophorum ſubtilitates, ac latibula ſtudioſâ interpretatione diſcuteret, ac denudaret. Utinam, qui ſaperent, divinam Sapientiam ſaperent! Ex Anonymo, ſed Synchrono ejus diſcipulo apud Octavium Cajetanum tom. 2. in Vitis SS. Siculor. pag. 34.

Demenna urbs Siciliæ hodie nulla, ex Lucâ lucem mutuata: de reliquo ignota. Intra fines Diœceſis Troinenſis à Rogerio Magno Siciliæ Comite, propè Caſtellum Arcariæ deſcribitur. Vide Rogerii diploma de erectione Troinenſis Epiſcopatus, & Tabulas Meſſanenſis Archimandritatus, apud Rocchum Pyrrhum de Meſſan. Archimand., & Epiſcop. Troin.

S. LU-

CLXXXXVIII.

S. LUCIANUS EPISCOPUS LEONTINUS.

S. Lucianus Eccleſiæ Leontinæ primùm Archidiaconus, Creſcenti Antiſtiti ſceleſtiſſimo reſtitit, ne Sanctorum reliquias diſſiparet. In ejuſdem locum ſuffectus, quod ille peſſumdederat, inſtaurare occœpit, cum primis *Hiſtoriam Sanctorum Fratrum Alphii, Philadelphi, & Cyrini, à B. Marco conſcriptam, ſed ab illo concrematam*, ſive memoriæ adiumento Marcianam Hiſtoriam exſcripſerit, ſive aliam de integro exaraverit. Porrò cum S. Lucianus per annos 27. Epiſcopatum piè, ſanctèque gubernaſſet, Deo animam reddidit. Corpus juxta fores baſilicæ conditum. Videtur ad annum 400. Dominicæ nativitatis perveniſſe, quin excurriſſet ulteriùs. Ejus memoria 3. Februarii colitur. Ex Actis SS. Martyrum Alphii, Philadelphi, & Cyrini Cryptæ Ferratæ apud Octavium Cajetanum tom. 1. Vitar. SS. Siculor. pag. 170. & in Animadverſion. pag. 144. Philadelpho Mauro in Hiſtoriâ SS. Fratrum pag. 323. Carolo Antonio Converſano in Æthereâ Leontinorum gloriâ Januarii 3.

CLXXXXIX.

LUPUS MESSANENSIS.

LUpus Poëta ille inſignis, cujus in libris de Ponto meminit Ovidius, qui *de Perſeo, & Raptu Helenæ carminibus Hiſtoriam* contexuit, Meſſanæ ortus ſui principium debet. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 2. pag. 49.

CC.

LYCUS MESSANENSIS.

LYcus Meſſanenſis, ſive Lupus, qui & Buteras vocabatur, Hiſtoricus, & Poëta, *plura de Sicilia, & de Lybia* conſcripſit. Ex Conſtantino Laſcare.

Decc.

Deceptus fortè Laſcaris Lyci nomine, quod apud Latinos Lupum ſonat, Lycum cum Lupo confundit. Sed duos Auctores Meſſanenſes fuiſſe Lupum, & Lycum tradit Fazellus citatus loco citato, Joſepus Carnilivarius in Hiſtoriâ Sicil. lib. 11. pag. 178. Placidus Reina tom. 1. in Hiſtor. Meſſan. pag. 326.

Lycus igitur Meſſanenſis Hiſtoricus, qui de Lybiâ, & de Siciliâ ſcripſit, vixit anno mundi 3746. quando Alexandri Magni ſucceſſores regnabant. Ex Suidâ. Lupus Meſſanenſis Poëta, Lyco Junior, ad annum mundi 3930. Scripſit *de Andromeda, & Pelope, de Caſtore, & Polluce*. Ovidius lib. 4. de Ponto Eleg. 16.

Trinacriuſque ſuæ Perſeidos Auctor, & Actor,
Tantalidæ reducis, Tyndaridoſque Lupus.

CCII.

LYSIAS SYRACUSANUS.

Lyſias Syracuſanus, ſuaviſſimus Orator, Cephali Filius, Tiſiæ Diſcipulus, unus ex decem Magnis Græciæ Oratoribus, *plures Epiſtolas* edidit, *Artem Oratoriam, Orationes ultra trecentas*, ex quibus pauca extant. Ex Conſtantino Laſcare.

Poſt Laſcarem Cajetanus, Pyrrhus, atque alii Scriptores Noſtrates Lyſiam Oratorem patriâ Syracuſanum fuiſſe tradunt: ſed Athenis ortum ſcribit Plutarchus in Vitis X. Rhetorum, quanquàm multis nominibus, & Siciliæ, Syracuſiſque obſtrictum deprædicet:

Lyſias Cephali filius, Lyſaniæ nepos, Cephali pronepos, hujus quidem Syracuſani domo, ſed qui Athenas commigraſſet cum ejus Urbis deſiderio adactus, tùm Periclis, Xantippi filii, ſuaſionibus, quo amico, atque hoſpite utebatur: homo prædives. Alii expulſum Syracuſis eum fuiſſe ajunt, cum eam Urbem Gelo tyrannus teneret. Natus, & Lyſias Athenis, Philocle Archonte, qui Phraſicli ſucceſſit, anno ſecundo Olympiadis XXCII. In'tio inter nobiliſſimos Athenienſium fuit inſtitutus. Cùm autem Civitas Coloniam ad Sybarim mitteret, cui nomen Thuriorum fuit, eò profectus eſt unà cum fratre majore, natu, qui nominabatur Polemarchus, mortuo jam patre. Habuit

etiam

etiam alios duos fratres, Eudemũ, ac Brachillũ, ut in partem ſortis veniret. Actum hoc anno ætatis ejus quinto ſupra decimum, Archonte Proxitele. Ibi ergo manſit, & formandum ſe Tiſiæ, ac Niciæ Syracuſanis præbuit, domoque partâ ſorte ductus Rempublicam geſſit uſque ad id tempus quo LXIII. annos implevit, Archonte Athenis Clearcho. Proximo ãno Archonte Calliâ, Olympiade XCII. cùm in Siciliâ cladem accepiſſent Athenienſes, commotique eſſent, & alii ſocii, præcipuè, qui Italiam incolebant; culpatus, quòd Atticis rebus faveret, cum aliis CCC. ejectus eſt, venitque Athenas Calliâ poſt Cleoritum Archonte, cùm jam Quadringenti Viri Urbi imperarent, ibique commoratus eſt... Mortuus eſt Athenis, annos natus XXCIII. aut, ut alii volunt, LXXVI. alii annos vixiſſe ultra XXC. ajunt, ab eoque Demoſthenem adoleſcentulum viſum fuiſſe. Natus perhibetur Archonte Philocle. *Orationis* ejus feruntur *CCCCXXV.* de quibus genuinas affirmant Dionyſius, & Cæcilius eſſe CCXXX. ac bis tantùm victus dicitur. Eſt, & *oratio* ejus *pro decreto, quod Archinus reprehendit, oſtendens quomodo in Republica ſit verſatus, alia adversùs XXX. Tyrannos*. Vim ad perſuadendum habuit maximam ſummâque uſus eſt brevitate. Orationes privatis hominibus vulgò dedit. Sunt etiam ejus *præcepta Artis Oratoriæ, & Concio, atque Epiſtolæ, Laudationes funebres, Orationes, & amatoriæ,* Item *defenſio Socratis* ingeniis judicum accommodata. Videtur dictio ejus facilis, quanquàm eſt imitatu difficilis... Conſcripſit etiam *Orationem Iphicrati, qua in Harmodium, & aliam, qua proditionis accuſavit Timotheum*: vicit ambabus. Cùm autem Timothei actiones in ſe recepiſſet, & crimina proditionis diluere vellet, oratione uſus eſt ad defenſionem à Lyſiâ conſcriptâ, eſtque abſolutus, Timotheo maximâ mulctato pecuniâ. Recitavit etiam in ſolemni Olympico conventu *Orationem, in qua oſtendit Græcos hoc maximum feciſſe, quòd inter ſe inſtaurata gratia Dioniſium deiicerent*. Ex Gulielmo Xylandro Auguſtano interprete, Auctore damnato, loc. cit. in Plutar.

Lyſias in cauſis forenſibus non verſatus, ſed egregiè ſubtilis ſcriptor, atque elegans, quem jam propè audeas Oratorem perfectum dicere. Nam planè quidem perfectum, & cui nihil admodùm deſit, Demoſthenem facilè dixeris. Nihil auctè inveniri

potuit

potuit in eis cauſis, quas ſcripſit: nihil, ut ita dicam, ſubdolè, nihil verſuti, quod ille non viderit. Nihil ſubtiliter dici, nihil preſsè, nihil enucleatè, quo fieri poſſit aliquid limatius, nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum gravitate, vel ſententiarum: quo quicquam eſſet elatius. Cicero in Brut.

Fuerunt & Lyſiæ duo, literis inſignes, alter Tarſenſis, ex Epicureo Philoſopho Tyrannus effectus, alter Tarentinus in Philoſophicis Epaminondæ præceptor. Ex Laurentio Beyerlink in Theatro Vitæ Humanæ lit. D. 398. & lit. M. 172. c.

CCII.

LYSINUS.

LYſinus Siculus Poëta, Phalaridi Agrigentinorum Tyranno, infenſiſſimus, *Carmina, & Tragœdias in eundem* ſcripſit. Hanc ob cauſam, Poetæ licentiam ſequenti epiſtolâ Phalaris infringendam exiſtimavit:

Phalaris Lyſino.

Non, tu, ergo ceſſabis à temeritate, ſtolidiſſime Lyſine? Neque parcis tibi ipſi triginta natus annos, inimicos graviores, quàm ferre queas, cum multis aliis tui ſimilibus, ſuſtinere tentans? Sed carmina, & Tragoedias in me ſcribis, quaſi dolorem mihi allaturus? Porrò exitus tibi atrociores quavis Tragoediâ ne contingant, cave. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

CCIII.

MALDATUS.

MAldatus inter Poëtas Siculos numeratur à Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtar. Siculorum.

CCIV.

MAMERCHUS.

MAmerchus etiam Siculis Poëtis annumeratur à Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

Is fortaſſis eſt Mamerchus, Catanenſium Tyrannus, vir militiâ, & opibus inſignis, cuique tùm, & theſauri parati, & magnæ militum copiæ ſuppetebant, Timoleon Tycham expugnavit, cum quo ultrò ſocietatem iniit, eidemque argentum, quo ſtipendia exercitui ſolveret, obtulit. Sed à Timoleonte defecit, cui tandem deſperatâ fugâ ſe dedit appoſitâ conditione, ut Syracuſanorum judicio ſiſteretur. Sperabat enim ab illis ad commiſerationem flexis veniam quoque aſſecuturum. Ergo Syracuſas adductus, cum *Orationem pro ſe* in concione moliretur, populus contra eum tumultu edito proditorem non eſſe audiendum, ſed raptandum in ſupplicium, conclamavit. Quod ille animadvertens, dolore, ac deſperatione percitus, abjecto pallio per theatrum medium curſu citiſſimo in ſubſellia perductus, velut ibi moriturus, caput dabat. Sed à militibus inhibitus, paucis pòſt diebus pro prædone à legibus indicto pœnæ genere ſuffocatus eſt. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis Decad. 2. lib. 3. à pag. 325. ad pag. 332.

CCV.

MAMERTINUS MESSANENSIS.

MAmertinus, à Juliano Auguſto Conſul factus *Oratione Panegyrica Imperatori gratias egit*. Pronunciata ea eſt anno CCCLXII; ut ex Faſtis apparet, cùm Conſulatum gereret Nevita Collega. Quis porrò Mamertinus ille fuerit, ex quâ patriâ oriundus, nullibi, quod ſciam, proditum eſt. Ego facilè putem hunc Meſſanâ oriundum fuiſſe: ſic enim Meſſanenſes propter Mamertinos hoſpitio exceptos dicti ſunt Mamertini. Ejus mentio fit in variis locis apud Ammianum lib. 6. lib. 21. lib. 23. atque etiam de ſeipſo non ſemel loquitur in Panegyrico. Ex

quibus

quibus locis omnibus conſtat Mamertinum Præfectum ærario fuiſſe, tùm Præfectum Prætorio per Illyricum, in cujus provinciâ ambitione peculatus reus, abſolutus eſt, & tandem à Juliano Conſul factus. An verò Mamertinus hic idem fuerit, ac ille, cui Panegyrici Secundus, & Tertius, Maximiano dicti, attribuuntur; neque auſim prorsùs negare. Nam tunc, cùm Orationem Juliano dixit, admodùm ſenex fuiſſe videtur: ut conſtat ex Panegyrico n. 17. Sed à teneris annis ab ætate puerili ad hanc uſque canitiem Conſulatus amore flagravit. Ex Jacobo de la Baune Societ. Jeſu in Notis, & Interpret. Veterum Panegyricorum ad Uſum Galliæ Delphini pag. 292. Mamertini Panegyricus pluriès editus eſt in lucem unà cum aliorum Veterum Panegyricis, putà, Plinii, Cæcilii, Secundi, Latini Pacati Drepani, &c.

CCVI.

S. MAMILIANUS ARCHIEPISCOPUS PANORMITANUS.

S. Mamilianus anno reparati orbis 297. Panormitanam Eccleſiam adminiſtrabat. Quo verò tempore ad eam dignitatem evectus fuerit, incertum eſt. Is morum gravitate, ſapientiæ, prudentiæ, ac ſanctimoniæ laude nobilis habetur. Nam ſævientibus in Chriſtianos Diocletiano, & Maximiano, credito ſibi gregi tuendo totis nervis incubuit, & audaci facinore in Regias quoque ędes pedem intulit, ut Nympham, Aureliani, Siciliæ Præfecti, filiam, Aureliani Cæſaris proneptem, Religionis myſteria edoceret, ac baptiſmo expiaret. Proinde in rabiem actus Aurelianus, magiſtrum, ac diſcipulam in ferventis olei dolium conjecit. Sed incolumes experti flammas, pòſt ab Angelo exuti vinculis, quibus obſtringebantur, conſcenſâ navi ad Gilium, ſeu Ægilium Inſulam appulerunt, ex quâ Romam, hinc ad cryptam juxtà Suanam Tuſciæ Urbem contendunt. Ibi rerum terrenarum indigentiâ penè conſumpti, ſed affluentibus cęli favoribus identidem recreati, è cuſtodiâ corporis liberantur: & quidem Mamilianus 15. Septembris ann. 310. cujus cadaver perhonorificè jacet in templo ejus nomini dicato,

ubi Epigramma hoc marmori inciſum ſe legiſſe teſtatur Octavius Cajetanus lib. de Natali die S. Nymphæ:

Hic jacet Corpus S. Mamiliani, Panhormenſis Archiepiſcopi.

De S. Mamiliano lege Cajetanum citatum loco citato, & tom. 1. Vitar. SS. Siculor. pag. 139. & in Animadverſion. pag. 120. plura de corporis inventione narrat. Joſephus Spuccius Societatis Jeſu in Sanctuario Panormit. & Petrus Fortis de SS. Panormitan. Vitam S. Mamiliani ſcribunt. Sed de Archiepiſcopali ejus dignitate tàm antiquâ penes Panormitanos, conſule Rocchum Pyrrhum in Notit. Eccleſ. Panormit. pag. 58. & 59.

In Elogiis Juvenilibus Prȩſulum Siciliensium nos ità de Mamiliano luſimus:

Mamilianus, Archiepiſcopus Panormitanus,
paſtorem egit furis ingenio.
Totus furandi magiſterio intentus,
idoneos diſcipulos,
Proculum, & Golbodæum,
clanculùm in Regiam aulam immiſit,
ut Nympham Aureliani Siciliæ Præfecti unicam,
& vernas raperent.
Vulgari prœdâ non contentus,
dominam cum famulitio rapi docuit,
nullis machinamentis, niſi ſtratagemate veritatis.
Felix Virginis raptus,
qui perpetuum Virginis ſervavit pudorem!
Auctor inauditi facinoris auditus,
in obſcurum carcerem detruſus,
provinciam eo in loco ad inſidias commodo,
feriari minimè ferens;
cuſtodes Chriſti caſſibus irretivit.
Equuleo affixus,
ne ulteriùs latrocinia progrederentur;
ſub inclementiſſimo Prȩſide
in ſuppliciis probavit humanitatem.
Igitur à tormentis nil paſſus
adhuc in quæſtione furti reus,

alienæ

aliena bona in rem ſuam convertit:
nimirum Ethnicos in Chriſtianos.
In terrâ quid amplius auferret, ignorans
exercere piraticam voluit.
Appoſitum ergò adortus navigium
Angelo navarcho,
Neptunum ferociâ ſpoliavit.
Tyrrhenum mare depopulatus,
terram iterùm appulit,
atque in ſecreto adversùs Suanam ſpecu,
viatores prædaturus delituit.
Raptus tamen à Superis,
mortalitatis exuvias in auro depoſuit,
ſepulcrum auguſtius
in Aureâ Conchâ habiturus.

CCVII.

L. MANLIUS SOSI CATANENSIS.

L. Manlius Soſi Catanenſis, Civibus, exteriſque, ſed Romanis quàmmaximè à literarum ſtudiis commendatur. Ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. Chordâ 9.

CCVIII.

MARACHUS SYRACUSANUS.

MArachus Syracuſanus, Poëta erat etiam præſtantior, dum mente alienaretur. Ex Ariſtot. in Problemat.

Cùm in maniam morbum incidiſſet, Poëta, quod anteà non erat, adeò inſignis effectus eſt; ut longè cæteris ſuâ ætate præſtiterit. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis.

Prætereà numquàm meliùs, aut doctiùs ſcribebat carmina, quàm cùm irâ percitus ad carmen accederet. Ex Carolo Stephano in Diction. Hiſtor.

BEA-

CCIX.

BEATUS MARCUS.

B. Marcus Monachus, atrociſſimâ Decii Cæſaris perſecutione vixit, Sanctos Martyres Alphium, Philadelphum, & Cyrinum, fortè à Vaſconiâ Leontinum uſque comitatus, eiſdem adfuit, dum torquerentur, & à Judice interrogarentur. *Horum Martyrum Hiſtoriam*, quam impius Creſcens cremavit, ſed S. Lucianus, Epiſcopus Leontinorum, reſtituit. Claruit anno circiter CCLXII. Ejus memoria colitur apud Leontinos die 4. Martii. Ex Octavio Cajetano tom. 1. Vitar. SS. Siculor. pag. 87. Philadelpho Mauro in Hiſtoriâ SS. Fratrum pag. 335.

CCX.

MARCUS BASILIUS PLANCARENUS MESSANENSIS.

MArcus Baſilius Plancarenus Meſſanenſis, Franciſci Pharaonii Auditor, Hiſtoricus, & Poëta, *Vitam Franciſci Pharaonii, & Epicedion in ejuſdem funere*, quæ Grammaticis Inſtitutionibus Franciſci Pharaonii præfixa viſuntur, non inelegantis dictionis compoſuit, *& alia quædam carmina*, quæ nos viderimus. Ex Grammat. Pharaon.

CCXI.

MARIANUS ACCARDUS NETINUS.

MArianus Accardus Netinus, in arte Oratoriâ, & ſcientiâ legum ſatis exercitatus, pro Epiſcopo Cephalœditano Romæ negotia prudenter geſſit. Ex Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 147.

CCXII.

MARINUS HIMERENSIS.

MArinus Himerenſis, quem alii Mamertinum vocant, Steſichori frater, Geometra præſtantiſſimus fuit. Ex Conſtantino Laſcare.

Thaleti proximus ſucceſſit Mamertinus,inſignis Geometra, qui dicitur rerum Geometricarum inventor: de quo nihil, niſi nomen, & elogium retulit Proclus. Frater Steſichori Poëtæ. Ex Claudio Franciſco de Chales Societ. Jeſu in ſuo Curſu Mathemat.

CCXIII.

MATTHÆUS CANDIDUS LEONTINUS.

MAtthæus Candidus Nobilis Leontinus, mitiori literaturâ cumulatus, & Hiſtoricus non vulgaris. Scripſit *de Rebus Siculis ab anno* 1435. *uſque ad an.* 1445. Ex Philadelpho Mugnos in Theatro Genealogico Siciliæ tom. 1. pag. 117. famil. Candid.

CCXIV.

MATTHÆUS RICCUS MESSANENSIS.

MAtthæus Riccus Meſſanenſis, inter vetuſtiores Poëtas Italos numeratur. Scripſit *carmina*, quæ ſeculo illi rudi congruunt. Ex Leone Allatio de Poëtis Italis antiquioribus.

CCXV.

MATTHÆUS SILVAGIUS CATANENSIS.

MAtthæus Silvagius Catanenſis Ordinis Minorum Obſervantium; in divinis Scripturis ſi quis alius verſatiſſimus, Theologicis,ac Philoſophicis ſtudiis clariſſimus.Plura,eaq; ſale referta in utrâque facultateCommentaria dedit,quę aut vetuſtate ob ſita deliteſcunt,aut in publicum ſuppoſititii nominis uſurpatione prodierunt. Hujuſmodi tamen infortunium perpeti nequivère pręclara illius ingenii monumenta,*in libros Natural. Ariſtotelis.De nuptiis animæ cum ſponſo ejus Chriſto.De Gratia,& remediis. Et Victoria Verbi Dei contra Hebræos.Colloquia trium peregrinorum, in quibus brevem, ſed concinnam de Patria Hiſtoriam* ſcripſit. In patrio Lycæo Theologiam quàm ſæpiſſimè profeſſus. Acri ſanè ingenio præditus,ſed ex eo ſummopere laudandus,quòd à ſcribendo, aut diſputando nunquã deſtiterit.Floruit anno 1490. Ex Groſſo, ſed ætatem produxiſſe ad annum 1535. conſtat ex ipſius Chronico Siciliæ. Nam *Sicularum rerum Chronicon* uſque ad adventum Caroli V. Cæſaris in Siciliam extendit, & Panormitanorum, ac Meſſanenſium ſolemnes pompas deſcribit, quas excipiendo potentiſſimo Imperatori apparaverunt. Prodivit Venetiis 1542. in 8. Antonio de Montecatino, & Franciſco ejus filio, Adernionis, & Caltaniſectæ Comitibus, dedicatum; opus pulcrum, & ſtudioſis viris ſatis jucundum. *De tribus Peregrinis, ſeu Colloquiis trium peregrinorum, de Divinis Perfectionibus, de Philoſophia Sanctorum, de partibus Mundi, climatibus, linguis, & populis, civitatibus, & conditionibus, & de excellentia Romæ, & Hieruſalem, ubique multa notatu digniſſima.* Ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. chordâ 2. pag. 105.

CCXVI.

MAURITIUS EPISCOPUS CATANENSIS.

MAuritius Civis, & Epiſcopus Catanenſis, vir æquè pius, ac doctus, cum anno ſalutis 1126. Byzantio attuliſſent cor-

corpus Beatæ Agathę Virginis, & Martyris, Goſcelmus, & Gilibertus; *hujus Tranſlationis Hiſtoriam* ſcripſit. Obdormivit in Domino 1143. Ex Octavio Cajetano tom. 1. Vitar. SS. Siculor. pag. 53. & Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Catanâ Sacrâ pag. 70.

CCXVII.

S. MAXIMIANUS EPISCOPUS SYRACUSANUS.

S. Maximianus Syracuſanus, in patrio Cœnobio extructo, ubi S. Martyris Luciæ triumphus acciderat, Benedictinum inſtitutum profeſſus unà cum Trajano, pòſt Antiſtite Milevitano, atque aliis conſummatæ virtutis Monachis, S. Gregorium Magnum adoleſcentem religioſis diſciplinis inſtituit in Romano Cœnobio S. Andreæ, quod in paternâ domo ad Clivum Scauri Gregorius condiderat remiſſo jam caducis rebus nuncio, & Maximianus Abbas adminiſtrabat. Inde ad Syracuſanum Epiſcopatum evectus, eâdem fermè tempeſtate ad Romanum Pontificatum Gregorio aſcendente, in omnes Siciliæ Eccleſias vices à Gregorio ſibi collatas ſuſcepit. Tandem Maximianus migravit ad Dominum anno 596. Junii 9. Franciſcus Maurolycus, & Joſephus Bonfilius in Hiſtoriâ Siculâ falsò tradunt Maximianum floruiſſe ad annum 624. Habes plura, eaque præclariſſima monumenta de S. Maximiano paſſim, in Dialogis S. Græ gorii, & in Vitâ ejuſdem S. Gregorii, à Joanne Diacono conſcriptâ. Meminerunt de S. Maximiano Baronius in Martyrol. Roman. Octavius Cajetanus in Martirologio Siculo, atque alii plures paſſim. Extat hujus Sanctiſſimi Epiſcopi *Epiſtola Græcè ſcripta ad S. Gregorium Magnum*. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Syracuſan. pag. 132. 133.

CCXVIII.

MENECRATES SYRACUSANUS.

Menecrates Syracuſanus, Medicus celeberrimus, homines è comitiali morbo liberabat. Hic Jovem ſe vocari,

eos autem, quos ſanabat, ſibi ſubditos voluit. Ex Conſtantino Laſcare.

Quarè, cùm ad Ageſilaum ſcribens, in Epiſtolę fronte propoſuiſſet: Menecrates Juppiter Regi Ageſilao ſalutem dicit; Rex, ut primùm legit, reliquis nequaquàm perſpectis, eveſtigiò hominis inſaniam faceto reſponſo reticulavit, dicens: Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatem dicit: ut Plutarchus commemorat. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis Decad.1. lib.4. pag.102.

At Philippus Macedo ad medendum veſaniæ hominis inter lautiſſimas epulas ridiculam inediam illi præſcripſit. Nam amictus purpurâ, coronam auream capite geſtans, ſceptrum tenens, ſoleas indutus, ſtipatus cætu Deorum, quos repręſentabant, qui à morbo ejus operâ convaluerant, cùm Menecrates regiones multas luſtraret; ad Philippum in hanc ſententiam ſcripſit: Tu quidem in Macedoniâ regnas: at ego in Medicinâ: tu benè valentes perdere potes, ægris autem ſanitatem ego reddere, præſtareque, ut incolumes conſeneſcant. Itaque milites tibi ſtipatores ſunt, ac ſatellites; mihi verò comites, atque aſſeclæ, quos à morbis, ac morte vindicavi. Rex tacitus eum cum ſuo Deorum famulitio ad convivium invitavit. Cœnaculum ingreſſi, ut accumberent in mediis lectis, magnificentiſſimè pro ritu ſacrorum extructis, curavit, alias menſas aliis convivis occupantibus. Interim Menecrati, Diiſque Menecraticis odores ad ſuffitus incendebantur, fructuum libationes tantùm fiebant, reliquis lauto admodùm prandio veſcentibus. Sed Menecrates jam obrepentem famem gravatè ferens, indignante acriùs ad injuriam ſtomacho, cum ſubjectis, ac morigeris Diis ſuis illuſus Juppiter, diſceſſit, feſtiviſſimè Philippo ejus inertiam redarguente. Ex Athenæo lib.7. Æliano lib.12.

CCXIX.

MESO.

MEſo Siculus, an is Metho, Empedoclis pater, an Myſo, de quo Laertius lib. 1. meminit, an alius extiterit? incertum. Inter Poëtas Siculos recenſetur à Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

CCXX.

METELLUS AGRIGENTINUS.

Metellus Agrigentinus, vir doctus, & Muſicus eximius, Muſicam Platonem docuit. Ex Conſtantino Laſcare.

CCXXI.

MICHAEL PLATIENSIS.

Michaël Platienſis Ordinis Minorum Obſervantium, ſcripſit *Hiſtoriam Siculam ab exceſſu Friderici II. hujus nominis, Regis Siciliæ, uſque ad annum 1361. more Siculo, & 1362. more Romano*. Hanc Hiſtoriam ex m. s. codice Friderici de Vigintimilliis, Equitis Panormitani, Marchionis Hieracii fratris ſe in lucem editurum promiſerat Antonius Amicus, ſed promiſſis ſtare nequiit fato aduentante. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Catan. pag. 105. Joanne Paulo Clarandao Societ. Jeſu in Hiſtoriâ Platienſi, & Antonio Amico in Indiculo operum, quæ in lucem edere meditabatur.

CCXXII.

MICHAEL GLYCAS.

Michaël Glycas Siculus ſub Alexio, & Joanne Commenis, Imperatoribus Conſtantinopolitanis, vixit, & ſcripſit *Annales quadripartitos: opus non modò hiſtoricum, ſed etiam Theologicum, & Phyſicum*. Primâ parte agit de operibus ſex dierum: alterâ de rebus geſtis ab orbe condito uſque ad Chriſtum natum: tertiâ proſequitur res à Chriſto uſque adConſtãtinum Magnum: quartâ Byzantinorum res tractat uſque ad obitum Alexii Commeni, qui anno 1118. moriens, Joannem Commenum habuit ſucceſſorem. Exinde uſque ad captam à Latinis Conſtantinopolim perſtrinxit res Byzantinas Leunclavius: qui, & primus

Glycæ interpretatiónem nobis dedit. Ex Auberto Miræo de Scriptor. Eccleſiaſticis pag. 237.

Jacobus Pontanus Societatis Jeſu vertit è Græco in Latinum ſermonem Michaëlis Glycæ diſputationes cum notis. Extat tom. 12. Bibliothecæ Magnæ Patrum. In tomo 12. Bibliothecæ Magnæ Patrum, editę Colonię 1618. extant Michaelis Glycę diſputationes 11. recenſitæ, atque illuſtratæ ab Andrea Schotto Societatis Jeſu. Philippus Labbè ejuſdem Societatis edidit Glycæ Annales Græcè, ac Latinè, & Pariſiis ex Typographiâ Regiâ 1660. in fol. Ex Philippo Alegambe Societ. Jeſ. Nathanaële Sotuello ejuſdem Societ. in Biblioth. Scriptorum Societatis Jeſu. Michaël Glycas non indignus lectu, à quo multa recondita eruas, inquit Dempſterus, licèt leges hiſtorico præſcriptas paſſim negligat. Ex Balthaſſare Bonifacio in Hiſtoriâ Ludricâ lib. 15. cap. 6. pag. 440.

CCXXIII.

MIDAS.

Midas Muſicus non ignobilis Siculus, *verſus* aliquando fudit, & cudit. Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

Midas Phrygiæ Rex, de quo fabuloſa multa jactantur, Poëta, & Muſicus fuit, eaſque artes, aliaſque ſcientias ab Orpheo didicit, ut narrat Franciſcus Patritius:

CCXXIV.

MONYMUS SYRACUSANUS.

Monymus Syracuſanus, Philoſophus Cynicus, ac Diogenis Cynici filius, Vir ſanè elegantiſſimus, & copioſiſſimus, multa ſcripſit in Philoſophiâ. Famulus autem fuerat cujuſdam menſarii Corinthii. Hic contemptâ gloriâ veritatem ſemper appetiit. Ex Conſtantino Laſcare.

Lapſum hîc Laſcarem locus Diogenis Laërtii, atque aliorum,

rum, arguit, dum Monymum pro diſcipulo Diogenis Cynici filium reponit. Monymus Syracuſanus, Diogenis quidem diſcipulus, famulus verò cujuſdam menſarii Corinthii fuit, ut Socrates tradit. Ad eum Xeniades, qui Diogenem emerat, frequens commeabat, virtutem hominis, atque in dicendo vim admiratus. Adhæſit autem, & Crati Cynico ſæpiùs, cæteroſque id genus ſtudioſè conſectatus. Fuit vir eloquens, & doctus, adeout Menander Comicus ipſius mentionem fecerit in quadam Comediâ, quæ Hippocomus inſcribitur. Adeò verò gravis, & conſtans fuit, ut contemptâ gloriâ ſolam veritatem appeteret. Scripſit autem *Ludicra ſententiis ſeriis permixta. De Appetitionibus duo, & Exhortatorium*. Ex Laërtio in Monymo.

CCXXV.

MOSCHION SYRACUSANUS.

MOſchion Syracuſanus Grammaticus, *Navis Hieronis, Tyranni Syracuſanorum Hiſtoriam* ſcripſit, quam attentè, ac ſtudioſè perlegiſſe ſeſe Athenæus lib.5.pag.148. fatetur. Hunc malè cum Moſcho Poëtâ Syracuſano confuſum à Laſcare tradit Vigintimillius.

CCXXVI.

MOSCHUS SYRACUSANS.

MOſchus Syracuſanus Grammaticus, & Poëta fuit. *Multa* ſcripſit, quem opinor, & Moſchienem appellatum, inquit Conſtantinus Laſcaris.

Moſchus Syracuſis in Siciliâ natus eſt, ac poſt Theocritum temporibus Ariſtarchi vixit Olympiade 157. cùm in Ægypto regnaret Ptolomæus Philometor. Sunt autem à principio Regni Philadelphi, ſub quo Theocritus vixit, uſque ad principium Regni Philometoris, ſub quo Moſchus vixit, anni circiter centum. Ex Joanne Criſpino in Præfatione in Moſchum.

Scripſit *Idyllia*, quæ ſunt; *Amor profugus. Megara. Epitaphium Bionis*

Bionis. Fragmenta nonnulla, & Epigrammata in Amorem arantem. Ex Patritio in Hiſtor. Poët. lib.1. pag.121.

Hunc alium fuiſſe à Moſchione Grammatico cenſet Vigintimillius, cumque præter Carmina Bucolica quædam alia edidiſſe refert. Ex Hegeſiâ, ſeu Gloſſar. Rhodior. Vocab. apud Athenæum lib.11. pag.361. & lib.14. cap.8. pag. 634. Athenæus ſcribit Moſchum ſcripſiſſe *de Machinis*, Romanorum autem machinam eſſe tradit Sambucam, cujus fabricam, & ſpeciem Heraclides Tarentinus invenerat. Ex Ioanne Vigintimillio de Poetis Bucolicis Siculis à pag. 401. ad pag.427.

CCXXVII.

M U S Æ U S.

Muſæus inter Poëtas Siculos à Ioanne Vigintimillio recenſetur in Tabulâ Poëtarum Siculorum. Sed apud Auctores de Muſæo Siculo nulla mentio. A Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis quatuor Muſæi recenſentur: Athenienſis unus, Epheſius alter, tertius Eumolpi filius, quartus Thebanus.

CCXXVIII.

NICOLAUS BITRONUS CATANENSIS.

Nicolaus Bitronus Catanenſis è Carmelitanâ familiâ, in Philoſophicis, ac Theologicis ſtudiis Magiſter, Provinciæ Siculæ univerſæ moderator, Bononiæ Theologiam Senatus ſtipendio profeſſus eſt. Ex Ioanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. Chordâ 2. pag.159.

CCXXIX.

NICOLAUS DE COSCIIS MESSANENSIS.

Nicolaus de Coſciis Canonicus Meſſanenſis, floruit anno 1466. Scripſit *Libellum, in quo Meſſanenſium Archiepiſcoporum*

rum ſeries continetur. Eum in Theſauro Meſſanenſi aſſervari olim, ſeque nonnulla ex eodem decerpſiſſe affirmat Carolus Morabitus in Annalibus Eccleſiæ Meſſan. pag. 220. Scripſit etiam *de familiis Meſſanenſibus*, ut refert Stephanus Maurus in Meſſan. Prometrop. Siciliæ pag. 192.

CCXXX.

NICOLAUS DATUS NETINUS.

Nicolaus Datus Netinus, Philoſophus, & Medicus præſtantiſſimus, Doctoratus inſignia Bononiæ accepit anno 1446. Mirabiles ejus prædictiones fuerunt. Ingentes ſibi divitias comparavit, ab Antonio Moncatâ, Calataniſſectæ Comite, Feudo S. Michaëlis in Auguſtano agro etiam donatus. Hiſce literarum, atque opum ſplendoribus, nec non avorum ſuorum gloriâ in omni Siciliâ claruit. Meminit illius Lucius Marinæus lib. 5. Epiſtol. famil. ubi ad Cataldum Pariſium ſcribens, inter Mathematicos, & Medicos inſignes Nicolaum Datum refert. Ex Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 126.

CCXXXI.

NICOLAUS MARINUS CATANENSIS.

Nicolaus Marinus Catanenſis, Ordinis Carmelitanorum, Divinarum rerum ſcientiâ laureatus, & eruditionis plurimæ, Provinciæ Siculæ Præfecturam geſſit. A Bonifacio IX. ſummo Pontifice, qui eum amplioris fortunæ capacem noverat, Apoſtolicus Viſitator in eâdem Provinciâ Siculâ renunciatus anno 1396. mortem occubuit. Ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. Chordâ 2° pag. 158.

NICO-

CCXXXII.

NICOLAUS SPECIALIS NETINUS. SICILIÆ PROREX.

NIcolaus Specialis Neti ſummo loco natus, domi, militiæque clariſſimus, Alphonſo Regi adeò gratus, ut vicariâ ejus poteſtate plures annos Siciliam adminiſtrarit. Tantâ humani, divinique juris prudentiâ, & conſummato per longam experientiam judicio Siculum Regnum procuravit; ut Alphonſus palam dixerit: ſi fortè leges, rectèque vivendi mores interirent, Nicolaus unus ſatìs eſt, qui omnia in integrum reſtitueret. Inter Proceres illos à Collenucio numeratus, qui cum Alphonſo Rege navali claſſe à Liguribus capti ſub Philippo Mariâ Mediolanenſium Duce, atque ab eo perquàm honorificè ſunt dimiſſi anno 1436. Magnis auctus honoribus, atque opum affluentiâ, Leonorâ filiâ Blaſco Barreſio, Militelli Domino, altera Iſabellâ Ferulæ Toparchæ, nuptui traditis, de patriâ optimè meritus, in patrio ſolo devixit anno 1444. Februarii 13. Scripſit *Hiſtoriam Siculam uſque ad ſua tempora an.* 1444. quæ manu exarata plurimorum manibus teritur. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Syracuſan. pag. 225. Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 106. Pandulpho Collenucio in Hiſtor. Neapol. lib. 6.

Nicolaum Specialem, qui *Siculorum Regum Hiſtoriam*, ſcripſit *à tyrannide, ac cæde Gallorum ad Friderici Regis obitum uſque*, floruitque anno 1334. alium fuiſſe cenſet Groſſus ab illo, qui Siciliæ Proregem egit anno 1423. quam opinionem Maurolicus prior invexerat, hæc inquiens in Hiſtor. Sicil. lib. 5. Joanne Pont. Max. fatis ſublato ſubrogatus eſt Benedictus XII. anteà Monachus Ciſtercienſis. Tunc Fridericus Rex ad novum Pontificem Legatos deſtinat, Ogerium Vizolum, Nicolaum Lauriam, & Nicolaum Specialem, ejus interceſſu cum hoſte tractaturus. Sed hi, & alii Legati ad eundem ad idipſum miſſi, nihilominùs infectis rebus redierunt. Fuit autem Nicolaus Hiſtoriæ Scriptor à tyrannide, ac cæde Gallorum uſque ad obitum Friderici Regis, quam nos Hiſtoriam, inquit Maurolycus, quâ decuit bre-

brevitate, Compendio noſtro inſervimus. Apud Joannem Baptiſtam de Groſſis in Decachordo Catan. tom. 2. pag. 51.

Cæterùm Nicolaus Specialis à Scriptoribus Netinis, Littarâ, & Pyrrho, Netinus creditus, Siciliæ Prorex, & Siculæ Hiſtoriæ Auctor, in marmoreo tumulo in Netino templo Divi Franciſci compoſitus, hoc triviali epitaphio inſculpto:

Magnificus Specialis heros iacet hic Nicolaus:
Trinacriis tumulis ditior euge, lapis.
Divinos cineres ſerva ſpeciale ſepulcrum.
Sicelidum ſpecimen, tàm ſpeciale decus.
Neſtora Conſilio; quamvìs virtute Catonem,
Hunc Quintum Fabium pro gravitate puta.
Proregemque tribus luſtris videre Sicani.
Nam totidem Regis ſuſtulit ille vices.

Poſtero anno Joannes Matthæus Specialis, Nicolai filius, obiit qui marmoreo etiam tumulo in Divi Fraciſci, ſed carmine non minùs impolito, conditur:

Quæris Matthæi Specialis buſta Joannis?
Oſſa viri fortis iſte coloſſus habet.
Magnanimi, intrepidi, clari Mavortis alumni:
Tanta ſub exiguo condita virtus humo.
Hicce Camerlingus Regis, ſimul omnibus iſtis,
Olli, quod tantis contigit, adde, pater.
Obiit an. 1445. Julii XX.

CCXXXIII.

NICOLAUS TERRANOUA DREPANENSIS.

Nicolaus Terranova Drepanenſis, Ordinis Prædicatorum, Theologus, & Orator facundiſſimus, Alphonſo Regi Neapolitano à Confeſſionibus. Scripſit *in Epiſtolas divi Pauli volumina duo, volumen unum ſermonum.* Ex Leonardo Orlandino in Deſcriptione Urbis Drepani pag. 53.

CCXXXIV.

NICOLAUS TEDESCHIUS CATANENSIS, ARCHIEPISCOPUS PANORMITANUS, CARDINALIS.

PAnormum, Sicularum Urbium Principem, Nicolao Patriam attribuunt Rocchus Pyrrhus, & Franciſcus Baronius, coniecturâ, quæ incertæ rei uſurpandæ valeret, niſi multa obeſſent. Ferunt hi ſub extremâ orâ quorundam Conſiliorum, & in primâ omnium Operum facie Nicolaum Abbatem Panormitanum indigitari: quo ſanè titulo Abbatis Panormitani externi Scriptores Nicolaum internoſcunt, & etiamnum allegant. Verùm, qui contrarias partes tuentur, Petrus Carrera, qui de familiâ Tedeſchiâ juſtum volumen confecit, & Joannes Baptiſta de Groſſis, qui peculiari argumento Nicolai vitam inſcripſit, Abbas vindicatus; appellationem illam amanuenſium imperitiâ prolapſam clamant, nunquam ab Auctore appoſitam: nec mirum invaluiſſe apud ignotos homines: cùm, quæ altius in vulgus deſcendunt, difficiliùs exoleſcant. Sed, inquiunt, legitimum ortum habeat appellatio illa, Nicolaum Panormi ortum non probat. Nam Abbas Maniacenſis electus Nicolaus, tantâ literarum famâ celebrari cœpit Abbas Maniacenſis, ut idem inde Archiepiſcopus renunciatus, retento Abbatis nomine,additoq; cognomento ex recentis dignitatis loco, Abbas Panormitanus nuncupatus ſit. Ceterùm clariſſimam Urbem Catanæ Nicolai patriam fuiſſe tàm multa convincunt, ut caligare in luce videantur, qui veteri opinioni adhuc hæreant, & obſiſtant. Primùm Nicolaus ipſe Civem Catanenſem ſe non raro, Catanenſes autem ipſos Cives ſuos nominat. In Prooemi. Rubric. extra. de Jud. Ego Nicolaus de Tudiſco Catanenſis Siculus inter DD. minimus. In cap.noviter de Jud.num.13. Ætna, quæ diſtat à Civitate meâ ferè 14. milliaria. In Epiſtol. ſub an. 1425. ad Catanen. miſsâ: cùm inſtituiſſem ſcribendum ad vos, viri inſignes, ac concives quàm plurimùm honorandi. &c: ſed id, concives optimi,intueri libet. &; in fine Epiſtol. Veſter concivis Nicolaus de Tudiſchis Doctor minimus, Abbas Maniacii.

Ante

Ante id tempus, nimirum ânno 1419. Catanenſes Martino V. Rom. Pont. pro Nicolao ſcribentes, illuſtrem Decretorum Doctorem, egregium Dominum Nicolaum de Tudiſco Concivem noſtrum inſignem. &c: eſt enim Concivis noſter plurimùm generoſus; ſcribunt. in Epiſtol. Regi Alphonſo à Catan. miſsâ in Nicolai commendationem multis pòſt annis, nimirùm anno 1434. ſi vera ſunt, quæ de Cive noſtro narramus. &c: Civem noſtrum Dominum Nicolaum, ſcribunt. Secundùm Panormitani patriâ Catanenſem aſſerunt Nicolaum. Nam in æde maximâ Panormitanâ incidi ad ejus tumulum curarunt: certè quidem tacito in veritatem conſenſu tolerarunt:

Panormi Antiſtes, & Catanenſis erat.

Ex Panormitanis Petrus Ranzanus, Epiſcopus Nucerinus, obitis legationibus, ac literariis monumentis illuſtriſſimus, qui ferè ſub ætatem Nicolai vixit, lib. 41. Annal. qui m. ss. aſſervantur in Bibliothecâ Panormitani Cœnobii Divi Dominici ad an. 1441. de Nicolao meminit his verbis. Nicolaus cognomento Tudiſcus natione Siculus Catanenſis, Juris Pontificii ſcientiâ ſuo ſeculo nemini ſecundus judicatus eſt. Ad hæc plures afferuntur Auctores, qui tradunt Nicolaum fuiſſe Catanenſem: neque inter hos referendi ſunt Scriptores Catanenſes, qui blandiente in patriam affectu, aut peregrini, qui de rebus longinquis aliquando ſentiunt, ut audiunt, non ut vident: ſed Siculi nullarum partium ſtudioſi, quibuſque omnia perſpecta eſſe poſſunt. Thomas Fazellus inquit: Nicolaus cognomento Todiſcus Catanenſis fuit. Marius Aretius ait: Nicolaus Tudiſcus cognomento Abbas, proximis ante annis Juris prudentiſſimus, qui multa ſcripſit, Catanæ claris ortus natalibus, Archiepiſcopus Panormitanus. Contra hæc eruditam Apologiam apparari à Vincentio Auriâ, Juriſconſulto Panormitano, minimè ignoramus. Sed de Patriâ controverſiam innuiſſe ſufficiat, nobis nec in diſceptationem advenire, nec dirimere litem, inter duas potentiſſimas Siciliæ Urbes diù agitatam, conſentaneum exiſtimamus. Ultrò arriperemus arma, conſtanterque dimicaremus, ſi qui barbarorum Siculam rem uſurparent, aut inuaderent.

De Patriâ Nicolai contentio eſt inter Siculos, de nobilitate

generis ejuſdem nulla diſcordiarum ſemina uſquam apparent: omnes ad unum egregiam Tedeſchiorum proſapiam, undè ille profectus, extollunt, Guidonem Pancirolum ſugillantes, quòd ſcripſerit in Vitâ Nicolai: Nicolaus Tudiſcus Cataniæ, quæ Urbs eſt Siciliæ, obſcuris natalibus ortus, à puero Divi Benedicti habitum ſuſcepit. Eundem Pancirolum carpunt, quòd ingentem pecuniæ vim in Baſileenſi Concilio per avaritiam conflaſſe Nicolaum referat, & inanem natalium calumniam, & fictum cupiditatis crimen Scriptoris invidiæ vertunt, quâ Pancirolus in Nicolaum æmulum laborabat. Non vacat hìc Tedeſchiæ gentis ornamenta recenſere. Profectò Nicolaus paternum genus traxit ex Antonio ſeniore, qui poſt defectionem à Rege Martino, eidem adhæſit, Regiis obſequiis inſignis, Baro Ennenſium Salinarum in cenſu Feudatoriorum Martino Rege deſcriptus. Maternum genus hauſit ex Agathâ Intorrellâ, ſive Torellâ dictâ, cujus, neptem Andrevam ex Marinellâ ſorore, Joannes Moncata, Comes Adernionis, in uxorem duxit. Jacobus Nicolai germanus frater, Catanenſis Senator, ex Blancaflore Platamoniâ quatuor Feuda, Bruchæ, ſive Modali Campanæ, Criſciunæ, Ciurcæ, & Canalium, dotalia accepit, generoſiſſimamque ſobolem ſuſcepit. Antonius Junior, Antonii ſenioris ex Henrico fratre nepos Catanenſis Senator, cum Conſtantiâ coniuge præter cæteros Jacobum Juniorem genuit, qui ex Abbate Ciſtercienſi Alti Fontis, Archiepiſcopus Meſſanenſis deceſſit an. 1473. Martii 14. Antonii ſenioris, & Henrici pater, Nicolai noſtri avus, Nicolaus fuit, ex Theutonico ſanguine ſatus: unde Tedeſchiorum nomen effluxit.

Nicolaus adhuc adoleſcens in Benedictino Cœnobio Divæ Agathæ, quod tum Catanæ florebat, cujus tum Abbas Epiſcopum agebat, quemadmodùm Abbas Montis Regalis Archiepiſcopum repręſentabat primo extructæ Sedis ſęculo, donec Monachis Presbyteri ſucceſſerunt; religioſa vota nuncupavit. Catanæ in Juris prudentiam incubuit, quam etiam Bononiæ addidicit, ſub Franciſco Zabarellâ Canónum Profeſſore, à quo Pontificio Senatui adlecto, Doctoratus inſignia conſecutus eſt. In patrio Athenęo Sacros Canones deinde interpretatus, eoſdem Senis decem, & amplius, annos docuit. Tunc à Martino V.

Rom.

Rom. Pont. Abbas Maniacenſis creatus anno 1425. Januarii 10. plurimùm inclaruit. Subinde Parmæ, mox Bononiæ Canones tradidit, Referendarius Apoſtolicus, & Generalis Pontificiæ Cameræ Auditor, Regi Alphonſo à Conſiliis ſuffectus. Rege Alphonſo poſtulante demùm ab Eugenio IV. Rom. Pont. Archiepiſcopus Panormitanus renunciatus eſt anno 1433. menſe Februario. Juſſu Alphonſi Regis bis ad Baſileenſe Concilium contendit, in quo conventu, legitimâ priùs auctoritate coacto inde in ſeditioſum conventiculum abeunte, facultate Juris, & eloquentiâ plurimùm valuit. Robertus Cardinalis Bellarminus aliquot articulos benè illum tractaſſe affirmat, ſed parùm benignum ergà Eugenium IV. vel ſi mavis dicere, inimicum ſe geſſiſſe teſtatur Marcus Battalinus, qui Generalium Conciliorum Hiſtoriam recèns publicavit, cui Eugenio Alphonſus Rex apertè adverſabatur ob Regnum Neapolitanum, in quod Renati Andegavenſis adoptione accerſitus, id validâ manu occuparat, Pontificiam licentiam nihil veritus ſecundùm jura, quæ in Neapolitanum Regnum Pontifices obtinent. Ergo Baſileenſes Patres, ſive, ut morem Principibus gererent, ſive, ut Principes, qui privatis odiis in Eugenii exitium conjuraverant, factioſorum ſtudia foverent, plura in Eugenium moliti ſunt. Denique Amadeus Sabaudus, Felicis V. nomine Antipapa creatus, Nicolaum Cardinalitiâ purpurâ Duodecim Apoſtolorum titulo decoravit anno 1440. Novembris 12. Alphonſo Ciacconio teſte in Vitâ Eugenii IV. quam deinde dignitatem etiam poſt abdicatum Felicis V. Imperium retinuit, à Nicolao V. poſtmodùm confirmatam ex Divo Antonino, & Panvino. Poſt hæc Nicolaus Panormi morbo ſublatus eſt anno 1445. menſe Julio ex Æneâ Silvio, ſivè Februarii 24. ex Catanenſi codice, in quo Monachorum, & Canonicorum defunctorum memoria extat. Sepultus eſt in templo Panormitano adjecto Epitaphio:

Morte tua Canon, & leges, & jura Quiritum
Occubuere, jacent hoc tumulata loco.
Tu Nicolaus eras, Tudiſco ſanguine natus:
Panormi Antiſtes, & Catanenſis eras.
Eugenio, & Baſila diſcordi pace ruebat
Noſtra fides; ſteterat te duce Concilium.

Nomi-

Nominis, & tituli cumulos, & laudis adeptus,
Unde tuum texit rubra thiara caput.
obiit 1445.

Poſt multos annos Franciſcus Tedeſchius, Patritius Catanenſis, Fortunæ II. filius, hoc Nicolao epitaphium ſcripſit.

Me genuit Catana, Auſonii rapuere, Panormus
Læta tenet: Princeps juris in orbe fui,

Plures Scriptores honorificè meminerunt de Nicolao præter ſupra allegatos. Lucius Marinæus lib. 5. Epiſtol. Clariſſimum legum lumen appellat. Tritemius in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſt. Juriſconſultum omnium celeberrimum, ingenio ſubtilem, & acutum, conſilio promptum, & firmum, ſermone apertum, & compoſitum, Lucernam Juris nuncupat. Jacobus Gualterius in Chronographiâ Eccleſ. Cathol. de Nicolao teſtatur: tantâ Juris præſertim Canonici eruditione præditus, ut lampas Juris appellatus ſit. Guido Pancirolus in fine Vitæ ejuſdem Nicolai: Panormitanus Pontificum Decreta eâ doctrinæ ſoliditate eſt interpretatus, ut alter Bartholus inter Juris Pontificii Profeſſores dici meruerit. In eo præcipuè commendatur, quòd lucidum ordinem obſervans perſpicuus appareat. Præter Concilii Baſileenſis opus, nonnullas quæſtiònes, & erudita reſponſa ſcripſit, quæ à Ludovico Bolognino in lucem emiſſa fuere. Pius II. Pont. Max. anteà Æneas Silvius Piccolomineus dictus, qui Eugenii IV. cauſam impugnaverat in Concilio Baſileenſi, in Bullâ Retractationum hæc de Nicolao ſubdit: Nicolaus Panormitanus Archiepiſcopus, & Ludovicus Pontanus, Alphonſi Regis Oratores, qui velut duo orbis ſidera, ceu Pontificii Juris, & totius civilis ſapientiæ duo præcipua lumina, & clariſſima cenſebantur. Idem in libro prim. Comment. erravi, quis neget? ſed neque cum paucis, neque cum parvis hominibus, Julianum S. Angeli Cardinalem, Nicolaum Archiepiſcopum Panormitanum, Ludovicum Pontanum, tuæ ſedis Notarium ſum ſecutus, qui Juris civilis, & veritatis magiſtri credebantur. Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſt. pag. 267. Nicolaus Tudeſcus, natione Siculus, patriâ Catanenſis, Abbas ordinis Benedictini, pòſt Archiepiſcopus Panormitanus, demum Cardinalis, ſed in ſchiſmate à Felice V. Antipapa crea-

creatus, Juris Pontificii peritiſſimus: obiit anno 1445. ejus opera tomis 8. Veneti 1592. evulgarunt: de quibus vide Bellarminum de Scriptor. Eccleſiaſt.

Scripſit ergo Nicolaus ex Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſticis *tomos octo in fol.* juxta editionem Venetam an. 1592.

In primo, & ſecundo tomo habentur Commentaria in primum librum Decretalium.

In tertio, quarto, & quinto tomo habentur Commentaria in ſecundum librum Decretalium.

In ſexto tomo habentur Commentaria in tertium Decretalium.

In ſeptimo tomo habentur Commentaria in quartum, & quintum Decretalium, & in Epiſtolas Clementinas.

In octavo tomo habentur Conſilia 226. quæſtiones ſeptem.

Item Relectio in cap. per tuas de Arbitris.

Item Practica ejuſdem.

Dicitur etiam ſcripſiſſe Commentarium inchoatum in Decretum: ſed neſcio, an extet?

Dicitur etiam ſcripſiſſe librum pro Concilio Baſileenſi: ſed hunc librum, ut in mala cauſa ſcriptum, & proinde erroneum, credibile eſt ex ejus operibus abraſum fuiſſe, ego certè inter ejus opera variarum editionum eum nunquam reperi.

Conradus Geſnerus, Auctor damnatus, in Bibliothecâ eadem Nicolai opera quibuſdam additis recenſet:

Nicolaus Siculus Abbas Maniacenſis, Ordinis S. Benedicti, dictus de Tudeſchis, Panormitanus Archiepiſcopus, & demum Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, Juris conſultus celeberrimus ſcripſit:

Super Decreto imperfectum librum unum, pro Concilio Baſileenſi librum unum, ſuper Decretalibus libros quinque, ſuper Clementinis librum unum, Proceſſum judiciarium librorum, Conſilia centum quatuor libro uno, Diſputationes varias libro uno, & alia complura. Ejus proceſſus judiciarius, ſive Practica de modo procedendi in judicio tàm ſummariè, & de plano, quàm merè, & cum ſtrepitu judiciali, in omnibus fermè Curiis obſervari conſueta. Tractatus de Auctoritate, veritate, & inſtitutione Conciliorum ſacrorum, præſertim Baſileenſis, cum annexione quorundam dubiorum, & caſuum extat m. s. apud M. Dreſſerum cum aliis Panormitani libris. Ejus Tractatus, qui inſcribitur, nobiliſ-

ſimus

ſimus ſuper Concilio Baſileenſi, de ejus Concilii, & Papæ poteſtate, ſuper Decretales Commentaria tomis quinque edita cum aliorum annotationibus Lugduni. Ejuſdem Concuſſiones, fortaſſis legendum Concluſiones, Gloſſarum Clementinarum junctis aliis variis Doctorum tractatibus extant m. ſſ. in Bibliotheca Imperatoris. Duo volumina Conſiliorum, & varias quæſtiones in Jure 1527.

Leonardus de lege Nicolai opera multùm commendat, eadem illuſtravit editione Lugdunenſi Alexander de Nevo Vincentinus.

Præter alias editiones extat editio Veneta hoc præfixo titulo: Nicolai Tudeſchi Catanenſis Siculi, Panormi Archiepiſcopi, vulgò Abbatis Panormitani, &c. apud Junctas 1588.

Conſule citatos Auctores, Scriptores Conciliorum, & Hiſtoriæ Pontificiæ, nec non Annal. Benedictin. & Catanenſium, ac Panormitanorum monumenta.

CCXXXV.

NICOLAUS TOSCANUS ERYCINUS.

Nicolaus Toſcanus Erycinus, Ordinis Prædicatorum, mirabili naturæ dono voces omnes in arte Muſicâ perneceſſarias adeò perfectè videbatur effingere; ut organum pneumaticum geſtare in pectore crederetur. Obiit in patrio Cœnobio ſenio confectus anno ſalutis humanæ 1505. Edidit *librum de Muſica*.

Eryx, Siciliæ mons altiſſimus, Veneris fano, Butis pugnâ cum Hercule commiſsâ, Trojanorum appulſu, ac ſpectaculis poſt Trojanam cladem illuſtris, Divi Juliani templo, à Rogerio Comite, anno circiter 1080. condito, ac militaribus ſanè ludis, quos idem Divus Julianus exhibuit, geſtoque adversùs Saracenos prælio illuſtrior fuit. Hinc Erycina Urbs Mons Divi Juliani appellari cœpit, & nobiliori auſpicio incrementa ſuſcepit. Ad hanc diem Mons Eryx, & Mons Divi Juliani nuncupatur. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Mazarienſis pag. 562. & 564. Conſule Philippum Cluverium de antiquâ Siciliâ lib. 2. cap. 1.

NICO-

CCXXXVI.

NICOPHENUS LEONTINUS.

NIcophenus Leontinus, Charondæ Auditor, mox Empedoclis, regendæ Leontinorum Reipublicæ admotus, *Leges* tulit *ad civilem politiam ſatìs utiles*. Statuit, nè quis uxorem repudiaret ſine legitimâ causâ, quam Judices examinarent. Nè quis pluſquàm tres uxores duceret. Mulier niſi unum maritum acciperet. Fœmina crimine adulterii accuſata, poſt viri obitum ad alias nuptias non tranſiret. Liberi ex primâ uxore ſuſcepti bona paterna adirent, cæteri maternis facultatibus fruerentur. Hæc, atque alia ſancivit, quæ ad Romanos miſſa poſt Regum interitum maximâ veneratione ſunt excepta. Odio in Phalarim, Tyrannum Agrigentinorum actus, Zanclæos, & Tauromenitanos ad eum laceſſendum, labefactandumque ſtimulavit. Demum lapide percuſſus anno ætatis 97. extremum diem clauſit, dum Lapidia in honorem Proſerpinæ celebrarentur apud Leontinos. Floruit anno mundi 3507. Ex Philadelpho Mugnos in Triumpho Leontino, in Raptu Proſerpinæ, præſertim in novo Laërtio pag. 52.

CCXXXVII.

NINA MESSANENSIS.

NIna Meſſanenſis, Poëtria clariſſima, cùm ejus amore captus Danthes à Majano, carmina ipſi miſiſſet; eleganter reſpondit *carminibus*, quæ antiquam Italicæ Poëſis ſinceritatem olent. Ex Leone Allatio de Poëtis Antiquioribus Italis.

CCXXXVIII.

NYMPHODORUS SYRACUSANUS.

NYmphodorus Syracuſanus, Philoſophus, & Hiſtoricus, ſcripſit *de Admirabilibus Siciliæ*, cujus Athenæus meminit

 lib.13.

lib. 13. Hunc Fazellus refert inter Scriptores, quibus pro conſtruendâ Siculâ Hiſtoriâ uſus eſt, eumque adducit Decad. 1. lib. 7 pag. 162, ubi de Laide Siculâ meretrice, Corinthi famoſiſſimâ, ſcribit. Ad quam ditiorum hominum ex omni Græciâ conventus celebres erant, inquit Aulus Gellius lib. 1. cap. 8. quamque adamarunt Ariſtippus, & Diogenes Philoſophi, Demoſthenesque Orator, ex Athenæo lib. 13.

Nymphodorus, vetus rerum variarum narrator, Cteſiæ conferendus, & Antigono, qui mirabilium Sinagogam reliquit. Ex Balthaſ. Bonif. in Hiſtor. ludicrâ lib. 15. cap. 16. pag. 441.

CCXXXIX.

ODO COLUMNA MESSANENSIS.

ODO Columna Meſſanenſis, priſcis illis ſeculis, cùm Italica Poëſis vagiret inter cunas, effloruit, & ſcripſit *carmina.* Ex Leone Allatio de Poëtis antiquioribus Italis.

CCXL.

ORPHEUS CAMARINENSIS.

ORpheus Camarinenſis, Epicus, qui *carmine* compoſuit *deſcenſum ad inferos, & alia multa*. Ex Conſtantino Laſcare.

Camarina, & Camerina, Syracuſanorum Colonia fuit, Urbs olim opibus, & ædificiorum magnificentiâ clara, hodie jacet, nihilque priſcorum operum præter fundamenta integrum ſervat. Nomen tamen i ſolùm in a mutato Camerana vulgò retinens ingentes, ac latè diffuſas, eaſque intrà totum ejus ambitum, pro maximâ parte obrutas, oſtentat ruinas. Litora ei ſubjecta inſanarum opere molium, in profundum etiam mare dejectarum in modum portus manufacti, decorabantur. Camerinenſis lacus aquæ cùm olim fœtore ſuo peſtem generarent; conſuluerunt Apollinem Camarinenſes: expediretne ipſis Camerinam exſiccari? quibus ab Apolline reſponſum eſt, Camerinam non eſſe movendam. Neglecto tamen oraculo lacum ſiccave-

runt;

runt: per quem mox ingreſſis hoſtibus contempti oraculi pœnas dederunt. Hinc manavit Proverbium, Camerinam movere, pro eo, quod eſt ſibi malum accerſere. Vide Servium in illud Virgilii Æneid. 3.

. . . . & fatis nunquam conceſſa moveri,
Apparet Camerina procul, Campique Geloi.

Lacus extat hodie, ſolâ piſcium capturâ inſignis, tincas, & anguillas profert laudatiſſimas. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 5. pag. 117. 118. ubi de Orpheo meminit, & de Pſaumide, Acronis filio, Camerinæo, qui Olympiade 82. quadrigâ victor evaſit, cuique in victoriæ præconium dicavit Pindarus Oden 3. Olympior.

Quinque hujus nominis Poëtæ, fuerunt alii licèt ſeptem faciant, & duos tantùm Herodorus, alterum Poëtam, alterum ex Argonautis unum, quem Herodorum ideo Pherecydes incuſat: non enim Orpheum, ſed Philammona in Colchos ad vellus aureum navigaſſe prodidit. At verò Ariſtoteles, & eum ſecutus Marcus Cicero, nullum fuiſſe Orpheum putaverunt. Igitur primus Orpheus ex Libethris Thraciæ Poëta fuit, Civitate ſitâ ſub Pieriâ. Plinius tamen, & Martianus Sithonem Orphei patriam fuiſſe contendunt, & ipſo in Thraciâ. De hoc fabuloſa multa veteres dixerunt. Secundus Orpheus Arcadius fuiſſe perhibetur, vel, ut alii tradunt, Ciconeus ex Biſaltiâ Thraciæ, & ante Homerum alterâ generatione, & rebus Trojanis antiquior creditus eſt. Tertius Odryſius fuit, quartus Crotoniata. Ultimus verò inter iſtos Orpheus fuit Camarinæus, verſificator egregius, cujus eſſe à pleriſque proditur, *Deſcenſus ad Inferos*, ex librō Gregorio Gyraldo tom. 2. oper. de Poëtis. Dialog. 2. à pag. 52. à num. 40. à pag. 57.

CCXLI.

PAMPHILUS.

PAmphilus Siculus Poëta. Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculor.

De Pamphilo quodam ait Suidas: Pamphilus ſemper metricè loquebatur in conviviis.

CCXLII.

SANCTUS PANTÆNUS MESSANENSIS.

S. Pantænus Presbyter Stoicæ Philoſophiæ Profeſſor, ex Palæſtinâ oriundus, Hebræâ gente, ex alto ductâ origine, Meſſanæ naſcitur. Qui Marci Evangeliſtæ diſcipulus, apud Alexandriam præfuit ſcholæ, ſacrarum literarum ſtudio florenti: quæ ſanè ad multa etiam tempora duravit, multis inter ſe omnis generis diſciplinarum æmulatione concertantibus: inter quos in primis ipſe fuit. Qui primus in Ægypto ignotus vitâ ſolitariam agens, divinis contemplationibus vacavit. Sed cùm in eum Clemens Alexandrinus inciderit; in eo penitus conquieſcens, multùm ſub tanto præceptore profecit. Ille verò tanto ſtudio, & amore prædicandi Verbi Dei claruit, ut in Indiam requiſitus per ipſius gentis legatos illuc ab Epiſcopo Alexandriæ miſſus fuerit: ubi Chriſtum Dominum feliciter gentibus illis prædicavit. Dein ad Indiam inferiorem rediit, in quâ primum Domini adventum, fideique ſemina jam Bartholomæum Apoſtolum ſeviſſe reperiit juxtà *Matthæi Evangelium*, quod Hebræis ſcriptum literis ſecum tulit, indè regrediens Alexandriam, quod tamen *in Græcum tranſtulit*. Denique miraculis, & doctrinâ clarus, ad quem, tanquam ad oraculum ex toto terrarum orbe populi confluebant; ad Dominum migravit nonis Julii anno circiter à Chriſti nativitate 213. Ex Carolo Morabito in Annal. Eccleſiæ Meſſan. pag. 230. & ſeqq. ubi fusè diſſerit de S. Pantæno, ejuſque patriam Meſſanam ſtatuit, conjecturâ, qualis qualis ea ſit: refert tamen Gentiani Heructi opinionem in Comment. Stromat. Clem. Alexand. lib. 1. ubi Pantænum Siculum natione fuiſſe opinatur, vel opinari creditur.

Stephanus Maurus in Siciliæ Protometropoli pag. 233. S. Pãtænum fuiſſe Meſſanenſem probat, Petrus Anſalonius de ſuâ familiâ pag. 341. non uno teſtimonio idem tuetur adversùs Octavium Cajetanum, in Ideâ SS. Siculor. pag. 22. ubi nimis auſterè S. Pantænum in Civem Siculum admittere detrectat. Colitur ejus memoria 7. Julii ex Giliberto Genebrardo in Kalendario

Roma-

Romano, Aloyſio Novarino in Martyrologio pag. 191. apud Joſephum de Ambroſio in Relatione Solemnitatis pro Epiſtolâ Marianâ pag. 471.

CCXLIII.

PAPHNUTIUS.

Paphnutius, Abbas Monaſterii Baſiliani S. Mariæ Cryptæ Lilybœi, vir in græco, & latino idiomate inſignis, anno 1282. *tranſtulit ex græco in latinum ſermonem Privilegium Eccleſiæ Panormitanæ de Juriſdictione Tabularia*. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Mazarienſi pag. 103.

Ab anno 1440. Abbates Commendatarii S. Mariæ Cryptæ ſucceſſere. Sed opulentum hoc Sacerdotium cum Abbatis inſignibus Collegio Panormitano Societ. Jeſu attributum eſt Caroli V. Cæſaris munificentiâ, Joannis Vegæ, Siciliæ Proregis, ſtudio, quo Ignatium Societatis parentem, cunctoſque Societatis alumnos proſequebatur, & Generalium Siciliæ Comitiorum poſtulatis: anno 1552. Januarii 10. literis obſignatis. Julius III. Pon. Rom. anno 1554. donationem illam ratam habuit, & Pius V. Pont. Rom. anno 1571. confirmavit ex eodem Pyrrho loc. cit. pag. 558.

Collegium autem Panormitanum Societatis Jeſu in quam magnitudinem excreverit, & Caroli V. Cæſaris, & Panormitanæ Reipublicæ, & plurium nobilium, aliorumque Civium Panormitanorum liberalitate, collatis ex aſſe patrimoniis, aut non modicâ paterni cenſus portione impertitâ, & Platamoniorum generoſæ familiæ beneficentiâ, quæ ante omnes Collegium fundaverat; ſatis perſpectum habet quiſquis noſtratium, & externorum ad Panormitanam majeſtatem propiùs contemplandam accedit. Hoc quidem Panormitanum Collegium non ſolùm ædificiorum ampliſſimis ſubſtructionibus, annuoq; proventu ſatìs largo, Collegiis Romano, Neapolitano, Monachienſi, Pariſienſi, Ulyſipponenſi, Goano, quæ ſunt in Societate universâ primaria, comparandum, ſed etiam illis præferendum creditur. In hoc Collegio, Provinciæ Siculæ Athenæo, bonarum artium

Empo-

Emporio, & Philoſophiæ, Theologiæque nos operam dedimus, & Scholarum inferiorum adminiſtrationem geſſimus, incaleſcentibus adeò perpetuâ contentione in literariis concertationibus frequentiſſimorum Auditorum animis, ut porticus, geminâ concameratione periſtyliorum ſeſe altiùs attollens, tùm Regiis ſanè ſcalarum gradibus ſeſe quaqua verſum complectens, aulæque admodum capaces perſonarent. Ducenta capita ſupra viginti tunc temporis ſplendidè alebantur, mirabili omninò, religioſâque politiâ muniis diſtributis. In ambulacris, quorum alterum Divi Joſephi nominant, à ſacello perquàm eleganti, Divo Joſepho ſacro, alterum Immaculatæ Conceptionis, à marmoreo fonte ibidem extructo, cui marmoreum Virginis Mariæ ſignum præeſt, ſerpentem proterens, ex cujus hiante rictu aquarum opes in ſubjectam pelvim ſeſe exonerant; Illuſtrium Virorum imagines, nobili penicillo expreſſæ, qui Panormitanum Collegium benefactis ditarunt, pulcro elogio ſingulis addito, in grati animi monumentum viſuntur. Nos quoque, ne ingrati videamur, amantiſſimorum præceptorum, aliorumque inſignium Doctorum, quos literis clariſſimos Panormitanum Collegium tulit, Elogia ſcripturos pollicemur in Bibliothecâ Novâ Siculorum: cùm ad recentem ætatem Panormitani Collegii ornamenta pertineant.

CCXLIV.

SANCTUS PASCHASINUS EPISCOPUS LILYBOETANUS.

PAſchaſinus Diaconus, ſcripſit *ad Leonem Papam contra errorem quorundam, qui anno Domini CCCCLV. putantes eſſe annum communem, cùm eſſet emboliſmus, errabant in celebranda Paſcha*. Ex Sigiberto Gemblacenſi de Scriptoribus Eccleſiaſticis apud Aubertũ Miræum in Bibliothecâ Eccleſiaſt. pag. 134.

Paſchaſinus Epiſcopus Lilybœtanus in Siciliâ, recenter à captivitate Vandalorum reductus, ſcripſit anno quadringenteſimo quadrageſimo tertio *ad Leonem I. Papam* Epiſtolam Paſchalem, quam emaculatam Ægidius Bucherius cap. 1. Comm. in Victorium

ctorium Aquitanum 1633. typis Moretianis edidit. Scripſit & *Epiſtolam de damnatione Dioſcori* tom. 2. Conciliorum, à Binio Colorita evulgatam. De Paſchaſino mentionem facit Iſidorus Hiſpalenſis de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Ex Auberto Miræo in Bibliothecâ Eccleſiaſt. ſcholio ad Sigibertum Gemblac.

Paſchaſinum quanquam Sancti titulo inſignitum nuſquam repererimus, vitæ ſanctitudine, ac literarum ſtudiis apprimè nobilem vocat Rocchus Pyrrhus in Notitiâ Eccleſiæ Lilybœtanæ pag. 447. Octavius Cajetanus tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Appendice viri ſanctitatem, & ſtudia literarum commendat. Memoriâ verò per manus traditâ illum Sanctum appellat. Succeſſit in Epiſcopatu Lilybœtano S. Gregorio Martyri, ſucceſſorem ipſe habuit Theodorum, quem Gregorius Magnus Pont. Rom. lib. 2. Epiſtol. 49. laudat. Ultimus Lilybœi Epiſcopus Theophanes extitit, qui Nicænæ Synodo II. interfuit. Poſt ejectos è Siciliâ Saracenos Lilybœum Epiſcopos amiſit, Mazarienſi Diœceſi nunc ſubeſt.

Lilybœum autem Urbs Siciliæ olim ſplendidiſſima, & jucundiſſima, teſte Cicerone in Verrem, ac Diodoro in Bibliothecâ, Marſala nuncupari cœpit poſt adventum Saracenorum. Marſala enim Saracenicè Portum Dei ſonat, ob nobiliſſimum portum, cujus tamen fauces ingentibus ſaxis intercludi Carolus V. Cæſar, ex Africâ rediens, juſſit, ne Africanæ regionis piratæ ſtationem illam occuparent. Ex Philippo Cluverio de Antiq. Sicil. lib. 2. cap. 1.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Sicilienſium ità nos de Paſchaſino luſimus:

Marſala, hoc eſt, Portus Dei,
Lilybœum dici cœpit
cùm Saracenicæ tyrannidis procella
Siciliam quateret.
Saracenus rerum potitus,
domum Dei verterat in ſpeluncam latronum,
fidiſſimum littus
in aſylum piratarum ceſſerat.
Vix tutus in templis Deus,
vix in aris religio,

quam

quam ergo ſecuritatem in Portu invenient,
aut dabunt?
Ante Saracenicam tempeſtatem
erat Portus Dei Lilybœum.
Nam in Africam, in Aſiam
cœleſtes tunc negotiatores
lucrandorum animorum avidi,
Lilybœo ſolvebant,
redeuntes, undè diſceſſerant,
onuſti ſpoliis infidelitatis.
Per id temporis Paſchaſinus,
Epiſcopus Lilybœtanus,
maximum quæſtum fecerat,
operoſus trapezita.
Hinc in Paſchaſini jacturâ
cunctarum mercium naufragium
Portus Dei paſſus eſt.
Habebat in Paſchaſino Epiſcopum,
in Epiſcopo parentem,
in parente omnia.
Hieronymo æqualis,
Fidem ſermone propugnans, & ſtylo,
utroque fidei perduelles expugnans,
pro Damaſo
Leonem Pontificem meruit encomiaſten.
Vicariâ Leonis auctoritate
Chalcedonenſi Concilio præfuit:
dignus habitus,
qui Leoni ſuccederet;
ob Dioſcorum profligatum
de Romanâ Sede benemerentiſſimus.
In concionibus
non delectabat, ut Xenophon;
non tonabat, ut Pericles:
utrumque vincebat.
Magiſter autem, ac Diſcipulus;
Quidquid linguâ docuerat, compleverat factis.

Homi-

Hominibus æquè verendus, ac dulcis,
eorum mores ſuis ſimiles efficiens,
mundum in cęlum vertiſſet;
ni mundi peroſus commercia
Cęlum intempeſtivâ feſtinatione adiiſſet.
Subitus mortis turbo
intrà Portum Dei Paſchaſinum adortus,
fractâ corpuſculi cymbâ,
animam in alium Portum abripuit,
omnis jactationis expertem,
omni jucunditate tranquillum.

CCXLV.

PAULUS ABBADESSA MESSANENSIS.

PAulus Abbadeſſa Meſſanenſis, Poëta Italus egregius. *Iliadem, & Odiſſæam Homeri, & potiorem Metamorphoſeon Ovidii partem Italico verſu donavit*. Ex Placido Samperio in Iconolog. Virgin. Meſſan. lib. 1. pag: 27. Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

CCXLVI.

PAULUS MAZONIUS NETINUS.

PAulus Mazonius Netinus, Juriſconſultus celeberrimus, ſcripſit *de feudis*, ut teſtatur Joannes Antonius Cannetius in Friderici Regis extravag. quæ incipit: Volentes. Floruit tempore Guilielmi Perni I. C. Syracuſani, qui Mazonium laudat ad primum dubium, de quo quæritur in conſilio ſuo de feudis. Pernus enim ſcripſit XXIV. Conſilia Feudalia, de Principe, de Rege, deque Reginâ tractatus, Conſilia Practica, & Statuta. Meſſanæ 1531 Junii 25. ſed alibi de Perno. Ex Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 122. Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 113. & 126.

CCXLVII.

PAULUS VICECOMES, ARCHIEPISCOPUS PANORMITANUS.

PAulus Vicecomes, ſeu, ut Tritemio, & Poſſevino placet, Biſcontus, Panormitanus, Carmelitani Ordinis ornamentum, S. T.M. Provinciam Siculam procuravit, inde per omnem Italiam Generalem Vicarium egit. Nicolai V. & Pauli II. Romanorum Pontificum confeſſiones excepit. Epiſcopus Mazarienſis primum in Joannis Burgii locum ſuffectus, mox eidem abeunti ad Superos in Panormitanum Archiepiſcopatum ſubrogatus eſt. Orator cum Nicolao Leophante, Regni Theſaurario, pro rebus Siculis ad Joannem Regem contendit. Ex Tritemii teſtimonio, vir fuit in divinis Scripturis jugi ſtudio exercitatus, & eruditus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio. Fertur *de variis rebus multa* ſcripſiſſe *opuſcula. Trecenta volumina* Panormitano Cœnobio reliquiſſe tradit Poſſevinus, ex quibus *plura* edidit. Sed incendio conflagraſſe Pyrrhus comperit, cum Vicecomitis opera quæreret. Panormitano Cœnobio S. Mariæ Montis Carmeli Bibliothecam [illegible] religioſa vota emiſerat, & Præfecturam poſtmodum domeſticam adminiſtraverat. Panormi fato ceſſit anno [illegible]. cujuſque ſepulcro, quod in principe templo viſitur, hic brevis character inſcriptus:

Hic requieſcit Pauli,
Civis noſtri, ac Præſulis,
de Vicecomitibus.

Ex Tritemio de laude Carmelitar. Antonio Poſſevino in Apparatu ſacro, Roccho Pyrrho in Notitiis Eccleſiæ Mazarienſis pag. 515. & in notit. Eccleſiæ Panor. pag. 169. Franciſco Baronio de Majeſtate Panormitana cap. 6. de Philoſophis, & Theologis Panormitanis pag. 122.

PAU-

CCXLVIII.

PAUSANIAS GELOUS.

PAuſanias Gelous, Anchiti filius, Phœbi nepos ob Medicinæ præſtantiam ab Empedocle Agrigentino nuncupatus. Auditor fuit Empedoclis, a quo, & claritate ſanguinis, & opum affluentia, & Medicinæ peritia ſummè dilectus, & commendatus. Extant apud Laërtium quædam Empedoclis carmina in Pauſaniam Geloum:

Pauſaniam, Anchiti natum, Phœbique nepotem,
Clarum aluit Medicum patria clara Gela.
Qui multos diris homines languoribus ægros
Eripuit furuis Perſephones thalamis.

Heraclides de morbis ait, Empedoclem Pauſaniæ dictaſſe, quæ de Apno ille ſcripſit. Erat enim Pauſanias, ut Satyrus, & Ariſtippus refert, amator Empedoclis, qui libros de naturâ compoſitos eidem ità declaravit:

Pauſania, Anchiti ſapientis percipe, fili,

Ex Diogene Laertio de Vitis Philoſophorum in Empedocle.

CCXLIX.

PELOTUS.

PElotus Siculus Poëta. Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poetarum Siculorum.

CCL.

SANCTUS PEREGRINUS MARTYR SYRACUSANUS EPISCOPUS TRIOCALITANUS.

S. Peregrinus Martyr, S. Marciani, Epiſcopi Syracuſani diſcipulus, Divini Verbi præco inſignis, ſcripſit *Vitam S. Marciani*. Obiit ex Octavio Caetano in Idea SS. Siculor. pag. 70. anno Chriſti circiter 90. die 30. Januarii. Sed ſolemnis feſtivitas cum religioſorum hominum ſupplicatione, ac nundinis 18.

Auguſti celebratur. Syracuſanum fuiſſe conjecturâ veroſimili affirmat Cajetanus citatus in to. 1. Vitar. SS. Siculorum pag. 21.

Triocala, vetus Siciliæ Urbs, initio Belli Servilis clara eòque à Romanis funditùs deleta, iterùm habitari deinde ſedatis motibus cœpit. Sub Divo Petro, Principe Apoſtolorum, decoratur Epiſcopali ſede. Multos habuit Epiſcopos à S. Peregrino uſque ad Ioannem, qui Nicæno Concilio II. interfuit, Conſtantinus in recentioribus editionibus etiam dictus. Epiſcopalis ſedes Triocalitana poſt Saracenos defecit, paret nunc Agrigentino Epiſcopo. Ubi erat Triocala, oppidum Calatabillottæ, ab anno 1335. titulo Comitatus inſigne, Moncatæ familiæ obnoxium, ædificatum ferunt. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Agrigentinæ pag. 366. 367. in Notitiâ Eccleſiæ Triocalitanæ pag. 444. 445.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Sicilienſium ità nos de Peregrino luſimus:

Peregrinus Syracuſanus,
Marciani, cariſſimi, atque amantiſſimi præceptoris vitam
calamo eleganter expreſſit,
luculentius opere.
Miſſus Triocalam Epiſcopus,
Urbem Servili prælio celebrem,
turpiſſimâ ſervitute mancipatam Idololatriæ,
filiorum Dei libertate vindicata,
manumiſit.
Eadem arma eadem diſciplinâ tractavit,
quibus inſtruxerat Marcianus,
eodem cum adverſario dimicaturus,
non impari eventu.
Audi, quibus dapibus vires
athleta fortiſſimus inſtauraret
Emendicatâ ſtipe victitans,
fruſtulum panis è fœminâ precatus,
repulſam tulit.
Imprecata fœmina, quæ repulſam dederat:
Lapideſcant in panario, quot quot mihi panes ſunt;
Lapideſcentibus illicò panibus

Illa

Illa mendacii, & avaritiæ pœnas luit,
ad lapidem damnata.
Increbreſcente miraculi famâ
famem ſuam explevit Peregrinus,
allato undique cibo à Triocalitanis.
Lapideſcentes panes
ad alterius duritiem increpandam,
lapides pretioſi fuerunt Peregrino,
quibus homo juſtus, victus copiam ſibi mercaretur.
Aſſuetus his epulis Peregrinus,
aſſuetam puerorum carnibus belluam,
obiectæ puellæ cædem jam jam anhelantem,
inſerto in os baculo,
veluti medicato boleto enectam,
præcipitem dedit ex antro,
quod ex foro Lanario
in emporium gratiarum vertit,
illius antri hoſpes factus Peregrinus,
Tandem urgente fato Patriæ Pater
Cæli Civis efficitur.

CCLI.

PETRUS EPISCOPUS ARGIVORUM.

PEtrus Siculus, ex imperio Baſilii, & filiorum, Conſtantini, & Leonis, Imperatorum Orientis, Legatus, Timbricam, Armeniæ Civitatem, ut de captivorum permutatione ageret, miſſus eſt, cauſamque feliciter, ut ipſe extremis narrat paginis, cùm novem menſes Timbricæ moratus eſſet, peregit. Legatio hæc ſecundo Imperii Baſilii, & filiorum, anno obita eſt, ut Auctor ipſe ultimâ paginâ teſtatur. Vixit anno circiter DCCCLXX. Scripſit *Hiſtoriam de vana, & ſtolida Manichæorum hæreſi*, ex m. s. codice Bibliothecæ Vaticanæ per Matthæum Raderum Societatis Jeſu editam. Ex eodem Radero in obſervationibus ad prædictam Hiſtoriam. Hiſtoria inſcripta eſt Archiepiſcopo Bulgarorum: Legitur in tom. 16. Bibliothecæ

Maxi-

Maximæ Veterum Patrum, quæ nuper Lugduni apud Aniſſonios 1677. in tomos 27. diſtributa, prodivit, pag. 753.

Octavius Cajetanus tom. 2. Vitar. SS. Siculor. in Animadverſion. ad Vitam B. Athanaſii, Epiſcopi Methonenſis, pag. 18. Petrum Siculum, Argivorum Epiſcopum, qui ſcripſit prædictam hiſtoriam, exiſtimat *B. Athanaſii, Epiſcopi Methonenſis, Epitaphium* quoque ſcripſiſſe. Prædictum Epitaphium extat tom. 2. Vitar. SS. Siculor. pag. 52. Indicia vero, quibus tamen leviter ſuaderi teſtatur, ne duos Petros Siculos admittat, hæc recenſet: idem nomen, eadem natio, idem tempus, in quod incurrunt. Cæterum in ſententiam propendit, quòd duo Petri Siculi extiterint, alter Auctor Hiſtoriæ Manichæorum, alter Epitaphii B. Athanaſii, quemadmodùm innuit eodem tomo 2. in Animadverſion. ad Vitam S. Leonis Lucæ Alibaris pag. 27. Saracenica tempeſtas totam Inſulam devaſtavit, quam ob cauſam plerique relictâ Siciliâ in Orientem profugêre, ut S. Joſephus Hymnographus, S. Athanaſius Catanenſis, Petrus Siculus qui de Manichæorum hæreſi ſcripſit, & fortaſſis alius Petrus Argivorum Epiſcopus.

CCLII.

PETRUS DISCORDANUS CATANENSIS.

PEtrus Diſcordanus Catanenſis, Ordinis Benedictini, ſcripſit *de Viris illuſtribus Catanenſibus*. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Catan. pag. 95.

CCLIII.

BEATUS PETRUS HIEREMIAS PANORMITANUS.

B. Petrus Hieremias Panormitanus, ingenio nobilis, genere clarus, eloquio fæcundus, vitæ probitate conſpicuus, concionibus ad populum ſuo tempore celebris, undequaque doctus, Ordinis Prædicatorum. Omnia, quæ ad divinæ, humanæque ſapientiæ modos explicanda pertinent, tàm cumulatè comple-

complexus eſt; ut qui ſolos ejus labores inſpexerit, aliunde ſibi ipſi nihil omninò ſit indagandum. Ità Benedictus Britannus Brixianus in Epiſtolà nuncupatoriâ. Scripſit *de Septem gaudiis, & de Septem doloribus Beatæ Virginis. Sermones de Pœnitentia. Pulcros, & doctos ſermones de tempore, de Sanctis,* quos Hagoneſæ excudit Henricus Grant 1551. *Sermones de peccatis. De fide. De Paſſione Chriſti. Viginti quinque ſermones in Orationem Dominicalem.*

Obiit Panormi anno ſalutis 1434.. Ex Leandro Alberto de Viris Illuſtrib. Ord. Præd. At Fazellus de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 2. cap. 4. & Plodius lib. 3. part. 1. tradunt floruiſſe anno 1444. obiiſſe vero 1452.

Hic Bononiæ in ordinem receptus eſt, deindè in Siciliam profectus, magnam Siculorum Cœnobiorum partem reformavit. Poſtremo ſanctè obdormivit in Domino 1452. ut in Epithaphio, quod Panormi habetur, inſculptum cernes;

Sanctiſſimi Patris Fr. Petri Hieremiæ
oſſa in hoc ſepulcro ſita ſunt.
Cujus doctrinæ, & ſanctitas vitæ
ſibi nomen æternum præbuit,
& Prædicatorum Ordini laudem peperit
glorioſam.
A Jeſu Chriſto 1452. V. nonas Martii
obiit mortem.

Recenſetur inter Beatos Confeſſores in Martyrologio Dominicano, poſt multa ſanctitatis, & egregia miraculorum monumenta. Ex Ambroſio Altamurano in Bibliothecâ Scriptorum Dominican. ad annum 1434. pag. 173.

Vita P. Petri Hieremiæ, Italicè conſcripta, prodivit Panormi Auctore Joanne Baptiſtâ de Franchis Ordinis Prædicat. apud Auguſtinum Boſſium 1658. in 8. Senatui Panormitano d. d. d.

PE-

CCLIV.

PETRVS GRAVINA CATANENSIS.

PEtrus Gravina Catanenſis, primam domus originem à Capuâ repetebat. Naturâ ei admodùm indulgente præter excellentis ingenii vim, ſummam etiam procero corpore,& venuſto tribuit dignitatem, firmitate in primis,& agilitate quadam ſingulari, quum in ludo pilæ uſque ad admirationem, & gladiatoriâ arte equeſtribus armis ad militarem laudem exerceretur, nataretque ſæpiſſime ad incredibilem urinandi patientiam. Quibus agitationibus ità firmaverat corpus, ut nulla paulo ſeveriore tentatus valetudine, ad extremam prope ſenectutem, integro, & penè juvenili pervenerit. Utebatur parciore menſa, ſeu ea ſemper munda. vinum e Veſævo, Surrentoque in honore erat, ſed ſemper ſobriè, & temperatè perpotanti. Vitæ genus adamavit quietum, cunctis ſolutum curis, & litibus, hilarique in primis, & tenerâ ſtudioſorum adoleſcentum familiaritate gaudebat. Ingenio enim erat aperto, liberali, perblando, cultu corporis nitido, ac ſumptuoſo, quum undulatâ toga uteretur, a ſerico latiore villoſo pileo arg[illegible] eam [illegible] moroſe peramaret. Quum in Aragoniæ aula verſaretur, emanarentque ex eo verſiculi ex nobili ſemper occaſione: argutè, lepideque perſcripſit. Pontano carus eſſe cœpit, qui erat ingeniorum cenſor longè graviſſimus: idque divinis operibus ad immortalem amici laudem benignè teſtatus eſt. Spectatæ demùm ejus virtuti externus Mecenas, Magnus Conſalvus acceſſit, qui *ipſius victorias, & trophæa Gallica Heroicè* celebrantem in templo maximo Neapoli Sacerdotis honore nobilitavit. Sed Conſalvo in Hiſpaniam abducto, quòd Regi in ſuſpicionem affectati Regni veniſſet; Proſpero Columnæ adhæſit. *In pangendis Elogiis* tenero quodam lepore ſibi genium reſpondente fatebatur: Sed *In ſcribendo epigrammate* uni ei haud dubiè palmam tribuebat Actius Sincerus, qui & parcus, & amarulentus in alieni operis cenſura laudator eſſe conſueviſſet. *Heroica Poemata* periiſſe tum ferunt, niſi jampridem à nobis lectitata compareant, cùm Cęſariani à Gallis obſeſſi Neapoli, tanquam

quam non in ſociâ Urbe, divina, & humana conturbarent: itaut non miretur quiſpiam tàm paucis, quæ extant, ingenii monumentis præclari Poëtæ famam conſtitiſſe. Nam & multa ipſe lugentibus amicis ſpontè delevit, veluti ſtrepentibus armis ſeculum indignatus, aut iratus Muſis, quòd externi Duces conceptæ ſpei minus liberaliter arriſiſſent. Sed diſpari judicii ſorte id *Poema* propè amiſſum querulus lugebat, *quo Surrentini otii delitias elegantiſſimè depinxerat*. Sed Scipionis Capycii pietas dignum egregio, nobilique Poëtæ, colligendi diſperſa, & publicandi officium præſtitit: ut penè intercepta amico Poëtæ vita redderetur. Non carebat quoque compoſiti Oratoris nomine, quanquàm dum publicè oraret, unâ Orationis laude contentus eſſe videretur. Deceſſit ſeptuageſimo quarto ætatis anno ad Concham, oppidum Sidicini agri, quùm ei in umbrâ meridianti caſtenç echinus tibiæ ſuram leviſſimè pupugiſſet. Tenerè enim ſcalpendo enatum eſt ulcus, accerſitâ lethali febriculâ: adeò enim ſubtiles mortis cauſas fata inveniunt, cùm ex decreto urgent:

Jani Vitalis.

Hanc tibi pro tumuli Janus Vitalis honore
Ramoſam laurum, Magne Gravina, dicat.
Hìc ubi odorata manes requieſcere in umbra,
Floribus in mediis & juvet, eſſe tuos.
Illa, notis quoties rami quatientur, & Euris,
Perſtrepet in laudes, ſancte Poeta, tuas.

Latomi.

Cujus hìc tumulum vides, viator,
Vatis eximii, Petri Gravinæ;
Tu fortaſſe putas obiiſſe totum,
Et vel eſſe nihil, vel iſſe ad umbras;
Erras: non obiit, ſed uſque vivit.
Nam, quum quæ cecinit, vel eſt locutus,
Vel miſit teneræ preces puellæ,
vel ſcripſit lepidos jocos amicis,

quæque illa ingenii fuere multa,
Hunc audis, legis, excipis, teneſque;
Illum vivere, quo negas colore?
Vivit, teque magis, ſupine, gaudet,
Cujus poſt cineres nihil manebit.

Ex Paulo Jovio in Elogiis Virorum Illuſtrium pag. 138.

CCLV.

PETRUS ODDUS NETINUS.

PEtrus Oddus Netinus, in Phyſicâ, & Medicinâ exercitatiſſimus, in litterariis circulis primas obtinuit, promptiſſimâ memoriâ inſtructus, ingenioque verſatili, adeò ut nemo cum ipſo congredi auderet, niſi qui, vel adverſarii virtutem ignoraret, vel nimiâ confidentiâ æſtuaret. Duodeviginti annos uberrimâ mercede conductus, & digniori laudis didauro Patavii legiſſe dicitur. Hinc aliquando miles emeritus in patriam regreſſus, Guilielmo filio, ejuſdem profeſſionis viro, à ſtudiis revertenti, ubi Doctoris lauream fuerat conſecutus; manum exoſculandam anteà non porrexit, quàm priùs diligenter examinatum, & patre dignum, & arte inveniſſet. Ex Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 148.

CCLVI.

PETRUS RANZANUS PANORMITANUS. EPISCOPUS NUCERINUS.

PEtrus Ranzanus Panormitanus Ordinis Prædicatorum, à Sixto IV. Rom. Pont. ſexto Kalendas Novembris 1478. in Apuliâ Dauniâ Epiſcopus Lucerinus factus eſt, Poëſi, Oratoriâ arte, hiſtoriæque peritiâ, & Theologicâ facultate præſtantiſſimus. Commotus ejus famâ Ferdinandus Rex Aragonus, cum Neapolim accerſivit, & liberis ſuis, Alphonſo, qui poſteà rapto è vivis parente anno 1494 in Regiam dignitatem ſucceſſit, & Joanni, pòſt inter Purpuratos Pontificii Senatus Optimates adlecto,

lecto, præceptorem adhibuit, ac ſubinde ad Lucerinum Epiſcopatum evexit. Legatus ad Matthiam Corvinum, Hungariæ Regem, triennio in Pannoniâ commoratus, quæ in mandatis exceperat, ex voto complevit. In hac legatione *librum de Rebus Hungaricis*, quem eidem Matthiæ dicavit, compoſuit. *Eundem Matthiam Regem defunctum anno* 1490. *funebri oratione apud Albam Regalem ſtrenuum Chriſtianæ Reipublicæ tutorem in Turcas, laudavit*. In Italiam tandem reverſus, ad inviſendas ſibi creditas oves, ſalutato priùs Neapoli Rege, properavit. Scripſit præterea *de Urbis Panormitanæ antiquitate elegantiſſimo ſtylo*. *Vitam S. Vincentii Ferrerii in tres libros diviſam*. *Collegit in quatuor volumina Scientias Speculativas, & Practicas, Geographiam, atque Hiſtoriam*. *Item de laudibus Lucerinæ Civitatis*. *Item Annales omnium temporum*, quos morte præventus non abſolvit. Annales continent de omnium penè gentium rebus libros ſexaginta, & unum: ex quibus ultimum dumtaxat habemus inter Hungaricarum rerum Scriptores beneficio Sambuci, qui Auctarium edidit. Deceſſit anno 1492. Lucerini gregis, & utriuſque Siciliæ lacrymis parentatus. Meminêre de Petro Ranzano Aubertus Miræus in Auctario Bibliothecæ Eccleſiaſt. cap. 513. Ferdinandus Ughellus in Italiâ Sacrâ tom. 8. Fontana in Sacro Theatro Dominican. par. 1. cap. 5. tit. 348. num 2. Leander in ſuâ Italiâ. Thomas Fazellus de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 8. Antonius Luſitanus Senenſis in Bibliothecâ Dominican. Vallus de Viris Illuſtrib. Regni part. 3. Ambroſius Altamuranus in Bibliothecâ Dominican. ad an. 1492. pag. 214.

CCLVII.

PETRUS SANCTERAMUS MESSANENSIS.

Petrus Sancteramus Meſſanenſis, in Hiſpaniam profectus, Salamanticæ in amicitiam Lucii Marinæi Siculi Bidinenſis, Hiſtoriographi Regii, ſe recepit, eique ſuam *de Granatenſi bello Hiſtoriam* legendam dedit. Hanc pulchram, facundo ſtylo, & eleganti conſcriptam Hiſtoriam, ſeque novâ delectatum jucunditate paucis diebus perlegiſſe teſtatur Lucius Marinæus in lib. 20. de Rebus Hiſpan. pag. 489.

CCLVIII.

PHALARIS TYRANNUS AGRIGENTINORUM.

PHalaris ex Cretâ Inſula Urbe Aſtyphalide, patre Laodamente natus eſt. Hujus mater, ut ex Pontico Heraclide, Platonis diſcipulo, lib 1. de Divinatione refert Cicero, antequàm Phalarim ederet, viſa eſt in ſomnis videre Deorum ſimulacra, quæ ipſa domi conſecraverat, ex quibus Mercurium vidit ex paterâ, quam dexterâ manu tenebat, ſanguinem fundere, qui, cùm terram attigerat, viſus eſt referveſcere adeò, ut tota ejus domus ſanguine repleretur. Quod ſomnium crudelitatem, tyrrannidemque filii præſagivit. His itaquè parentibus primâ ætate orbatus cùm adoleviſſet, Aſtyphalide ob tyrannidis ſuſpicionem exulans, Erithiâ uxore, & Paurolâ filio domi relictis, Agrigentum contendit. Ubi cùm opibus, literis, potentiâque honoratior evaſiſſet, ut Politic. 5. ſcribit Ariſtoteles, tyrannidem primus omnium occupavit, ut lib. 7. cap. 56. Plinius tradit. Vir ſanè maximus ingenio, ſtudioſus, & erga probos, & literatos liberaliſſimus. Hinc Steſichoro Himerenſi, Poetæ Lyrico, ſuo nomini infenſo, à ſe demùm ob eam ipſam rem intercepto muſarum reverentiâ pepercit: cujus quoque demortui uxorem ac liberos favore, ac beneficio eſt proſecutus. Calleſchrum item manifeſtè illi inſidiantem captum, conjurationiſque crimen confitentem, Polycleti Meſſanenſis Philoſophi, ac Medici inſignis, gratiâ ſervavit. Charitonem, & Menalippum inſidias ſibi ſtruentes, captoſque, ac ſcelus fatentes, quàm beniguiſſimè ſuſcepit. Scribit lib. 13. Athenæus Apollinem hoc pietatis opere motum, vitam Phalaridi duos annos prorogaſſe. Cæterum licèt hæc à veteribus de Phalaride tradantur, ejuſdemque Epiſtolæ elegantiſſimæ, quas Angelus Politianus Luciano adſcribit, nullo antiquorum teſtimonio fultus, è Græco in Latinum redditæ pari dictionis venuſtate, ſed pingui Minervâ in linguam Italicam tranſlatæ, virum eum oſtendunt inſigni eruditione, prudentiâque præditum; ipſum tamen crudelem, immanemque tyrannum 3. officior. lib. & omnium crudeliſſimum 6. in Ver-

rem Cicero appellat. Præter cætera ſuppliciorum novorum inſtrumenta, taurum habuit æneum, Perilli artificio fabricatum, in quem detruſi damnati, ſubiectoque igne, mugitum bovis edebant. Cujus muneris nomine cùm artifex non leve munus ſperaret; juſſu Tyranni conìectus in taurum, primus artis ſpecimen præbuit. Ipſe quoque Phalaris, cùm nimia ejus atrocitas ulteriùs ferri non poſſet, facto in eum univerſorum civium impetu, correptus, ei ipſi tauro, quo alios exuſſerat, incluſus, crematus eſt vivus. Ex Conſtantino Laſcare, Thomâ Fazello, & Carolo Stephano.

Phalaris Tyrannus Agrigentinorum juxtà Chronologiam Caſerri vixit anno mundi 3482. Obiit ante Chriſtum natum 552. Juxtà Maurolycum. Agrigentum occupavit anno mundi 3350. ab Urbe conditâ 150. ante Chriſtum 594. Scribit verò Joannes Franciſcus Abela illum regnaſſe tempore Tarquinii Superbi anno mundi 3482. Olimpiade 52. ante Criſtum 571. ſecùs alii quidam ſcribunt. Joannes Buſſieres in Floſculis Hiſtoriarum anno mundi circiter 3482. tradit: Anacreon, Poëta Lyricus ſuaviſſima carmina, ſed minùs honeſta, concinebat: pòſt acino ſuffocatus, fato ad temulentam, quam traduxerat, vitam perapto. Dum Phalaris Agrigentinus Siciliam crudelitate ſummâ vexabat. Verùm ut nihil adeò malum eſt, quin boni mixturam habeat; juſtus Phalaris, qui Perillum ſuo bove primum incluſit, & humanus, qui cædis ſuæ reos, Menallippum, & Carithonem amicitiæ ignoto in Aulicos bono condonavit.

Phalaris plurium Philoſophorum amicitiam affectavit, eorumque familiaritate uſus eſt ſive ad famam aucupandam, ſive ad ingenium exercendum. non ad deponendos mores, humanitatemque, viro literato dignam paremque Philoſophicis documentis, profitendam. Præſertim omni officiorum genere Pythagoram Samium, Crotone degentem anno mundi 3490. antè reparatum hominem 563. ut Reina ſcribit, ad quem audiendum ex Siciliâ ſtudioſi quique accedebant, ut Laërtius refert, in Agrigentinam Urbem invitavit, epiſtol. 23.

Phalaris Pythagoræ.

Phalaridis tyrannis à Pythagoræ Philoſophiâ differre plurimùm videtur; nihil tamen prohibet, quin rebus etiam ſic ſe habentibus certum noſtri periculum faciamus. Fieri enim poteſt, ut quę longè diſtant, in idem redigat conſuetudo. Nos ex his, quæ de te accepimus, virum te optimum eſſe nobis perſuademus. Tu autē noli adhuc de nobis ferre ſententiā. Falſa enim, quæ de me habetur opinio, me offendit. Verùm mihi tutus non eſt ad te acceſſus propter meam, quâ accuſor, tyrannidem. Si inermis, & ſine ſatellitio venirem, capi facilè poſſem: ſi armatus, & militum munitus præſidio, ſuſpectus forem. Tu verò omni liber periculo, & venire ad me, & ſine metu apud me eſſe, & mei periculum facere poteris &c.

Pellectus his dictis Pythagoras in Siciliam trajecit, moratus aliquantulùm Zanclæ, iter Agrigentum verſus ſuſcepit: quò demum pervenit, ſatis lautè in aulâ Tyranni tractatus, ut idem Phalaris Orſilocho ſcripſit Epiſtol. 73.

Phalaris Orſilocho.

Si propterea, quòd Pythagoras Philoſophus, ſæpenumerò à me accerſitus, hùc venire noluerit, quemadmodum eum, qui meam fugeret conſuetudinem, laudaſti; mihi calumnias attulit. Quòd nunc ad me venerit, & quintum jam menſem unà mecum in voluptatibus ſit; mihi profectò laudi eſt. Apud me enim ne brevi quidem momento permanſiſſet, niſi mores noſtri conveniſſent, &c.

Inter has Agrigenti delitias reliquum vitæ Pythagoras traduxit, donec ſociis Agrigentinis opem allaturus, contrà Syracuſanos exiens, atque à Syracuſanis in fugam verſus, poſtquàm fabarum campum circuiſſet, ferro interierit, ut ſcribit Diogenes Laërtius de Vitis Philoſophorum in Pythagorâ.

PHILE.

CCLIX.

PHILEMON I. SYRACUSANUS.

PHilemon I. Poëta Comicus tempore Alexandri Magni, vixit annos nonaginta, & *totidem* edidit *Comœdias*. Obiit ex vehementi riſu. Ex Conſtantino Laſcare.

Riſum, quo functus eſt, hac ortum eſſe occaſione ferunt. Cùm in lecto decumberet, vidit aſinum ficus comedentem: ex quo in riſum eſt concitatus: vocato famulo, juſſo merum aſino ſorbendum dare, riſu ſuffocatus eſt. Ex Luciano.

Magas à Philemone comicâ ſcurrilitate publicè in theatro exagitatus, quòd literas ignoraret, Comœdum convitiatorem, tempeſtate ad Parætonium ejectum, cepit, militi mandans, ut ejus cervicem nudo gladio tantùm attingeret, ac facetè dimitteret. Eidem deinde pilam, ac talos miſit, ut puero mentis inopi, ac de moderandâ linguæ intemperantiâ monitum voluit. Ex Plutarcho de irâ cohibendâ. Item Auctor de virtute Morali magnam laudat ob animi moderationem, quâ in Philemonem animadvertit: Nicreontem verò vituperat, quòd ab Anaxarcho verbis proſciſſus, Anaxarchum, ferreis paſtillis in mortario contundi mandaverit.

Hic Philemon integro fuit corpore, quin etiam felicitate quadam ſenſus illæſos conſervavit. Hoc autem omnes confitentur. Cùm Athenienſes, & Antigonus inter ſe bellũ gererent; Philemon in Piræo degens in ſomnis vidit novem virgines ex ſuis ædibus exeuntes. Videbatur autem illas dicentes audire ſe foras prodire; nefas enim ipſas diutiùs ab ipſo audiri. Attamen ipſe à ſomno excitatus, puero narrat omnia, quæ ſibi objecta eſſent. Deindè reliquas partes Comœdiæ, in quam tunc ſcribendam erat intentus, abſolvit; quo labore perfunctus, in lecto ſe compoſuit, velut ſomnum capturus. Sed familiares abſtractâ culcitrâ illum jam exanimem conſpexerunt. Ex Suidâ apud Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis, ubi plura de hoc Philemone. Sed novem puellas, ſeu Muſas, ſub exitu vitæ Philemoni II. apparuiſſe teſtatur Laſcaris in Philemone II.

PHI-

CCLX.

PHILEMON II. SYRACUSANUS.

PHilemon II. Syracuſanus, Comici filius, & ipſe Comicus *Comœdias LIV.* edidit. Ex Suidâ apud Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis.

CCLXI.

PHILEMON III. SYRACUSANUS.

PHilemon III. Syracuſanus, ſecundi filius, Comicus itidem Poëta, *quatuor* exaravit *Comœdias*. Ex Conſtantino Laſcare.

De Philemone III. Poëta Comico Syracuſano mentionem faciunt Thomas Fazellus de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 4. pag. 101. Schobar, Aretius, Littara, penes Rocchum Pyrrhum in Notit. Eccleſiæ Siracuſ. pag. 211.

CCLXII.

SANCTUS PHILIPPUS PANORMITANUS.

S. Philippus Junior, ſeu Philippellus, genere nobilis Panormitanus, precibus Divi Philippi Agyrenſis ex ſterili matre impetratus, ab infantiâ multarum virtutum ſpecimen dedit. Super ſanctitate, ac miraculis Divi Philippi Agyrenſis plura deprædicantes parentes cum fructu audivit. Nam paternâ domo poſthabitâ, mundique illecebris contemptis, Agyram adit, ubi tàm exactam religioſæ vitæ rationem coluit; ut invidiâ Dæmonis interdiu inſidiis, ac flagellis vexaretur. Quem diabolum, nomine Maymonem, in obſcuriſſimâ ſpeluncâ, ligavit catenâ: undè Divi Philippi feſto die horrendæ voces olim, & ululatus audiebantur. Anniverſarius dies Philippi Junioris etiam 12. Maii quondam celebrabatur, nunc autem Junii 12. Hic ſcripſiſſe cre-

ſe creditur *Divi Philippi Presbyteri geſta*, quæ Beatus Euſebius exſcripſit, novorumque miraculorum hiſtoriâ locupletavit. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Catan. pag. 107.

CCLXIII.

PHILIPPUS SYRACUSANUS.

PHilippus Syracuſanus, ſecularibus rebus valere juſſis, Ordini Dominicano cooptatur. Illicò viſus eſt ſplendeſcere gravitate morum, quos mirificè literis imbuit. Philoſophiam, & Theologiam feliciter aſſecutus, eâdem ingenii celebritate illas profeſſus, Magiſterii ornamenta ſub Sixto IV. Rom. Pont. meruit. Scripſit *in Orationem Dominicam, in Salutationem Angelicam, in Symbolum Athanaſii. Super Te Deum laudamus, ſuper Gloria in Excelſis Deo. De diſcordantiis apparentibus inter Euſebium, Hieronymum, & Auguſtinum*. Ex Seraphino Razio, Ambroſio Gozco in Catalog. Scriptor. Dominican. Antonio Senenſi Luſitano in Bibliothecâ Dominicanâ, Ambroſio Altamurano in Bibliothecâ Dominic. ad annum 1475.

CCLXIV.

PHILIPPUS CRESPUS MESSANENSIS.

PHilippus Creſpus Meſſanenſis, Franciſci Creſpi Auguſtiniani Archiepiſcopi Meſſanenſis, nepos, Sac. Theologiam in gymnaſio Apoſtolici Palatii Romæ tradidit. Ob ſingularem doctrinam, & vitæ perfectionem Epiſcopus Squillacenſis ab Urbano VI. Rom. Pont. inauguratus. Ex Ferdinando Ughello in Italiâ Sacrâ tom. 9.

CCLXV.

PHILIPPUS PERDICARUS.

PHilippus Perdicarus, fortaſſis ortu Politienſis, aut Panormitanus, Politio oriundus. Nam è Politienſi, & Panormita-

nâ Perdicarorum familiâ egregii viri prodierunt. Juriſconſultus clariſſimus, Philippum Aragonium, Ferdinandi Regis nepotem, Caroli Principis, qui primo loco Joannem Regem parentem ſortitus eſt, filium, in Panormitanum Archiepiſcopum electum, ſed adeundæ poſſeſſioni à Senatu Panormitano inhibitum, defendit, ejuſque *Allegationes* citat Pyrrhus. Compoſitâ demum causâ inter Archiepiſcopum electum, & Senatum Panormitanum, Joanne Cardonâ Siciliæ Prorege, ann. 1479. Januarii 9. in poſſeſſionem admittitur Aragonius. Ex Rocho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Panormit. pag. 169.

CCLXVI.

PHILISTION CATANENSIS.

PHiliſtion Catanenſis, Eudoxi Gnidii præceptor, Philoſophus, ac Medicus excellentiſſimus, Auctor *libelli de victu ſalubri*, quem Hippocrati Galenus attribuit. Ex Joan. Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catanenſi chordâ 9. pag. 151.

CCLXVII.

PHILISTUS I. SYRACUSANUS.

PHiliſtus I. Syracuſanus, vel Naucratita, Hiſtoricus, *plura de Sicilia* ſcripſit. Fuit affinis Dionyſii Tyranni, & obiit in bello contrà Carthaginienſes geſto. Ex Conſtantino Laſcare.

CCLXVIII.

PHILISTUS II. SYRACUSANUS.

PHiliſtus II. Syracuſanus, Hiſtoricus, *plura* ſcripſit *de Rebus Ægyptiacis lib.* 12. *de Sicanicis lib.* 11. *Item de Baccho, de Theologia Ægyptiorum, lib.*6. *de Syria, & de Lybia*. Hic à Dionyſio ſeniore in exilium actus, ibi bonam Hiſtoriæ partem abſolvit. Ex Conſtantino Laſcare.

PHI-

CCLXIX.

PHILO MAZARIENSIS.

PHilo Mazarienſis Canonicus, Poëta Epigrammatographus, & Orator. Ex Joanne Jacobo Adriâ in Topographiâ Mazariæ, ubi de Viris Illuſtribus Mazarienſibus, apud Rocchum Pyrrhum in Notitiâ Eccleſiæ Mazarienſ. pag. 147.

CCLXX.

PHILOLAUS SYRACUSANUS.

PHilolaus Syracuſanus, ut nonnulli contendunt, Crotoniata, Philoſophus Pythagoricus fuit: ſub Platonis tempora floruiſſe dicitur. Scripſit *librum*, quem Hermippus refert Platonem Philoſophum, cùm in Siciliam ad Dionyſium profectus eſſet, emiſſe à Philolai conſanguineis argenti minis Alexandrinis quadraginta, atque inde tranſcripſiſſe Timæum. Quidam illum accepiſſe Platonem dicunt Dionyſii operâ ex adoleſcente quodam, Philolai diſcipulo, ex carcere abducto. Moritur ſuſpectus, quòd Tyrannidem invadere moliretur. Ex Diogene Laërtio in Philolao, & Huberto Goltzio in Elencho literatorum Siculorum, apud Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis.

Jacobus Bonannus in Hiſtoriâ Syracuſanâ plura de hoc Philolao de more diſſerit contrà Fazellum, Carnelivarium, Porcachium, Nicolaum Scutellium.

CCLXXI.

PHILONIDES ENNENSIS.

PHilonides Ennenſis, Medicus celeberrimus. Ex Conſtantino Laſcare.

Philonidem, qui *opuſculum de Albo veretro* ſcripſit, Dioſcoridi, & Galeno nuncupatum, Catanenſem fuiſſe arbitratur Joannes

nes Baptiſta de Groſſis in Decachordo Catanenſi chordâ 9. pag. 151.

CCLXXII.

PHILONIDES CATANENSIS.

PHilonides Catanenſis, Pauli Antiocheni magiſter, Andreæ Tiraquello, Scribonio Largo, & Marcello Burdigalenſi obſervatus, ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. chordâ 9. pag. 151.

CCLXXIII.

PHILOXENUS SYRACUSANUS.

PHiloxenus Syracuſanus, Poëta Lyricus, cùm Tragœdiam, à Dionyſio conſcriptam, cenſoriâ gravitate totam liturâ induxiſſet, ab eodem in latomias conjectus, fugâque paulò poſt elapſus, Tarentum pervenit. Cùm verò per literas à Dionyſio, magnis præmiis plenas, revocaretur; laconicè nihil aliud reſpondit, quàm, non. Ex Huberto Goltzio.

Conjectus in latomias animum non deſpondit, nec otio corrumpendum permiſit. Nam in illo reorum antro *Cyclopem, omnium ſuorum Poematum præſtantiſſimum*, elaboravit. Adeò parvipendens ſupplicium, à Dionyſio ſibi conſtitutum, & condemnationem, ut etiam in ipſis miſeriis, atque ærumnis operam Muſis daret. Ex Æliano in Variâ Hiſtor. lib. 12. cap. 44. Diodorus lib. 15. *Hiſtoriam* Philoxeni refert. Meminere itèm ejus Cicero ad Atticum lib. 4. Plutarchus in lib. de tranquillit. animi, & item de fortunâ, ac virtute Alexandri lib. 2. Lucianus de mercede ſervientibus, Suidas in voce: Philoxenus. Ex Philippo Cluverio de Siciliâ antiquâ lib. 1. cap. 12. Joanne Bunone, Cluverii Epitomatore, loco citato pag. 84.

Latomias deſcribit Cicero V. in Verrem. Opus eſt ingens, magnificum, Regum, ac Tyrannorum. Totum eſt in ſaxo ad mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitùs exciſo. Nihil tàm clauſum ad exitum, nihil tàm ſeptum undi-

que,

que, nihil tàm tutum ad cuſtodias nec fieri, nec cogitari poteſt. In has latomias, ſi qui publicè cuſtodiendi ſunt, etiam ex cæteris oppidis Siciliæ deduci imperantur. & eâdem Oratione poſteà: Carcer ille eſt à crudeliſſimo Tyranno Dionyſio factus. De latomiis Syracuſanis fusè diſſerit Vincentius Mirabella in Topographiâ Veterum Syracuſarum.

Anno mundi 3665. Joannes de Buſſieres Societ. Jeſ. in Floſculis Hiſtoriar. hæc habet de Philoxeno, & Platone. Circà id tempus Plato, Socraticæ facultatis hæres, à Dionyſio in Siciliam avocatus, & accuratâ pompâ exceptus, pro Tyranni ingenio aulâ dimiſſus eſt. Ambiebat doctrinæ laudem, ut potentiæ, Siculus, eam, ut ſperabat, à Platone Philoſopho, & Poëta Philoxeno inventurus. Sed cùm ab eis argueretur liberiùs, indignans ſe, ut corporibus, non item ingeniis dominari; Platonem, cujus Philoſophiam jam oderat, quinque minis vendidit pro mancipio, miſerumque Philoxenum, a quo ſua carmina expungebantur, in latomias conjecit. Nulli unquàm emendatum carmen tanti fuit.

Habes plura de Philoxeno apud Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis.

CCLXXIV.

PHIRMION TRIOCALITANUS.

PHirmion Triocalitanus, Philoſophus, & Medicus illuſtris. Cùm in obſidione Syracuſanâ M. Marcelli exercitus morbo conficeretur, contagionem ſenſim gliſcentem amovit, infectis militibus in Leontinam arcem amandatis, ut ſalubriori cœlo, & rerum abundantiâ malum deponerent, quod aëris vitio, & belli moleſtiâ contraxerant. Ex Philadelpho Mugnos in Novo Laërtio pag. 92.

CCLXXV.

PHOCYLIDES MYLENSIS.

PHocylides Mylenſis, niſi potiùs Mileſius, Philoſophus, & Poëta moraliſſimus, & admonitivus, Synchronus Theognidis.

dis. Nam uterque claruit poſt bellum Trojanum anno 547. *Multa carmina, & Elegias* ſcripſit. Extat ejus *admonitorium Poema heroico metro utiliſſimum*. Ex Conſtantino Laſcare.

CCLXXVI.

PHORMUS SYRACUSANUS.

PHormus Syracuſanus, Poëta Comicus, Epicharmi ſocius, Comœdiæ inventor, cum eo gratus Geloni Tyranno, & filiorum ejus præceptor. *Plures Comœdias* ſcripſit. Primus veſte talari uſus eſt, & ſcenâ ex pellibus rubris. Ex Conſtantino Laſcare.

Habes plura de Phormo apud Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis. Hunc Photinum appellat Thomas Fazellus de Rebus Siculis Decad. 1. pag. 102.

Non omittendum hoc loco Joannis Paſſeratii teſtimonium, quod in Præfatione in Plauti Menæchmos de Siculis edidit pag. 71. 72. Orat. & Præf. Reliquum eſt, ut breviter exponam, cur è Plauti Comœdiis Menæchmos potiſſimùm delegerim: cujus rei duplicem cauſam adfero: unam, quòd Sicula ſit hæc fabella, ideòque acutiſſima: cùm ſit omnium faceтiſſima, & callidiſſima Siculorum natio: alteram. quòd ejus argumento nihil excogitari poſſit feſtivius, & urbanius. Siculam eſſe fabellam, & is ſignificat, quiſquis ſcripſit prologum: & indicio ſunt Menæchmi, ac Meſſenio; Sicula nomina: Epicharmique ſtylus à Plauto expreſſus accuratiſſimè, cujus eum imitatorem fuiſſe vel unus Horatius, licèt iniquior Plauto, ſatis oſtenderit his verbis:

Dicitur Afrani toga conveniſſe Menandro:
Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi.

Apud Siculos verò natam, educatam, adultam, & excultam fuiſſe Comœdiam, graviſſimi Auctores prodidere: necquicquam Atticis controverſiam moventibus, adversùs quos dandas eſſe Siculis vindicias, docti viri pronuntiarunt his adducti rationibus, quòd Phormis, & Epicharmus, Siculi Comici, Chonnida, & Magnete priores fuerint, quos Athenienſes apud

ſe

ſe jactarent antiquiſſimos Auctores Comœdiæ. &c.

Phormi fabulæ ſeptem feruntur: *Admetus*, *Alcimus*, *Alcyones*, *Ilii depopulatio*, *Hippos Cepheus*, *ſive Cephalæa*, *Perſeus*. Addit, & Athenæus *Atalantam*. Ex Gyraldo in Hiſtor. Poët. Dialog. 6. pag. 249. num. 10.

CCLXXVII.

PHRINICUS.

PHrynicus Siculus Poëta. Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculor. Phrynicus Athenienſis, Tragicus, Theſpiadis diſcipulus, qui primus vultum fœmineum protulit in ſcenam,& tetrametrum invenit. Docuit Tragœdias novem. Filium habuit Polyphragmonem Poëtam, & ipſum Tragicum. Alter item Athenienſis Comicus inter ſecundos antiquæ Comœdiæ, qui docuit fabulam unam. Tertius ejuſdem nominis Bithynius, Sophiſta, qui ſcripſit de Atticis dictionibus. Ex Carolo Stephano in Diction. Hiſtor. Poët. Geogr.

Habes plura de Phrynico apud Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis.

CCLXXVIII.

PHTIANDER CATANENSIS.

PHtiander Catanenſis, Hiſtoricus, Philoſophus, & Aſtrologus, maximæ apud Agathoclem, Tyrannum Syracuſarum, opinionis. Ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. Chordâ 9. pag. 150.

CCLXXIX.

POLUS AGRIGENTINUS.

POlus Agrigentinus Orator, & Magnus Sophiſta, Gorgiæ Leontini diſcipulus, *Græcorum, & Barbarorum, qui Trojam profecti fuerunt, genealogiam* ſcripſit. Ex Conſtantino Laſcare.

POLY-

CCLXXX.

POLYCLETUS MESSANENSIS.

POlycletus Meſſanenſis, Philoſophus, & Medicus celeberrimus, qui Phalaridem, Agrigentinorum Tyrannum, morbo incurabili liberavit, ſicut ex primâ Phalaridis Epiſtolâ c olligitur. Ex Conſtantino Laſcare.

Phalaris Meſſeniis Epiſtol. 21.

Audio vos Polycletum, Medicum veſtrum, tànquam Agrigentinorum proditorem accuſare, quòd, cùm me graviſſimo morbo laborantem interimere potuiſſet, eo me liberavit, & juſtitiæ ejus laudem in juſtitiæ accuſationem vertitis: neque vos hujuſcemodi confiteri pudet. Ego autem admodùm ejus artem, ſed longè magis ejus mores admiror, quòd cùm me tanquam morientem ſuæ fidei creditu mhaberet, non ut tyrannum interemit ſed ut ægrotum omni conamine in priſtinam reſtituit valetudinem: atque veſtris calumniis, nè minimo quidem detrimento affectus eſt. Meâ verò in ſe liberalitate inter Siculorum ditiſſimos in primis poteſt annumerari. Non igitur ignoro, quin ob meam in Polycletum liberalitatem omnes Agrigentinorum proditores potiùs, quin Phalaridis percuſſores exoptatis..

Phalaris Policleto Epiſtol. 69.

Neſcio, quid de te potiùs admirer, Polyclete, medicinæ facultatem, an morum fidem? Facultas enim adversùs tyranni valetudinem, mores autem tantæ cœdis præmia vicerunt. Et hæc ambo juſtitia tua diſcurrens, duobus me periculis periclitantem vi ſcilicet incurabilis morbi, & hoſtium præmiis, liberavit. Soli namque tibi licuit, ſi morbo periiſſem, tyrannum videri interemiſſe: ſin minùs, quùm quicquid mihi dederis, id prompto animo ad ſalutem acceperim me interimere, quod tibi plurimùm ad ejuſmodi præmia conſequenda profuiſſet. Verùm enim

verò

verò noluiſti pretium iniuſtum] juſtæ fraudi præferre. Siquidem fortaſsè occaſio illa temporis ad me interimendum propter morbum juſtæ cædis cauſam non habuit. Ego igitur, quòd ità mecum egeris, quùm in tuâ eſſem poteſtate, dignam tantâ virtute laudem referre nequeo. Hoc unum ſcio, eam te aſſecutum doctrinam, quæ Deo digna ſit, qui Medicinæ artem invenit. Verumtamen cum Medicinæ, & fidei laudibus miſi ad te animi mei ergà te monumenta: puri auri phialas quatuor, crateres argēteos non noſtri temporis artificii, duos, poculorum Tericliorum paria decem, puellas impollutas viginti, quinquaginta millia Atticorum. Scripſi prætereà, & Teucro, ut in mearum rerum diſpenſationem id tibi ſalarium daret, quod navium gubernatores, & corporis cuſtodes, & reliqui centuriones accipiunt: parvam profectò pro tanto beneficio vicem. Sed addatur minori meæ gratitudini me confiteri non habere, quo pacto pro meritis tibi debitum poſſim perſolvere.

Polycleti gratiâ etiam liberavit Calleſchrum, qui tàm manifeſtè inſidias tyranno fecerat, ut non ſolùm eas confiteretur, ſed coniuratos etiam indicaret, adderetque quo loco, & quando, & quâ ratione ipſum eſſent aggreſſuri. Ex Epiſtol. 70. Meſſeniorùm Diis ob recuperatam valetudinem tripodes delphicas, coronas aureas, multaque alia, pretioſaque munera miſit. Ex epiſtol. 83.

Placidus Reina tom. 1. Notit. Hiſtor. Meſſan. tractat. de Polycleto à pag. 124. ad pag. 126,

CCLXXXI.

POLYCRITUS.

Polycritus Siculus Poëta. Ex Joanne Vigintimillio in Tabulâ Poëtarum Siculorum.

Polycritus à Voſſio inter Poëtas collocatur: ſed cùm de Græcis Hiſtoricis agit, eum Hiſtoricis quoque annumerat. Nam *de rebus Siculis heroicis carminibus* ſcripſit.

Ariſtoteles de Admirabilib. ità de Polycrito loquitur. Polycritus, Rerum Siculorum ſcriptor, loco mediterraneo ſtagnum

gnum eſſe ait, ambitu ſuo ſcutum nihil excedens, aquâ reſplendente quidem, ſed turbulentiore nonnihil, in quod ſi quis lavandi gratiâ ingrediatur, in latum extenditur. Quòd ſi iteret, ampliùs dilatari, adeò, ut amplificatum ſpatium quinquaginta etiam viros capiat. Verùm ad eam jam menſuram diffuſum ex imo intumeſcere, corporaque lavantium in ſublime rapta foras in pavimentum ſternere, ac mox ad veteris anguſtiæ ſpatium contrahi. Atque id non ſolùm humanis corporibus, ſed quadrupedibus etiam ingreſſis uſuvenire perhibent. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

CCLXXXII.

POLYZELUS MESSANENSIS.

POlyzelus Meſſanenſis, Ibici Poëtæ Lyrici pater, clariſſimus Hiſtoricus. Ex Joanne Gerardo Voſſio de Poëtis Græcis lib. 4. atque aliis non paucis.

CCLXXXIII.

PORPHYRIUS.

POrphyrius Siculus, Scriptor Chriſtianus, alius à Porphyrio Philoſopho, qui fuit Chriſtiani nominis deſertor, & oſor, quemque Lilybœi morantem Commentarios edidiſſe ferunt. Hunc unum, eundemque fuiſſe contendit Baronius, nec Siculum, ſed Batanæotem, anno 302. num. 57. & anno 264. Lactantium, & Hieronymum ſecutus, affirmat, contrà Auguſtinum, qui lib. 2. Retractat. cap. 31. duos dicit, alterum, qui contrà Chriſtianos ſcripſit, alterum Siculum famâ celeberrimum. Ex Carolo Morabito in Annalib. Eccleſiæ Meſſan. pag. 277.

CCLXXXIV.

PRAXIDES LEONTINUS.

PRaxides Leontinus, natus patre Leonidâ, Poëtâ Comico, primoque Leontinæ Reipublicæ Conſule, Grammaticus illuſtris fuit, Dicæarchi, Philoſophi Meſſanenſis, præceptor. Ex Philadelpho Mugnos in novo Laërtio pag. 44.

CCLXXXV.

PROBUS LILYBOETANUS.

PRobus Lilybœtanus, vir doctiſſimus, ad quem videndum, & audiendum venit Porphyrius. Ex Conſtantino Laſcare.

CCXXXVI.

PTOLEMÆUS GALLINA CATANENSIS.

PTolemæus Gallina Catanenſis, Aſtrologus celeberrimus, *ea de re* ſcripſit tempore Joviniani Pontani, qui lib. de Tumulis 1. pag. 73. hæc poſuit carmina Ptolemæo Gallinæ:

Digne ſenex cœlo, cœlum, Ptolemæe, petiſti,
Prozatana cœlum patria facta tua eſt.
Quaſque olim ſtellas numeris, quæ ſidera curſu,
Nunc metire oculis, fataque certa tenes.
Et tibi, quæ ſeries rerum, lexque ipſa futuri
Nota patet, ſummis perfrueriſque bonis.
A puero mihi culte ſenex, Gallina, valeto:
Perpetuùm Catinæ vive perennis honos.

Ex Roccho Pyrrho in notit. Eccleſiæ Catanenſis pag. 94.

CCLXXXVII.

PYTHIAS, ET DAMON.

PYthias, & Damon, Siculi, Pythagoricæ Sectæ, maximâ invicem amicitiâ coniuncti: quorum alterum Dionyſius Syracuſanus cùm interimere decreviſſet, eique tempus determinaſſet, ut domum profectus ſuas res ordinaret; alter vadem ſe Tyranno pro amici reditu obtulit, certus de amici conſtantiâ. Nec eum opinio fefellit: nam ille ad horam conſtitutam ſuperveniens, vadem liberavit. Quorum fidem Dionyſius admiratus reum abſolvit, eoſque oravit, ut ſe tertium in ſodalitate reciperent. Ex Conſtantino Laſcare.

CCLXXXVIII.

PYTHON CATANENSIS.

PYthon Catanenſis, Orator, & Poëta: Philippo Macedoni à Secretis. Ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. Chordâ 9. pag. 152.

CCLXXXIX.

RAINERIUS PANORMITANUS.

RAinerius Panormitanus, inter vetuſtiores Auctores Italicę Poëſis ab Allatio recenſitus, ſcripſit *Carmina Italica*. Ex Leone Allatio de Poëtis Italis antiquior.

CCLXXXX.

RAYNALDUS DE MONTAURO NETINUS, EPISCOPUS CEPHALOEDITANUS.

Pius de Viris Illuſtribus Dominicanis lib. 3. part. 2. pag. 8. & apparat. 404. & Tabulâ I. Epiſcop. duos Raynaldos Netinos, Epiſcopos Cephalœditanos, conſtituit, alterum cognomento de Montauro, ſeu Montorum, alterum Landolinam. Sed unus, idemque eſt Raynaldus de Montauro, & Landolina, more gentis paternum, maternumque genus, & utrumque nobiliſſimum, apponens. Dominicanis adſcriptus, Provinciæ Siculæ adminiſtratione ſemel, atque iterùm perfunctus, Inquiſitor pro Fidei negotiis in Siciliæ Regno inſtituitur. Indè unà cum Petro Bellorato, Meſſanenſi Archiepiſcopo, ad excitandum pro rebus Fidei ſanctiſſimum tribunal Neapolim contendit. Ferdinando Rege poſtulante ab Alexandro VI. Rom. Pont. Cephalœditanus Epiſcopus renunciatus eſt 4. Idus Octobris 1496. Proximo anno ab eodem Pontifice Generalis Commiſſarius Cruciatæ in Siciliâ, eique adiacentibus in Inſulis, & Collector Decimarum ex proventibus Eccleſiaſticis pro Ferdinando Rege in Africani belli ſubſidium, declaratur. Abbas S. Mariæ de Arcu, quod eſt illuſtre admodùm apud Netinos Sacerdotium, à Julio II. Rom. Pont. fit anno 1503. Patrio huic Cœnobio nobiliſſimam Bibliothecam Franciſci Vitalis, Epiſcopi Cephalœditani prædeceſſoris ſui, ſuorum librorum ſupellectile locupletatam, impetrato regio aſſenſu, legavit, Netumque, Urbem patriam, titulo Ingenioſiſſimæ appellandam à Ferdinando Rege obtinuit. Poſtremò dum Siculorum nomine Oratorem apud Ferdinandum Regem ageret, in Hiſpaniâ è vivis exceſſit menſe Octobri anno 1511. Joanne Requeſenio Siculo, ſed Barcinone oriundo ſubſtituto in demortui locum, ſed Epiſcopatu ſe abdicavit, ut & Regi obtemperaret, & Joanni Sancio Cæſaraugustano vacuam ſedem relinqueret. Fuit Raynaldus in gerendis gravibus negotiis prudentiſſimus, ingenio promptus, & eloquio facundus: traditis Philoſophicis, ac Theologicis diſciplinis clariſſi-

riſſimus. Scripſit *quatuor volumina ſuper quatuor libros Sententiarum*, quæ in Conventu Salmantino, ubi publicè docuit, aſſervantur. Edidit *de Reductionibus Naturalibus*. *Et futurorum contingentium difficultate*. *Orationem funebrem, quam Panormi habuit 16. Novembris 1497. in obitu Joannis Aragonenſis, Filii Ferdinandi II. Regis*.

Ex Lucio Marinæo lib. 5. Epiſtol. famil. ubi omni literaturâ præſtantiſſimum illum vocat. Vincentio Littarâ de Rebus Netinis pag. 139. Ludovico Paramo de Origine Inquiſit. pag. 31. Mariano Accardo in Epiſtol. ad Petrum Pepim apud Littaram cit. loc. cit. pag. 141. Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſ. Cephalœdit. pag. 461. 462. 463. & in Notit. Eccleſ. Syracuſanæ pag. 224. Ambroſio Altamurano in Bibliothecâ Dominicanâ ad an. 1511. pag. 288. Plodio in Appendice Relat. Sic. Fontanâ in Theatro par. 1. cap. 5. tit. 159. num. 7. Vincentio Auriâ de Antiquitate Cephalœdit.

CCLXXXXI.

RICHARDUS GRIZETTA MESSANENSIS, EPISCOPUS CEPHALOEDITANUS.

Richardus Grizetta Meſſanenſis, è Franciſcanâ familiâ, Epiſcopus Cephalœditanus. Antequàm ad Epiſcopales infulas eveheretur, Italiam peragravit, indè Pariſios digreſſus, ad Philoſophicas, ſacraſque facultates ſibi comparandas, Alexandri de Ales auditor, & Sanctorum Bonaventuræ, ac Thomæ Aquinatis condiſcipulus, eorum vitam ſanctiſſimam imitatus ſcientiarum etiam compos efficitur. Siciliam, aliaſque Ordinis Provincias Viſitator luſtravit. Excitati ejus nomine Cephalœditani Canonici eum in Antiſtitem, ut moris erat, elegerunt anno 1249. At Richardus, dum peſſumdatos Eccleſiaſticorum mores, laxamque nonnullorum vitam emendare nititur; à quibuſdam, tanquam violator privilegiorum, & Cephalœdenſium Jurium corruptor, inſimulatus, Cephalœdio diſcedit. At cognitâ innocentiâ poſtliminie revocatur. Tandem meritis, ac diebus plenus, mortalitatem exuit anno 1253. Ejus vitam

ſecus

ſecùs Rocchus Pyrrhus in Notit. Eccleſiæ Cephalœdit. pag. 439. deſcribit. Ex Philippo Cagliolâ in Explorat. Provin. Sicul. Minor. Conventual. Explorat. 6. Manifeſt. 10. Vincentio Auriâ de Antiquit. Cephalœditan.

CCLXXXII.

RINTHO SYRACUSANUS.

Rintho Syracuſanus, quem alii Tarentinum faciunt, Poëta Comicus figuli filius, floruit poſt Alexandrum, hoc eſt poſt tempora Primi Ptolemæi. *Fabulæ ipſius octo, & triginta* numerantur à Scriptoribus. Mixtæ autem ſunt Rinthonis fabulæ ex Comoediâ, & Tragœdiâ: unde *Tragicomœdia* dicta eſt. Rintho Auctor fuit illius, quæ vocatur *Hilarotragœdia*, quod eſt *Phylacographia*, inquit Suidas. Hujus verò Poëtæ meminere Marcus Cicero in primo Epiſtol. ad Atticum, Varro, Columella, Hephæſtion, Athenæus, & Suidas citatus.

Noxidis epigramma extat in Anthologiâ Epithaphii loco Rinthoni dicatum:

Et vehementer ridens præteri, & gratum dicens
Verbum ſuper me: Rinthon ſum Syracuſanus.
Muſarum parva quædam philomela, ſed floribus
Ex Tragicis propriam decerpſimus herbam.

Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

CCLXXXIII.

ROGERIUS PANORMITANUS.

Rogerius, vulgò Rogeronius, Panormitanus, inter Antiquiores Poëtas Italos recenſitus, ſcripſit *Carmina Italica.* Ex Leone Allatio de Poëtis Antiquior. Italis.

SABAS

CCLXXXXIV.

SABAS GRAPHÆUS MESSANENSIS.

SAbas Graphæus Meſſanenſis, origine Græcus, præclariſſimâ Graphæorum domo, ſcientiarum omnium, præſertim utriuſque Juris peritiâ illuſtris, Græcis codicibus dives, ampliſſimis latifundiis cùm in Siciliâ, tùm in Calabriâ, vel ex paternâ hæreditate, vel Regiis largitionibus locupletiſſimus: uxorem habuit primariam fœminam Græco ritu, magnarum ædium dominam Meſſanæ ad S. Theodorum. Generoſam ſobolem ex eâ ſuſcepit, Joannem, Petrum, Nicolaum Logothetam, Simonem, Theodorum Sacerdotem, Thomaſium, & Matthæum, impertitâ in ſingulos non modicâ bonorum portione. Germanos fratres habuit, Nicolaum poſt ſuſceptum cucullum Nicodemum, Theodorum Palatii Presbyterum, & Molem, quibus ex hæreditario patrimonio divitias diſtribuit. Ipſe quidem remiſſo nuncio ſecularibus curis, defunctâ jam conjuge in edito colle recentis Oppidi Bordonari, quod tria paſſuum millia Meſſanâ diſtat, extructo Templo, & Cœnobio Baſilianum inſtitutum profeſſus eſt, primus ejuſdem Abbas inauguratus. Principiò Servatori humani generis dicatum, Sancti Salvatoris Cœnobium dicebatur, aut de Scholario, ab Auctoris nomine: nam Sabas Scholarius nuncupabatur, aut de Presbyterio, à Sacerdotali dignitate, quam in aulâ Rogeriorum, Comitis, & Regis, adminiſtraverat Sabas: Rogerio Rege poſtulante, Hugo, Antiſtes Meſſanenſis, Archimandritæ Meſſanenſi Cœnobium illud ſubiecit. Cæterùm anno 1446. Monaſterium Sancti Pantaleonis appellari cœpit. Sabas quoque alterius Cœnobii, quod Nicodemus frater in honorem Magnæ Matris Mariæ de Maſsk ſub Divi Baſilii diſciplinâ excitaverat, Abbas fuit. Rogerio Comite, ac Rogerio filio Rege Siciliæ florebat: ſed properante fato demùm laudabiliter deceſſit, unà cùm Nicodemo, & Theodoro, fratribus, cumque tribus liberis, ejuſdem Ordinis Baſiliani ſtudioſis. Exiſtimat nonnemo Bibliothecam illam S. Salvatoris Meſſanenſis, Græcis voluminibus, manu exara-

exaratis, & ad omnem elegantiam compactis, pretioſiſſimam per univerſam Europam celeberrimam, quam nunc poſt Meſſanenſis Reipublicæ cladem, direptam Siculi, apud quos ſupereſt, & in patriam amor, & in antiquiores literas ſtudium, complorant, à Saba Scholario Presbytero Graphæo fuiſſe donatam. Utinam refloreſcente Meſſanenſis Reipublicæ ſtatu, & attollente ſeſe ſuperbiùs Siciliâ poſt lamentabilem cunctis ſeculis terræ motus caſum, Auguſtiſſimi Regis Hiſpaniarum, ac Siciliæ beneficentiâ, meliori aliter reviviſcant veteres diſciplinæ in Siciliâ, & exoticarum mercium copiam excuſorum librorum opulentia, inſtauratis antiquis, aut excitatis novis bibliothecis, præſtet! Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ primâ Archimandritatus Meſſanenſis pag. 50. & 53.

CCLXXXXV.

SALVUS CASSETTA PANORMITANUS.

SAlvus Caſſetta, Panormitanus, Ordinis Prædicatorum Theologus eximius, in Sicilia Generalis Fidei Quæſitor à Paulo II. deſtinatus, id munus viginti ſex annorum integro curſu pro virili parte geſſit. Sixto IV. Rom. Pont. adeò acceptiſſimus fuit, ut ei Summus Pontifex adblandiens, interdum diceret: felicior tu præ cunctis, qui nondum perſeveraſti uſque in finem, & Salvus es. Cui reſpondens ille ajebat: utinam! nam infelicior: quippe nomen habeam, quod vivam, & mortuus ſum. Ab eodem quoque hiſce verbis excipi ſolebat: Salve, ſalve. Quare Sacri Palatii Magiſter inſtitutus eſt anno 1474. Anno 1481. non ſervatâ ſuffragiorum ſolemnitate, publico præconio, ut Pontifici Maximo, id enixè petenti, morem gererent Patres Electores, totius Ordinis Magiſter acclamatur: erat tunc Vicarius, & Procurator Generalis. Legatus Apoſtolicus ad Fridericum III. in Germaniam miſſus eſt ab eodem Rom. Pont. Ibidem anno 1482. Coloniæ Corpus Beati Alberti Magni in decentiorem locum, anno ſcilicet ducenteſimo ſecundo ab ejuſdem Beati Doctoris obitu tranſportavit, cujus brachium Pontifici dono dedit. Cum nobiliorem fortunam expe-

ctaret, in mortis complexus corruit Romę 17. Kalendas Octobris 1483. Vixit in Magiſterio Sacri Palatii annos ſeptem, in Generalatu duos. Sepultus eſt in æde ſuper Minervā ſequenti epigraphe.

Salvo Caſſettæ Panormitano,
Summo Theologo, Hæreſis ann. XXVII. Inquiſitori,
Sacri Palatii Magiſtro VII.
Cæteris Prædicatorum muneribus præclarè functo:
Demùm ſui Ordinis incredibili omnium conſenſu Generali aſſumpto:
Miſſo pro arduis Eccleſiæ rebus
à Sixto IV. Rom. Pont. Max. in Germaniam Legato,
Et re ex voto perfecta reverſo:
De ſe, majori ſpe, deſiderioque relictis;
PP. ope, ac benemerito Ordo poni curavit.
Annum agens LXX. obiit XVII. Kalendas Octobris anno ſalutis MCDLXXXIII.

Scripſit *Vitam S. Vincentii Ferrerii. Item quamplures Epiſtolas, eruditione maxima refertas.* Ex Malvenda in ejus Vitâ, Plodio p. 2. lib. 3. Lucarino Fernandio, Fontaná in Theatro p. 2. cap. 2. tit. 2. nu. 32. & alibi pluries, Miræo in Auctario cap. 523. Ambroſio Altamurano in Bibliothecâ Dominicana ad annum 1483. pag. 207.

CCLXXXXVI.

SCOPAS SYRACUSANUS.

SCopas Syracuſanus, Mathematicus, invenit Plinthum, nempè genus Horologii in Plintho, ſeu Cubo deſcripti: nempè in ſummo erat Horizontale, aliis faciebus verticalia. Ex Franciſco Claudio de Chales de Mathematicis.

CCLXXXXVII.

S. SERGIUS PANORMITANUS PONT. OPT. MAX.

S. Sergius Panormitanus, Tiberii Mercatoris filius, Presbyter Cardinalis S. Suſannæ ad duas domos, tum Pontifex Ma-

Maximus. Cùm præfuiſſet Eccleſiæ annis XII. menſibus VIII. diebus XXVIII. obiit VI. Idus Septembris anno ſeculi octavi primo, & ſepultus in Vaticano ſub ſequenti epitaphio:

Limina quiſquis adis Petri metuenda Beati,
Cerne Pii Sergii, excubiaſque Petri.
Culmen Apoſtolicæ Sedis is jure paterno
Electus, tenuit, ut Theodorus obiit.
Pellitur Urbe pater, pervadit ſacra Joannes,
Romuleoſque greges diſſipat ipſe lupus.
Exul erat patria ſeptem volventibus annis,
Poſt populi multis Urbe redit precibus.
Suſcipitur Papa, ſacratur ſede recepta
Gaudet, amat Paſtor agmina cuncta ſimul.
Hic invaſores Sanctorum falce ſubegit
Romanæ Eccleſiæ, judiciiſque Patrum.

Miſit *Epiſtolam ad Ceolfridum Abbatem, Ethlredum, & Adolphum, Angliæ Reges*: quas publici juris fecit Joannes Vaſtonus in Vit. Aquilon. Inter Eccleſiaſticos Scriptores a Poſſevino in Apparatu ſacro, & à Jacobo Coccio in Theſauro Catholico numeratur. Tanti viri res geſtas deſcripſerunt Cæſar Baronius in Annalibus Eccleſiaſtic. & in notis ad Martyrolog. Romanum, Platina, Panuinus, Ciacconius, cum Auctariis, & alii quamplures. Ex Auguſtino Oldoino in Athenæo Romano pag. 600. 601. Octavius Cajetanus Societatis Jeſu in tom.2. Vitarum Sanctorum Siculorum pag.4.S.Sergii Papę Vitam ex Anaſtaſio S.R.E. Bibliothecario adducit.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Sicilienſium ità nos de Sergio luſimus:

Erepto è vivis Conone,
qui Petri naviculam feliciter gubernaverat;
non tribunitias tempeſtates,
quibus ea in incertum agitaretur,
ſed ferale ſchiſma,
quo ad ſcopulos allideret,
Theodorus Archipresbyter, & Paſchalis Archidiaconus,
excitarunt.
Sed utriuſque factionis ſuffragiis

in Sergium Panormitanum coëuntibus.
uno Sergio abnuente,
Alcyonios dies novus Pontifex reſtituit.
Religione, conſilio, doctrinâ, fortitudine,
optimus erat, antequàm declararetur.
Didicerat ab Agathone Panormus,
quibus artibus ſuas imbueret Aquilas,
ut altiùs ſuprà mortalium ſortem volarent.
Univerſas gentium regiones animo complectens,
cùm eas obire pede non poſſet;
pleroſque iis præceptis inſtruxit,
qui audaci facinore illuc advolarent.
Cedualdradus, Occidentalium Saxonum Rex,
ſacris lymphis per miniſtros ablutus,
primum Chriſtianæ gloriæ rudimentum
exhibuit.
Juſtiniani Rhinotmeti minas aſpernatus,
erraticum Orientalium Epiſcoporum gregem,
quem in ovile cogere non valuit,
diras imprecatus diſſipavit.
Ad tantæ virtutis fulgorem cæcutientibus improbis,
inceſtu per ſummam calumniam inſimulatus,
innocentiæ teſtem diſertiſſimum habuit infantem.
Tunc collata in Virginem beneficia,
eam namque Deiparam appellari juſſerat,
rependi expertus.
In exilio confectus ærumnis,
pati demùm deſiit
ad Divi Petri tumulum:
nactus ad illius cineres ſolatium,
ſub umbrâ quietem.

CCLXXXVIII.

SERGIUS SACCENSIS.

SErgius, in Cœnobio Calogeriano in Monte Cronio, Urbi Saccæ incubante, Monachus, Poëta Hymnographus floruit auſpicante Imperium Baſilio Macedone, filiiſque Conſtantino, Leone, Alexandro, quod in annum CCMLXX. incidit. Extant *duo hymni in laudem S. Calogeri*, quos è Græco codice Monaſterii S. Philippi Fragalatis latinè reddidit Auguſtinus Floritus Societatis Jeſu. Ex Octavio Cajetano tom. 1. Vitarum Sanctor. Siculorum in Animadverſion. pag. 128.

CCLXXXIX.

SEUTONIUS MURGANTINUS.

SEutonius Murgantinus, Poëta clariſſimus. Ex Philadelpho Mugnos in Novo Laërtio pag. 136. & 137.

CCC.

SEXTUS CLODIUS.

SExtus Clodius Siculus, Latinæ ſimul, Græcæque eloquentiæ profeſſor, malè oculatus, & dicax. M. Antonio Triumviro adhærens, in ejuſdem uxorem Fulviam, cui altera bucca inflatior erat, ſtyli acumen intendit. Nec eò minus, imò vel magis ob hoc Antonio gratus, à quo mox Cōſule ingens etiam congiarium, accepit, ut ei Cicero in Philippicis obii cit. Quanta merces Rhetori eſt data? Audite, audite, P. C. & cognoſcite Reipublicæ vulnera: duo millia jugerum campi Leontini Sexto Clodio Rhetori aſſignaſti, & quidem immuni, ut tantâ mercede nihil ſapere diſceres. Ex Svetonio Tranquillo de Claris Rhetoribus.

SIBYL-

CCCI.

SIBYLLA LILYBOETANA.

Sibyllam inter Siculas Poëtrias numerat Joannes Vigintimillius in Tabulâ Poëtarum Siculorum. Sibylla Cumana ea creditur, quę in Siciliam veniens, Lilyboei fato ceſſit, ibique humata. Nec abs re Lilyboetanam facimus, quæ relictis patriis ſedibus noſtras fieri maluit, quàm Cumana vivere. Solinus cap. 11. & Iſidorus lib. 8. orig. cap. 8. memorant Sibyllæ Cumanæ Sepulcrum Lilybæi, apud Philippum Cluverium de Antiqu. Sicil. lib. 2. cap. 1.

Fuerunt autem Sibyllæ Virgines quædam, non Dæmonis, ſed Dei beneficio futurorum prę́ſciæ, ac prænunciæ, ut Hieronymus lib. 1. contrà Jovinianum tradit. Mulieres vates Deo plenas vocat Diodorus Siculus lib. 5. Lactantius lib. 1. Divin. Inſtitut. Multa de Chriſto, deque Religionis Chriſtianæ myſteriis cecinerunt. Plura, eaque eleganter ſcribit Munſter lib. 2. Coſmograph. de Sibyllis, quænam, & quot Sibyllæ, quando, & quo loco fuerint, non convenit inter omnes. Collegit varias ſententias Ludovicus Vives in cap. 23. lib. 18. de Civitate Dei Auguſtini. Decem ex Varrone recenſentur. Prima fuit Sibylla Perſica. II. Libyca. III. Delphica. IV. Cumæa. V. Erythræa. VI. Samia. VII. Cumana. VIII. Helleſpon. IX. Phrygia. X. Tyburtina.

Sibyllam Cumanam, nomine Amalthæa, Herophile, vel Demophile, ſecundùm alios, Hierophile ſecundùm Suidam, *novem libros vaticiniorum* attuliſſe ad Regem Tarquinium Priſcum idem Suidas refert, ac pro eis trecentos Philippæos poſtulaſſe, Regemque aſpernatum pretii magnitudinem, & mulieris inſaniam deriſiſſe: illam in conſpectu Regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium poſtulaſſe. Tarquinium multò magis mulierem inſaniare putaſſe, quæ denuò tribus aliis exuſtis, cùm in eodem pretio perſeveraret, motum eſſe Regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe. Hujus facti meminerunt plerique Scriptores, Plinius, Dionyſius, Solinus, Gellius, Servius, qui Tarquinio

quinio ſuperbo, non Priſco, libros oblatos tradidit, & Plinius tres libros, non novem ponit, combuſtiſque duobus tertium ſuperfuiſſe.

Fuerunt, & aliæ nonnullæ Sibyllæ. Cæterùm Sibyllam Lilybœtanam Siculam fuiſſe, non Cumanam, innuit Octavius Cajetanus cap. 7. Iſagoges in Hiſtoriam Siculam: Chriſti Crucis virtute abacta Dæmonia à fanis, lucis, collibus, thermis, antris, ex totâ Siciliâ. Specus, ac celebre ſepulcrum juxta Lilybœum, haud quaquàm Cumanæ, ſed Sibyllæ Siculæ fuiſſe: ejus ſuperſtitio in veram religionem converſa. Pag. 6. Ideæ SS. Siculorum.

CCCII.

SILENUS CALACTIANUS.

Silenus Calactianus Hiſtoricus. Ex Octavio Cajetano tom. 2. Vitarum SS. Siculorum in Animadverſione ad Vitam Sancti Philareti pag. 43.

CCCIII.

SIMON BONONIA, ARCHIEPISCOPUS PANORMITANUS, SICILIÆ PROREX, CARDINALIS POSTULATUS.

Simon Bononia Panormitanus, è nobili Beccatellorum familiâ, quæ in Siciliam Bononiâ, undè nomen traxit, ſe contulit, ex patre Jacobo tertio loco genitus, Juris Pontificii ſcientiâ, & rerum tractandarum dexteritate, cùm vix duodetrigeſimum annum attigiſſet, ab Alphonſo Rege in Panormitanum Archiepiſcopum electus, ab Eugenio IV. Rom. Pont. menſe Januario anno 1445. inauguratur. Generalibus Regni Comitiis præfuit, atque unà cum Friderico de Abbatellis, Camerario, & Regio Equite, Antonio Joanne Barreſio, Petræpertiæ Barone, & Andrea de Caſtellis equite, Regiſque Cancellario, ad Alphonſum Regem Orator mittitur, ut Siculæ leges, quas Regni Capitula nuncupant, Regio aſſenſu firmarentur. Secundùm

dùm ad eundem Alphonſum pro privilegiis,& conſuetudinum jure ſtabiliendo Orator acceſſit. Quod legationis munus ad Alphonſum, tertiùm, atque iterùm, quintùm verò ad Joannem Regem obivit. Tertiùm Siciliæ Proregem egit, multaque ſuprema munia geſſit virtute ſuprà fortunam. Alphonſus Rex ad Callixtum Rom. Pont. ſcripſit, uti Simonem inter Purpuratos Patres cooptaret. Tantis autem honoribus ereptus eſt in patrio ſolo 1465. Ejus ſepulcro hęc addita inſcriptio:

Simon, Juris Pontificii non indoctus interpres,
Ex nobili Panormitanæ Civitatis ductus familia,
Sexto Idus Januarii anno ab ortu Jeſu Chriſti 1465.
Panormi in Archiepiſcopali Palatio,
Quod vivens magnificè, ſplendidèque ſua ipſius impenſa
Erigere cæperat, piiſſimè diem obivit.
Vixit annos 45. *menſes tres, dies novem,*
ſedit annos 18. *mens.* 7. *dies* 9.

Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Panormitanæ à pag. 165. ad pag. 168.

CCCIV.

SIMON I. LEONTINUS.

Simon I. Leontinus, Ordinis Prædicatorum, Friderici III. Sacellanus, inſignis Hiſtoricus appellatur a Carolo Antonio Converſano, in Ætherea Leontinorum gloriâ pag. 44.

Hiſtoriam Gaufridi Malaterræ Italicè reddidit 300. antè annos. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Panormitanæ pag.90.

Cæterùm de Gaufrido Malaterrâ Baronius ad annum 1097. num. 40. hæc inquit. Ejus opus antiquitate planè venerandum delituit, penè ſepultum inter vetera monumenta veterum Regum Aragonum ad noſtram uſque ætatem: cùm illud ipſum Hieronymus Surita, vir celebris, de rerum antiquitate benè merens, in lucem protulit, edíditque Cæſarauguſtæ typis Dominici è Portonariis anno ſalutis 1578. idemque munitum adhuc, & laudatum regio privilegio, ne quid ad abſolutiſſimam ejus fidem deeſſe poſſet, dedicatum verò Antonio Auguſtino,

tunc

tunc Archiepiſcopo Tarraconenſi, eruditione legum ſacrarum ſuæ ætatis in Hiſpaniâ facilè Principi.

Quatuor exemplaria m. ss. ſe Panormi vidiſſe, duo apud Carolum Vigintimillium, nobilitatis, & Matheſeos laude inſignem, tertium apud Alphonſum Cajetanum Societatis Jeſu natalibus, & ſeveriſſimis moribus clarum, ultimum apud Honorium Pactenſem Ordinis Minorum, eruditione illuſtrem, teſtatur Rocchus Pyrrhus loco citato.

CCCV.

SIMON II. LEONTINUS, EPISCOPUS SYRACUSANUS.

Simon alter, ſeu Simonectus, Leontinus, Ordinis Prædicatorum, quem Ordinis Minorum fuiſſe quidam cenſent, Alaymi Leontini, Magni Siciliæ Juſtitiarii, filius, cùm Cœnobio Meſſanenſi Prior præeſſet, ædes Militum Templariorum coëmit, ad novi Cœnobii ſubſtructiones amplificandas. Ad Syracuſanas infulas evectus anno 1269. deceſſiſſe creditur anno 1294. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 166.

Simonem Leontinum II. *Hiſtoriam Veſperi Siculi* ſcripſiſſe Philadelphus Mugnos in Theatro Genealogico famil. Campo pag. 211. tradit: idemque tom. 1. Theatri Genealogici Simonem I. inter Auctores refert, quibus ipſe in contexendâ Siculorum Genealogiâ uſus eſt. Idem Mugnos in Raptu Proſerpinæ pag. 10. Simonem Leontinum II. Scriptorem *Hiſtoriarum ſuorum temporum anno* 1350. fuiſſe dicit. Simonem Leontinum, Epiſcopum Syracuſanum, *Hiſtoriam Siculam* ſcripſiſſe anno 1350. Joannes Ritonius teſtatur apud Mugnos tom. 3. Theatri Genealog. famil. Blanco pag. 439. Rocchus Pyrrhus in Præfatione ad Lectorem tom. 1. Siciliæ Sacræ inquit: Abbas Martinus Lafarina, genere, & eruditione clarus, vir de me benemerentiſſimus, habet apud ſe m. s. Fratris Simonis de Leontino, qui anno 1358. *Siculam Hiſtoriam* ſcripſit *Siculo Idiomate ab Northmannorum adventu*.

Sed inter hæc vetuſtatis velamina, & recentiorum Aucto-

rum fidem parùm tutam, quis vera ſecernere à falſis valeat, & ſua cuique opera, & tempus, vitæque rationem attribuere? Nec adeò certum eſt, an uterque Simon patriâ potiùs Leontinus fuerit, an verò cognomine, è nobiliſſimâ familiâ de Leontino efformato, ortu Meſſanenſis: ut in Thomâ de Agno inferiùs dicemus: quanquàm, & patriam, & gentilitium cognomentum Leontinum plures credant. Conſule Carolum Antonium Converſanum in Æthereâ Leontinorum gloriâ pag. 44. & paſſim ibidem.

CCCVI.

SIMON PISCIS CATANENSIS, SARDINIÆ PROREX.

Simon Piſcis Catanenſis, Antonii, & Joannis germanus frater, natu maximus, genere, & virtute nobiliſſimus, Orator eximius, Alphonſo Regi pretioſus, Sardiniæ Prorex, acerrimus ſcelerum vindex, ut filio ſuo delictis inſimulato non pepercerit, Cæſarei, ac Pontificii Juris Doctor clariſſimus extitit. Ex Joanne Baptiſtâ de Groſſis in Decachordo Catan. Cordâ 9. pag. 150. Matthæo Silvagio in libro Colloquior. trium Peregrinorum pag. 264.

CCCVII.

SOPHOCLES AGRIGENTINUS.

Sophocles Agrigentinus, vir clariſſimus, Romanorum tempore claruit. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Agrigentinæ pag. 332.

Sophocles ex Coloneo, vel Coloniâ, Poëta Tragicus clariſſimus fuit. Fabulas 123. docuit, & quater vicies victor extitit. Senex accuſatus delirii à liberis, Oedipum Coloneum Tragœdiam, quam præ manibus habebat, judicibus recitavit, & abſolutus eſt. Obiit ex gaudio nunciatæ victoriæ, vel grano uvæ ſtrangulatus, anno nonageſimo quinto ætatis, cùm Lacedæmones Athenienſium Urbem obſiderent. Suidas.

CCCVIII.

SOPHRON SYRACUSANUS.

SOphron Syracuſanus, Agathoclis, & Damnaſyllidis filius, vixit temporibus Xerxis, & Euripidis, Scripſit autèm *Mimos viriles, & muliebres: ſunt autem ſoluta oratione Dorica lingua ſcripti.* Dicunt Platonem Philoſophum eos ſemper lectitaſſe, adeò ut interdum iis etiam indormiret. Ex Suida.

Habes plura de Sophrone apud Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis.

Hunc in Herbeſſo, veteri Siciliæ Urbe, Timone Leontino, & Heſperiâ Herbeſſenſi, parentibus natum, abductumque adhuc puerum Syracuſas, ibidem Philemone præceptore Comœdiam didiciſſe, Theophilus tradit. Theatrum hiſtrionum inventione nobilitavit, *Comœdias* 95. Doricâ ſuavitate multùm commendatas, compoſuit, quarum unam feſtiviſſimam, inſcripſit: *Philoxenus, & Gnato, Lurcones Syracuſani*. Vixit annos 76. Euripidi coævus. Ex Theophilo.

Herbeſſum, antiquiſſimam, & celebrem Siciliæ Urbem, Dominicus Niger in deſcriptione Siciliæ putat eſſe, quæ nunc vulgo Vicari, Leander Albertus in deſcriptione Italiæ, quę nunc Cirami. Sed, quod errarint, danda eſt venia, ut exteris, rerum noſtrarum minùs gnaris. Porrò duas Herbeſſi nomine Civitates inſignitas fuiſſe, ex Polybio, Diodoro, & Livio conſtat. Vtraque Siculorum fuit ex Diodoro: utraque mediterranea ex Plinio, & Ptolemæo. Sed altera Siciliæ latus orientale, altera ſpectabat occidentale. Atque hæc illa eſt, cujus meminit Polybius, & Diodorus. Etenim primo bello Punico Romanis obſidentibus Agrigentum, locatis antè Urbem caſtris, adverſùs Heracleam frumenti horreum, ac penè forum, unde res venales adveherentur, Herbeſſus fuit. Quod oppidum, Polybius ait, à Romanorum caſtris non longè aberat. Id hodie Gruttas Fazellus de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 1. Maurolycus in Indice ad res Sicanicas eſſe putant. Altera Herbeſſus haud procul Syracuſis fuit, ut ſignificat Diodorus. Syracuſas, & Leontinum

inter Livius locat, quò Hippocrati, & Epycidi è Leontinis eâdem nocte perfugium fuit. Hanc Aretius, Fazellus, & Maurolycus fuiſſe dicunt, quam hodie Pantalicam nominamus. Argumentum, quo Fazellus ducitur, eſt origo nominis: quod Herbeſſus locum cavernoſum ſignificat. Sed Cluverius Fazellum reiicit, coniicitque ex Livio Palazoſum eſſe Herbeſſum: etſi à ſpeluncis nomen deduxeris, multas hic invenies. Quo tempore Herbeſſus interierit, incompertum eſt: Saracenis Inſulam vaſtantibus crediderimus, iiſdem dominantibus corruptum nomen, & Pantalicam dictam incertâ ratione. Ex Octavio Cajetano tom. 1. Vitar. SS. Sicul. in Animadverſione ad Vitam S. Sophiæ pag. 113. 114. Agit de Erbeſto, & Herbeſſo aſpiratione additâ, ut communis mos fert, Cluverius de Antiqu. Siciliæ lib. 2. cap. 10. & 11.

CCCIX.

SOSICLES SYRACUSANUS.

Soſicles Syracuſanus, unus, & ipſe ex Plejadibus Tragicus, quem miror à Græcis inter Poëtas numerari, qui Philippi, & Alexandri Macedonis tempore floruerunt: cùm Poëtæ ii, qui Plejades dicti, ſimul eodem fermè tempore claruerint. Meminit, & Soſiclis Plutarchus, Athenæus, & Suidas. Ex Lilio Gregorio Gyraldo de Poëtis. Edidit *fabulas* 73. ſeptem verò vicis. Suidas.

Sophronem, & Soſiclem uno nomine Soſiphanem appellare videtur Conſtantinus Laſcaris. Soſiphanes, inquit, Syracuſanus Poëta, ſive Tragicus, & Synchronus Euripidis, unus ex ſeptem Tragicis, tempore Philippi, & Alexandri. Mimos viriles, & muliebres, Tragœdias ſeptuaginta tres ſcripſit, in quibus ſepties palmam adeptus eſt. Item alia tàm metro, quàm proſâ. Platonem hujus Poëmata legentem ſomnum cœpiſſe ajunt. Ex Conſtantino Laſcare.

SOSI-

CCCX.

SOSITHEUS SYRACUSANUS.

SOſitheus Syracuſanus, Poëta unus de numero eorum, qui qui Plejades appellantur. Suidas. Homeri Tragici æmulus. Ex Carolo Stephano in diction. Hiſtor. Poët. Geogr.

Ingens bellum exarſit inter Jacobum Mazonium, & Franciſcum Patritium, pro Soſitheo: æquo marte diù utrinque pugnatum aculeato ſanè ſtylo. Fueritne Syracuſanus, Alexandrinus; an Athenienſis Soſitheus iſte? Fueritne unus, an plures? Comicus, an Tragicus? Idylliorum Auctor, an verò hæc omnia ſcripſerit? *Daphnis, & Lithyerſa, Soſithei opus unum ſit, an verò duo, Comicum, an Tragicum, an verò ſit Ecloga?* Vixerit ne tempore Ptolomæi Philadelphi, an Philopatoris? Laurentius Craſſus de Poëtis Græcis eruditè hoc argumentum proſequitur. Vide Soſitheum.

CCCXI.

SPURION MURGANTINUS.

SPurion Murgantinus Poëta clarus. Ex Philadelpho Mugnos in novo Laërtio pag. 136. 137.

Murgantiam, veterem Siciliæ Urbem, Livius lib. 4. de Secundo Bello Punico appellat, Murgentium Cicero in Verrem, Morgantium Strabo lib. 6. A' Morgeſibus Afiæ populis conditam idem Strabo lib. 6. ex Antiocho refert. Non longè à Syracuſis fuit, ac Leontino. In agro, qui nunc Murgus nuncupatur, ejus immanes ruinæ viſuntur. Auctam illam olim à Leontinis, cùm hi opibus florerent, & Urbes XXII. obtinerent, Mugnos citatus loco citato ſcribit.

S. STE-

CCCXII.

S. STEPHANUS SYRACUSANUS, PONT. OPT. MAX.

S. Stephanus Syracuſanus, Olybrii filius, Presbyter Cardinalis Sanctæ Cæciliæ à Zachariâ factus, deindè Romanus Pontifex ſub nomine Stephani hujus nuncupationis Quarti. Comitia Conſtantini Pſeudopontificis abrogavit, ejuſqueConciliabuli acta combuſſit. Statuit, ne quis in poſterum, niſi Diaconus, aut Presbyter Cardinalis, ad Pontificatum eveheretur. Itaquè, Baronio teſte omnibus invaſoribus Apoſtolicæ Sedis occluſus eſt aditus, veluti alto interiecto pariete, quo profanum eſſet à ſacro diviſum. Hic ſummo Magiſtratu functus per menſes quinque, dieſque viginti ſuprà triennium, pridie Kalendas Februarii anno ſalutis DCCLXXII. è vivis abiit. Eſt Stephani mentio apud Ferdinandum Scholaſticum in Chronico, Anaſtaſium Bibliothecarium in Vitis Pontificum, & Auctarios, Baronium in Annalibus, apud Octavium Cajetanum tom. 2. Vitar. SS. Siculor. pag. 28. extat ejus Vita. Scripſit *Epiſtolas plures ad diverſos*, quarum *una* tantùm extat in tom. 5. Conciliorum. Varias refert Jacobus Gretſerus Societatis Jeſu, *quinque* Baronius enumerat, *plures* Ferdinandus Ughellus in Jtaliâ Sacrâ. Ex Auguſtino Oldoino Societatis Jeſu in Athenæo Romano pag. 622.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Sicilienſium ità nos de Stephano luſimus:

Stephanus
Syracuſis, in Urbe Solis, ex Olivo natus,
nec gelidus eſſe potuit, nec obſcurus.
Romam accerſitus,
à Gregorio III. S. Chryſogoni Monachis,
indè à Zachariâ Cardinalibus,
ſanctimoniæ archetypon proponitur:
à Stephano III. ac Paulo
aſcitus in intimum conſiliarium.
Quare ebullientibus undiquè tumultibus
propter excitata ab Antipapis incendia,

Ste-

Stephanus Olivi filius,
quem alii Olybrium dixerint,
viviſſima jam defunctorum Pontificum regula,
Pontifex Caduçæator eligitur.
Exoptatam diù paritṳrus concordiam,
bellum ſceleſtis indixit.
Novæ Militiæ tyrocinium
in Crucis palæſtrâ jam poſuerat,
ſemet frangere aſſueſcens,
ſuiſque cupiditatibus imperare;
antequam educeret copias, aut hoſtes funderet
Alter Archimedes
uſtorio ſpeculo Charitatis,
Romanas arces tutatus eſt hoſtium lucro.
Plures enim iis ſtratagematis capti
de ſcelere triumpharunt.
Alienis autem triumphis
Stephano inclareſcebant victoriæ,
ſui nominis cęlebritate corona.

CCCXIII.

STEPHANUS PROTONOTARIUS MESSANENSIS.

STephanus Protonotarius Meſſanenſis, inter vetuſtiores Italicæ Poëſis cultores numeratur. Scripſit *Carmina Italica*, quę illius ætatis ſimplicitatem olent. Ex Leone Allatio de Poëtis Italis Antiquioribus.

CCCXIV.

STESICHORUS HIMERENSIS.

STeſichorus Himerenſis, Poëta Lyricus excellentiſſimus, ac Philoſophus tempore Phalaridis. Hic Tiſias vocabatur: & quoniam choream inſtituit, Steſichorus appellatus eſt, quaſi Stator Choreæ. Fratres habuit Marinum Geometram, & Halia-

nactem legum latorem, filiaſque doctiſſimas. *Plura Doricè* ſcripſit, quorum nihil extat. Item cùm contrà Helenam ſcripſiſſet, viſum amiſit: palinodiâ compoſitâ recuperavit. Hic filius fuit Euphemii, ut alii, Euphorbii, ut alii, Euclidis, ut alii, Hietis, ut alii, Heſiodi. Nonnulli Metauriæ ortum in Italiâ, nonnulli in Oppido Palantino in Arcadiâ, atque indè profugum Catanam veniſſe, ibique defunctum antè Civitatis portam, quæ ab ipſius nomine, Steſichoria, dicta eſt. Ejus ſepulcrum octo columnas, totidemque gradus, & angulos habebat, de quo adhuc extat teſtudinatum monumentum, quod Divæ Mariæ Bethlemiticæ ædem vocant. Ex Conſtantino Laſcare.

Natus Olympiade 37. cùm adhuc infans eſſet, in ejus ore luſciniam inſediſſe ferunt, ac dulciter cantaſſe, in futuræ ſuavitatis in pangendis carminibus præſagium, ut Plinius lib. 10. ſcribit. Phalaridem, Agrigentinorum tyrannum, habuit amicum, eundem verſibus exagitatum, hoſtem, quemadmodum ex epiſtolis ipſius Phalaridis clariſſimè conſtat:

Phalaris Steſichoro.

Pro *carminibus, in Cleariſtam* factis, plurima tibi, magnaque repoſita erit gratia. Nam & te totum ad ea contuliſti, quæ petii, inque diſpoſitione partium ſingularum te geſſiſti egregiè: tùm figura ſcripturæ admirabiliter probata eſt, non ſolùm à me, ſed etiam ab Agrigentinis multis, qui audivère unà. Erunt autem & alii, qui probent, non ſolùm, qui in præſentiâ audiverunt, neque quicumque nunc exiſtunt, ſed & quoſcumque futura poſt nos vita feret. Gratia igitur pro hac Poëſi, ut dixi, tibi debetur à me. Donaſti autem per tuam petitionem, & præſentibus, & futuris hominibus, & hanc melodiam. Cæterùm de me, rebuſque meis, tale enim quippiam per epiſtolam ſignificaſti, per Sodalitium rogo Jovem, communemque Veſtam, ne unum quidem in Poëſi, neque quòd peſſimus fuerim, neque quòd bonus, memineris: nomen enim meum abſonum eſt propter fortunam. Scriptus autem ſit Phalaris in ipſo Steſichoro, ſive melior, quàm opinio inter homines obtinet, ſive pejor reputatus eſt. Vale.

Phala-

Phalaris Himerenſibus.

Steſichorum ſcitote, Cononem, & Dropidam, traiicientes à Pachyno in Peloponneſum pro Corinthiis, ad quos à vobis miſſi ſunt, ad me perductos eſſe: & Dropidam quidem forſan reddemus vobis, Cononem autem ſtatim interfecimus. Steſichorus autem ſalvus eſt: donec modum excogitemus, quo punitum eum mori oporteat. Valete.

Sed perfunctus hoc periculo Steſichorus, Catanæ, quò profugerat, extremum diem obiit, ut Lucianus in Macrobiis refert. Ejus auditâ morte, cùm jam in gratiam recepiſſet, Phalaris Himerenſibus, & filiabus conſolatorias de ejus obitu epiſtolas miſit. Quin imo, & Himerenſes hortatus eſt, ut templum ei, veluti virtutum ſuarum immortale monumentum, conderent, ejuſque carmina, & publicè in omnibus templis, & domi quoque privatim quiſque haberet. Scripſit, & *Poema Epodicum*, quod ex tribus conſtat, nimirum, *Strophe*, *Antiſtrophe*, *& Epodo*. Undè adagium exortum: ne tria quidem Steſichori noſti.

In Antologiâ.

Steſichorum cognovit ſuaviſſimum, quem olim terra
Sicula nutrivit, lyræ verò docuit Apollo
Conſtantiam, adhuc matris in viſceribus exiſtentem.
Quo, & edito, & in lucem jam progrediente,
Aliundè per aera vadens in ore alauda
Tacitè inſidens, dulcem emittebat ſonum.

Conſule Thomam Fazellum de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 9. pag. 197. & Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis.

CCCXV.

STHENIUS THERMITANUS.

Sthenius Thermitanus, vir primarius, & Orator eloquentiſſimus, ut Cicero in Verrem IV. & Plutarchus in Pompejo

referunt, magno animo Pompejum, qui à L. Sylla Dictatore in Siciliam contrà Marianas partes miſſus, Thermitanos Himeræos, quòd hoſtium partibus adhæſerant, univerſos interficere, atque oppidum delere ſtatuerat, repreſſit. Non æquum, inquiens, facis, Pompei, quòd unius ob noxam innoxios innumeros occidere paras. Nam ego ipſe ſum ille, qui civibus, amiciſque perſuaſi, & inimicos coëgi Marianas ſequi partes. De me igitur ſolo ſupplicium ſumito. Cujus reſponſi, animique, qui ſuæ ipſius vitæ, patriam, Thermitanoſque omnes prætulerat, admiratione, patriæ ipſius ſimul, & ipſi Sthenio pepercit: ac in eo ipſo judicio, quo abſolutus eſt, Sthenium hoſpitio ſuo dignum cenſuit: atque ob hujus liberationem non ſolùm cum Himerâ, ſed cum omni etiam Provinciâ gratiam iniit. Hic Sthenius ſolus, quod Siculus nemo, ſed ne quidē tota Sicilia potuit, Verri, Romanorum Prætori, tanto animi robore obſtitit, ut ex patrio Oppido nullum ſignum, nullum ornamentum, nihil ex ſacro, nihil ex publico, ubi complura erant præclara, & ab illo concupita, unquàm attigerit. Hunc propterea Verres ipſe iniuſto, ac falſo captum titulo condemnavit, atque in varias impulit calamitates. Quem tamen apud S. P. Q. R. Civitates Siciliæ propè omnes teſtimonio ſuo, legationibuſque publicè laudarunt, defenderunt, ac veluti fortiſſimum omnium virorum prædicarunt. Illi ænea tabula pretioſiſſima ob plurima in Rempublicam beneficia, quæ majuſculis literis in ea inciſis declarabantur, in Thermitanâ Curiâ fuit affixa, ut Cicero in Verrem IV. ſcribit, quam deindè Romam Cicero detulit, & in Senatum contrà Verris falſam in Sthenium accuſationem produxit. Extabat Fazelli ætate marmoreus lapis in privatâ domo Antonii Marturanæ juxtà Parochialem Eccleſiam, quæ Sthenii aliquando ædes fuere, inſculptus: Sthenii ædes.

Placidus Reina Sthenem Meſſanenſem civem facit, cumque invicto pectore obſtitiſſe Pompejo, cùm is à Sylla Dictatore ad perſequendos Perpennam, & Carbonem, Marianæ factionis Duces, & reliquum Marianorum delendum, miſſus, Mamertinos, quos nunc Meſſanenſes vocamus, internicioni deſtinaſſet; ſcribit Plutarchum ſecutus. Plutarchus enim in Apophtegmat. Pompejus Mamertinos, quòd ab adverſariis ſtetiſſent, univer-

ſos

ſos neci dedere conſtituerat. Tùm Sthenis, qui Orator in eâ Civitate principatum tenuerat, iniuſtè agere Pompejum dixit, qui ob unum ſontem multos innocentes vellet occidere. Se ſolum in culpâ eſſe, qui amicis perſuaſiſſet, inimicos vi adegiſſet ad Marianam factionem defendendam. Miratus Pompejus hominem, gratiam ſe delicti facere Mamertinis pronunciavit, talem ſecutis virum, qui patriam ſuâ vitâ haberet priorem, ignovitque, & Civitati, & Stheni. Atque hi quidem germanorum Mamertinorum ſpiritus proprii videntur pro tuendâ patriâ, & libertate publicâ vindicandâ. Ex Placido Reinâ tom. 1. Notit. Hiſtor. Meſſan. pag. 332.

CCCXVI.

SUSARION MEGARENSIS.

SUſarion Megarenſis, Poëta Comicus, ſed enormiter maledicus: undè vetus Comœdia Maledica Suſarionis appellabatur. Eum ſecuti ſunt Evetes, Euxenides, & Mylus. Tantâ licentiâ hominum flagitia inſectabatur ſcribendo: ut opus fuerit lege, quæ maledicam illam linguam, & effrænem mordendi libidinem inhiberet, ac retunderet. Cùm moroſè admodùm, atque infeſtè junctus eſſet mulieri in Dionyſiorum celebritate theatrum ingreſſus, hæc quatuor carmina cecinisse traditur:

Audite populi, Suſarion hæc dicit,
Filius Philini Megarenſis Tripodiſcius:
Malum ſunt mulieres, ſed tamen populares.
Non eſt domum invenire ſine malo.

Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

CCCXVII.

SYMMIAS SYRACUSANUS.

SYmmias Syracuſanus, Philoſophus fuit, ac Stilponis auditor, cujus filiam parùm pudicam duxit. Ex Conſtantino Laſcare.

Stilpo Megarenſis ejus Oppidi, quod eſt in Græciâ, præter uxorem, quam duxerat, etiam Micarete pellice utebatur, ex quâ fortaſſis aliam genuit, quam Symmiæ Syracuſano deſpondit. Sed hæc dum laſciviùs viveret, Stilponique à quodam renuciatum eſſet, eam ſibi probro eſſe; non, inquit, iſta majori mihi probro eſt, quàm ego illi ornamento. Ex Diogene Laërtio de Vitis Philoſophor. lib. 2. in Stilpone.

Symmiam hunc Caſmenæ natum, & Megaram Stilponis audiendi causâ profectum, magnum ſubindè Philoſophum evaſiſſe, demùm anno ætatis ſexageſimo defunctum, & *libros* 8. *Moralis Philoſophiæ* ſcripſiſſe tradit Hermippus.

Caſmenam, ſecundam Syracuſanorum Coloniam, Urbem Siclim Motycenſis Comitatus ſplendidiſſimam, fuiſſe cenſet Marianus Perellus, Siclenſis noſter, in erudito Commentario, quod de Antiquitate Caſmenæ literarum monumentis conſignavit anno 1640. Meſſanæ apud Petrum Bream in 4. Civibus Siclenſibus d. d. d.

Caſmenæ, g. arum, fuiſſe videntur, ubi nunc nobile, atque amœnum in primis conſpicitur oppidum, vulgari vocabulo, Scicali, dictum; inquit Joannes Bunon, Philippi Cluverii Epitomator, de Siciliâ Antiq. lib. 2. cap. 10.

Fuit, & alter Symmias Thebanus, cujus dialogi 33. ferunruntur. Ex Laërtio lib. 2. in Symmiâ. Tertius Rhæbbius, ſed origine Samius, à quo primùm Jambos ſcriptos ajunt.

CCCXVIII.

TELEMACHUS, TYRANNUS AGRIGENTINORUM.

Telemachus, Agrigentinorum Princeps, literis deditus, & Calcyopenſis, à quo Eumenides inſtructus: cujus filius Gneſſidamus, pater Theronis, Tyranni Agrigentinorum, & Xenocratis, qui omnes ſtudioſi. Ex Conſtantino Laſcare.

THA-

CCCXIX.

THALES CALACTIANUS.

Thales Calactianus Orator, *Succeſſiones Philoſophorum, ac Sectarum* deſcripſit. Ex Conſtantino Laſcare.

CCCXX.

SANCTA TECLA LEONTINA.

S. Thecla Leontina, S. Iſidoræ Martyris filia, Lilium Virginum, genitricis cruore fecundatum potiùs, quàm nutricis lacte perfuſum, ut Martyr quoque dici poſſet, unus illi defuit tortor, quem, quandiù vixit, optavit. Cæterùm tot ſibi collegit palmas, quot Martyrum cadavera tumulavit. Amplum, quod habuit ipſa patrimonium, in duas diſtribuit partes, in alendis nempè fidelibus, in ferarum ſpelæis degentibus, atque in templis erigendis, ditandiſque. De Leontinâ Eccleſiâ benemerentiſſima, ſcripſit *Epiſtolam, qua Romanum Pontificem rogat, ut in Leontinum Epiſcopum Neophitum initiaret*, qui deindè multa, & præclariſſima geſſit. Extat hæc Epiſtola tom. I. Vitar. SS. Siculorum apud Octavium Cajetanum pag. 76. in Animadverſione ad Vitam S. Neophyti. Colitur à Leontinis ejus memoria 4. Idus Januarii unâ cum Sanctiſſimæ Virginis Juſtinæ, Theclæ conſobrinæ. Ex Franciſco Carrerâ Societatis Jeſu in Pantheo Siculo pag. 11. Carolo Antonio Converſano in Æthereâ Leontinorum gloriâ pag. 27. Philadelpho Mauro in Hiſtoriâ Sanctorum Fratrum, Alphii, Philadelphi, & Cyrini, pag. 333.

In Elogiis Juvenilibus Præſulum Siculienſium ità nos de Neophyto luſimus:

Auguſtini, Hipponenſium Epiſcopi,
evolue geſta:
Neophytum Leontinorum Epiſcopum
in illis efformatum leges.
Prioris vitam

poſte-

poſterioris imaginem, aut prototypon
cenſebis.
Ille Manichęorum anteſignanus,
cùm Orthodoxos crudeliùs inſectaretur
Aurelius appellatus;
monente cęlo vocibus
nomen vetus, & ſectam novam deſeruit,
utriuſque ſordes
piaculari lavacro abluit
Ambroſio adminiſtro.
Monica, mœſtiſſima parens,
filii calamitatem diù fleverat:
ut meliora incrementa impetraret,
cui vitæ primordia tribuerat.
Tandem pectus ſaxeum,
& cor carneum, omni ſaxo durius,
jugi lacrymarum pluviâ emollitum,
molliter vivere deſiit,
arctâ viâ ſalutis initâ:
plus debens lacrymis, quàm lacti,
plus oculis, quàm uberibus genitricis.
Hic Tertulli princeps conſiliarius,
cùm excidium Chriſtianis minitaretur,
Alexander dictus,
ſuadente cęlo prodigiis
nobilis transfuga
Chriſtianæ militię ſacramento ſe obſtrinxit,
Sacramento baptiſmatis per Agathonē ſuſcepto,
mutatâ in Neophytum nomenclatione.
Interemptâ Chriſti causâ Neophytâ matre,
nobiliſſimo ſanguine velut iterùm genitus,
multa illi nomina debens,
unum retinuit,
quo nullius obliviſceretur.
At Neophytus
idem monitor, exactor, ac debitor,
multiplici virtutum fructu

parenti

parenti reſpondit.
Uterque divinitùs creatus Antiſtes,
uterque ſe talem præſtitit,
qualem divinitùs creatū Antiſtitem eſſe decebat.
Uterque alienis infortuniis infelix,
ſuis feliciſſimus,
alienos ità caſtigabat errores,
ut in ſuos animadverteret ſeveriùs.
Aſpexiſſet geminum Solem orbis,
niſi ſplendor ſingulorum adeò perſtrinxiſſet obtutus,
ut vix parhelion cerni poſſet.

CCCXXI.

THELESTES SELINUNTINUS.

THeleſtes Selinuntinus, cui Sicyoniorum Tyrannus Ariſtratus monumentum decrevit, Poëta Comicus, ſcripſit *fabulas*, quibus nomen: *Argo*, & *Æſculapius*. Scripſit quoque *Dityrambos*, quos Harpalus cùm aliorum Poëtarum operibus, præſertim unà cum Menalippidis Dithyrambis Alexandro Magno miſit. Saltatoriam artem adeò callebat, ut, cùm ſaltaret ſeptem Duces, Thebas obſidentes, res ab illis geſtas ſaltationis geſtibus evidenter oculis ſubjecerit. *Aliarum fabularum* Auctorem Patritius facit. Vixit Æſchyli temporibus. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis, apud quem plura de Theleſte.

Selinis, ſive Selinûs, g. untis, Siciliæ Urbs non ſolùm inter magnas, ſed etiam inter magnificas priſcâ ætate recenſita, hodie proſtrata Mazaria creditur à Mazarienſibus: ſed ſitu recentis Urbis Mazariæ cum Selinuntis ruinis collato, ac veterum Scriptorum, cum primis Diodori lib. 14. ſententiis profundè perſpectis, non Mazariam fuiſſe autumat Fazellus, ſed illam everſam, quam nunc Terram Pulicum, 12. milliario Mazariæ propinquam, appellamus. Sed tractus Selinuntinus olim latè patebat, ditionem armis longiùs prolatantibus Selinuntinis. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 6. pag. 146. ad pag. 150. Conſule Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 18.

CCCXXII.

THEMISTOGENES SYRACUSANUS.

THemiſtogenes Syracuſanus, Hiſtoricus, *Cyri Regis aſcenſum*, *& de patria ſua, multa* conſcripſit. Ex Conſtantino Laſcare.

CCCXXIII.

THEOCRITUS SYRACUSANUS.

THeocritus Syracuſanus, Poëta præſtantiſſimus, *Bucolicorum* Auctor illuſtris, *plures* ſcripſit *Eclogas diverſo idiomate*, quarum *triginta novem* extant. Bucolicorum genus, ut quidam ajunt, inventum eſt, apud Lacedæmonios, ut alii apud Tyndaridam Siciliæ Urbem, quo tempore Oreſtes cum Iphigeniâ Dianæ ſimulacrum ex Tauris reportavit. Alii, quod verius eſt, Syracuſis inventum aſſerunt. Nam, cùm Syracuſani poſt multas ſeditiones, & clades ad concordiam Dianæ ope rediiſſent; Dorici paſtores hoc carminis genere pſallentes Dianam celebrarunt. Ex Conſtantino Laſcare.

Theocritus modò Cous, modò Chius exiſtimatus eſt, ut Ambron in ejus Vitâ ſcriptum reliquit. Conſtans tamen reliquorum ferè ſententia eſt, ut ſit Syracuſanus, Proxagoræ, & Philinæ filius, id, quod ipſe quodam epigrammate teſtatur, negatque fuiſſe Chium:

Hæc ego compoſui, non ille Theocritus, ortu
Chius, at è media plebe Syracuſius.
Proxagora genitore ſatus, claraque Philina.
Externo cecini carmina multa ſono.

Idem, & Artemidorus ſuo epigrammate oſtendit. Ex Gyraldo Dial. Poët. pag. 110. edit. Baſileæ 1580.

Auditor fuit Aſclepiadis Samii, qui Aſclepiadæum carmen invenit, & Philippiadis, ut in editione Venetâ 1539. apud Bartholomæum Zannettum, 1543. ex officinâ Farreâ, in editione Francofurtianâ 1553. apud Petrum Brubacchium, in editione

Comme-

Commelianâ 1596. videre eſt. quanquàm in codice Florentino apud Juntas 1515. Philetiadæ legatur, quem Philetam Coum, Poëtam Elegiographum clariſſimum, exiſtimant, preceptorem Ptholomæi Philadelphi, Regis Ægyptiorum, in cujus aulâ verſatus eſt, & Theocritus, magno in pretio habitus. Quam ob cauſam eidem Panegyricum ſcribens auream in cęlo Regiam Ptolomæo Lagidi conſtituit.

Quâ ætate adoleſcens nimirum, an ſenex, quo tempore vitâ deceſſerit, quove mortis genere; non una eſt Auctorum opinio. Non juſſu Antigoni Regis affectus eſt ſuſpendio, ut Ovidius in Ibin cecinit. Theocritus enim Chius ille fuit, de quo meminit Macrobius Saturnal. lib. 7. cap. 3. Nec veneno ſublatus, ut Bonannus, ſive Carrera, quiſquis eſt Auctor Syracuſ. Illuſtrat. pag. 290. putat. Sed naturâ urgente mortalium contubernium deſervit, ut Vigintimillius tradit.

Tantùm Doricâ Dialecto claruit, ut Princeps Doricæ linguæ dicatur, quemadmodùm Ariſtophanes, & Thucidides in Attico, Hippocrates, & Heſiodus in Jonico, Alcæus in Elico idiomate cæteros præſtiterunt. At verò carminum elegantiâ, & ſuavitate, cùm Græcos, tùm Latinos omnes antecellit. Virgilius, qui Homerum in Æneade, in Georgicis Heſiodum ad admirationem eſt æmulatus; Theocritum, quem in Eclogis conſcribendis Auctorem ſibi imitandum propoſuit, non attingit. Jam lis eſt, inquit Gaſpar Bartius adverſ. Comment. lib. 41. cap. 26. inter Criticos, utri præferendus ſit, Virgilio ne Græcus, an Theocrito Latinus vates? Plurima ſunt Theocriti inacceſſa Maroni, plurima meliora Virgilio Theocriticis. Tamen Græcus Scriptor immani intervallo Latinum relinquere videtur. Id expreſſit Phileticus in epigrammate in Theocritum.

Pace loquar Latia, ceſſit bona Muſa Maronis,
Ceſſerunt Siculæ cætera turba lyræ.
Aptiùs invenies nullum, qui luſerit antè
Hoc carmen, nec, qui concinat, alter erit.

At non Latini modò, ſed ne Græci quidem Theocritum ſtyli præſtantiâ pertingunt, quam citrà affectationem peregrinarum Venerum coluiſſe teſtatur Bartius citatus loc. cit. lib. 15. cap.

20. Idque adeò verè, plenèque præſtitit, ut longè ab illius imitatione non ſolùm Latini, quod genus trans mare volavit inſolentiùs; ſed, & Græci abſint. Quapropter Admirabilis appellatur à Quintiliano. Admirabilis in ſuo genere Theocritus, inquit: ſed Muſa illa ruſtica, & paſtoralis non forum modò, verùm ipſam etiam Urbem reformidat.

Scripſerunt in Theocritum Commentaria ex Græcis ſecundùm Caſaubonum in Lect. Theocrit. cap. 2. pag. 23. Amaranthus Grammaticus Alexandrinus, Aſclepiades Mirleanus, Apollonii diſcipulus, Amerias Macedo, Munatus, Neoptolemus Pharius, Nicanor Cous. Addit his Pontanus in Virgil. Eclog. 1. Theonem: Carrera, in Sicilian 7. addit Simplicium. Ex quibus Commentarium quoddam excerptum eſt, cujus meminit Euſtathius juxtà Caſaubonum, illo melius, quod ſub nomine Scholiorum in Idyllia Theocriti, quæ Zacharias Calliergus Cretenſis collegit, circumfertur. In Bibliothecâ Cæſareâ Viennenſi aſſervantur Idyllia quædam mss. Theocriti cum gloſſis Amaranthi in 4. ut notat Jacobus Phriſius in ſupplemento Bibliothecæ Geſnerianæ.

Marianus gente Romanus, ſed Palæſtinæ incola, Patritius ab Anaſtaſio Imperatore Conſtantinopolitano creatus, Apollonii, Callimachi, Arati, Nicandri opera in Jambos traduxit, Teochriti metaphraſin Jambis 3150. digeſſit. Martinus Philecticus ſeptem priora Idyllia latinitate donavit, Andreas Divus Juſtinopolitanus omnia edidit Venetiis, & Baſileæ, Vitus Vuenſemius Francofurti apud Michaëlem Neandrum. Ælius Eubanus in Latinos verſus tranſtulit, edidítque Haganoæ 1530. Baſileæ 1531. apud Cratandrum; Francofurti apud Bubrachium, cum Idylliis quibuſdam Joachimi Camerarii, Joannes Trimaninus edidit Venetiis apud Joannem Antonium Nicolinum 1539. Notæ Joannis Sturmii, excerptæ à Martino Cruſio, & Michaële Toſſitâ; in primum Idyllium, editæ ſunt Argentinæ, ac Tugurii. Lipſiæ quoque prodierunt Idyllia Theocriti unà cum Idylliis aliorum Poëtarum cum expoſitione Grammaticâ Michaëlis Neandri. Prodierunt inſuper in Corpore Poëtarum Bucolicorum, quod Joannes Criſpinus anno 1570. in lucem emiſit, & Edelbergæ 1596. per Hieronymum Commelinum,

Spici-

Spicilegium Idylliorum Theocriti per Joannem Meurſium Lugduni Batavorum 1597. Selecta eorundem ad uſum Scholæ Amburgenſis Henrici Rumpii operâ. Editio Græcolatina, emendata à Jacobo Letio, in volumine Poëtarum Heroicorum, prodivit Aureleæ Allobrogum 1606. in fol. apud Vignon. Circumferuntur etiam Danielis Heinſii notæ in Theocritum, emendationes Theocriti, Joſephi Scaligeri, Lectiones Theocriticæ Iſaaci Caſauboni A. D.

Scripſit autem Theocritus ex Suidâ ea, quæ vocantur *Bucolica carmina Dorica dialecto*. Quidam hæc alia Theocrito adſcribunt, *Prætides*, *Elpidas*, *Hymnos*, *Heroinas*, *Epicedia*, *Elegias*, *Jambos*, *& Epigrammata*: in quod conſentiunt Gyraldus Dialog. Poët. pag. 110. & Patritius Hiſtor. Poët. lib. 1. pag. 119. Ad hæc numerantur *Ovum*, *fiſtula*, *bipennis*, *Cupido alatus*, *& ejumodi ſolatiola*, à Pomponio Guarico in lib. de lege Poët. quanquàm autem poſtrema hæc opuſcula Symmiæ Rhodio quidam attribuant; ea tamen Theocrito noſtro vindicant Patritius, Divus, Trimatinus, Giſnerus, Gyraldus, & Gulielmus Canterus: in quo tamen dubius hæret Caſaubonus.

Idyllia Theocriti ſecundùm editionem Græco-Latinam Criſpini XXXII. numerantur, ſed à Fazello pauciora, à Laſcare citato plura. Conſule Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis, ſed maximè Joannem Vigintimillium de Poëtis Bucolicis Siculis à pag. 113. ad pag. 401. Philadelphum Mugnos in novo Laërtio de Theocrito.

CCCXXIV.

THEODECTES MINOUS.

Theodectes Minous, Gorgiæ Leontini auditor, Hiſtoricus, & Orator illuſtris. *Multa* ſcripſit. Ex Philadelpho Mugnos in novo Laertio pag. 65.

Minoa, Urbs Siciliæ, indè dicta Heraclea, ut auctor eſt Livius, anno mundi 4000. ut ſupputat Euſebius, à Cretenſibus poſt mortem Minois eorum Regis condita, ut lib. 5. Diodorus refert; penitùs interiit. Ex Thomâ Fazello de Rebus Siculis

Decad. 1. lib. 6. pag. 139. Doricus verò, Anaxandridæ filius, genere Heraclidarum ſatus, cum ſuorum Coloniâ in Siciliam veniens, ſuper Minoæ proſtratæ Urbis monumentis Civitatem condidit, cui à ſuo genere, ſuoque Rege Hercule Heracleæ nomen indidit, anno mundi 4780. ut in ſupputationibus teſtatur Euſebius. Ex Fazello citato pag. 140. Conſule Philippum Cluverium de Antiquâ Siciliâ lib. 1. cap. 17.

Is Theodectes fortaſſis eſt, quem Phaſelitem ex Lyciâ nuncupant. Et hic quidem, oratoriæ arti operam dedit, ſed maximè Tragœdiâ inclaruit. In dedicatione Mauſolei, quod Artemiſia Olympiade 103. conſtruxit, cum Naucrate Erytrhæo, Iſocrate Apolloniate, ac Theopompo Chio, certavit, atque victoriam aſſecutus eſt: tametſi alii Theopompum victorem aſſerant. Suidas. Diſcipulus fuit Platonis, Iſocratis, & Ariſtotelis, & Alexandri Magni condiſcipulus. Qui cùm in Lyciam contrà Perſas iturus veniſſet, Theodectis ſtatuam in foro poſitam coronavit, eique parentavit. Scripſit Tragedias quinquaginta, inter quas Mauſolus potiſſimùm placuit: item artem Rhetoricam carmine. Memoriâ ità excelluit, ut ſemel auditos multos verſus protinùs repeteret, teſte Fabio. Obiit Athenis annos natus 41. Filium habuit ejuſdem nominis, qui ſcripſit inter alia etiam artem dicendi. Suidas.

CCCXXV.

THEODORIDAS SYRACUSANUS

THeodoridas Syracuſanus, Poëta, ſcripſit *fabulam*, cui nomen, *Centauri*: aliam, cui nomen, *Seplaſiarius*. Seplaſia verò forum Capuæ fuit, in quo plurimi unguentarii erant. In ſtromatis Clementis Alexandrini legitur Euphorionem ſcripſiſſe contrà Theodoridam. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Græcis.

THEO-

CCCXXVI.

THEODORUS SYRACUSANUS.

THeodorus Syracuſanus Orator, qui præter alia *multa de re militari* compoſuit. Ex Conſtantino Laſcare.

CCCXXVII.

THEODOSIUS I. EPISCOPUS SYRACUSANUS.

THeodoſius, Epiſcopus Syracuſanus hujus nominis Tertius, anno reparatæ ſalutis circiter 700. ſcripſit *Troparia, quæ cazuntur in Veſperis Jejuniorum*. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſanæ pag.239.

CCCXXVIII.

THEODOSIUS II. SYRACUSANUS.

SOphronius, Syracuſanus Epiſcopus, Vrbe à Saracenis exciſâ, oneratus catenis, unà cum Theodoſio Monacho Syracuſano Panormum abductus, in tenebricoſum carcerem conjectus eſt. Exin ad Amiram Saracenorum adductus, cùm conſtantiſſimè Jeſum Chriſtum profiteretur, Mahumetem verò deteſtaretur, in cuſtodiam detruditur, ubi penè confectus ærumnis imminentem mortem eâdem conſtantiâ opperiebatur. Theodoſius autem, ærumnarum, ac periculorum ſocius, vir æquè pius, ac doctus; proſâ, verſuque, *ad Leonem Archidiaconum Syracuſanum Epiſtolam Græcam* ſcripſit è Cuſtodiâ Panormitanâ, in quâ *Hiſtoriam ab excidio Syracuſarum cœptam eò uſque deducit*. Item *carmina Anacreontica de eodem excidio ad S. Sophronium Epiſcopum, aliaque ejuſmodi Poemata*. Epiſtolam adducit Octavius Cajetanus in Appendice ad Vitas SS. Siculorum tom.2.pag.272. Anacreontica extare apud ſe affirmat in Animadverſione: quid dein Theodoſio Monacho, & Sophronio Epiſcopo, nimirùm poſt Panormitanam

tanam cuſtodiam, factum ſit; haud compertum ſe habere fatetur Cajetanus citatus in Ideâ SS. Siculorum pag. 21.

CCCXXIX.

THEOGNIS MEGARENSIS.

THeognis Megarenſis, Poëta moraliſſimus admonitivus, *plures Elegias* compoſuit, quarum extant nonnullæ, & *Admonitorium Poema*. Ex Conſtantino Laſcare.

Theognis Megarenſis, Poëta, & ſapientiſſimus, & ſententiarum copiâ gravis: vitæ namque præcepta Elegiis brevibus, acutis, & argutis complexus eſt. *Elegiam quoque de iis, qui in Syracuſarum expugnatione non cecidiſſent*, compoſuiſſe, & *ad Cyrum*, quem unicè colebat, *Poema, ut eruditiſſimum, ità prudentiſſimum*, ſcripſiſſe, Auctor eſt Suidas: eumque floruiſſe Olympiade quinquageſimâ nonâ. Ex Huberto Gotzio.

Conſule Laurentium Craſſum de Poëtis Græcis, ubi plura de Theognide.

CCCXXX.

THEOPHANES SYRACUSANUS, PATRIARCHA ANTIOCHENUS.

COEnobium Benedictinorum, S. Petri Bajas nuncupatum, olim apud Syracuſas ædificatum cenſet Pyrrhus, ubi nunc Templum S. Petri de Trimillio extat, florebat Gregorii Magni temporibus, & ſanctiſſimis inſtitutis, & humanarum, divinarumque ſcientiarum famâ. Inſtructus hiſce artibus Theophanes, patriâ Syracuſanus, Cœnobium illud Abbas moderatus eſt, póſt anno 678. Patriarcha Antiochenus, factus. Concilio VI. Conſtantinopolitano III. ſub Agathone Pontifice interfuit, atque in ejus Actis primus inter Abbates ſubſcribitur. Ex Tomo tertio Concilior. pag. 237. Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſ. pag. 138. 211. 295.

THEO-

CCCXXXI.

THEOPHANES CERAMEUS ARCHIEPISCOPUS THAVROMENITANUS.

THeophanes Cerameus, Archiepiſcopus Tauromenitanus, ſapientiſſimus, idemque eloquentiſſimus fuit. Scripſit *Homilias in Evangelia, & feſta totius anni Græcè,* quas latinitate donavit, notiſque illuſtravit, ex multorum m.ss. fide, cum exemplari Vaticano collatas, Franciſcus Scorſus, Panormitanus, Societatis Jeſu, ſacrorum voluminum interpres eximius, Latinæ, Græcæque linguæ gnariſſimus, *Lutetiæ Pariſiorum anno* 1644. *in fol.* Item *Homiliam de Sanctis Imaginibus*, in earum feſto die dictam, quam typis edidit Baronius, depromptam ex Hoplothecâ m.s. Franciſci Turriani Societatis Jeſu, atque ab eodem latinè redditam. Eandem Homiliam Græcè, & Latinè edidit prætereà Jacobus Gretſerus Societatis Jeſu tom.2. de Cruce. *Duas Orationes de Exaltatione Sanctæ Crucis* ejuſdē Theophanis. Cujus meminit Poſſevinus in Apparatu ſacro, & ſcripſiſſe ait Homilias, in Dominica, & alia feſta, quas Octavium Cajetanum collegiſſe ſcribit Rocchus Pyrrhus in Notitiâ Eccleſiæ Tauromenitanæ pag: 444 Floruit temporibus Baſilii, & Leonis Impp. anno circiter 842. & ſequentibus. Obiitque paulò antequàm Sicilia Imp. Conſtantino parere deſiit. Ejus laus eſt in eruditione præclarâ, ſolidâque Scripturarum explicatione. Ex Petro Pyartio in Auctario Bibliothecæ Concion. Petri Blanchot. in Elencho Auctorum. Vide plura apud Franciſcum Scorſum loc. cit.

CCCXXXII.

THEXIMONIDES HERBESSENSIS.

THeximonides Herbeſſenſis, Platonis ex ſorore nepos, Speuſippi auditor, Platonicæ ſectæ Philoſophus, avunculi ſectator egregius. Ex Philadelpho Mugnos in novò Laërtio pag. 115.

THO-

CCCXXXIII.

THOMAS AGNUS LEONTINUS, PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS.

THomas Agnus, Leontinus, Ordinis Prædicatorum, vir diſertiſſimus, magnæ doctrinæ, ſed maximæ probitatis. Neapolim à Gregorio X. Rom. Pont. ad excolenda fidelium ſata Evangelii prædicationè miſſus, ingentes fructus collegit. Gregorii Pontificis teſtimonio vir profundi pectoris, ad convertendos ad frugem Hæreticos alti conſilii, virtutum claritate conſpicuus, tùm experientiâ rerum probatus. Primus in Regno Neapolitano Inquiſitor Fidei conſtituitur. Sed, cùm Neapolitanum Cœnobium Prior adminiſtraret, Divum Thomam Aquinatem Ordini adſcripſit, futurum fidei oraculum, & Religionis gymnaſiarcham Angelicum. Neapolitanæ Provinciæ Præfectus in Epiſcopum Bethlemiticum à Romano Pontifice initiatus, ab eodem ſubindè in Syriam legatus, demùm anno 1268. 14. Kalendas Maii Conſentinus Archiepiſcopus renunciatur; Pòſt anno 1272. 2. Kalendas Maii Bartholomæo Pignatellio, Archiepiſcopo Meſſanenſi, è vivis ſublato, Canonicorum Meſſanenſium ſuffragio in demortui locum ſubſtituitur. Hanc autem electionem Gregorius X. qui Thomam ad majora deſignaverat, non approbavit, Thomâ in Hieroſolymitanum Patriarcham conſtituto. Deceſſit anno 1276. Ughellus, & Fontana. Sed juxtà Caſtillum 1. p. Chron. lib. 2. cap. 69. ſequenti anno. Mandato Patris Generalis Joannis Vercellenſis ſcripſit *Vitam S. Petri Martyris*. Caſtillus lib. 2. cap. 44. part. 1. Thomas Trugillus in Sanctuario Aprilis, Fontanam in Theatro, & alii. Piſis in Generalibus Ordinis Comitiis decretum fuit, ut Vita S. Petri Martyris, à Thomâ conſcripta, in ſingulis Cœnobiis aſſervaretur, atque identidem legeretur. Caſtillus 1. p. lib. 3. cap. 44. Præterea poſteritati reliquit *volumen Concionum de tempore, ac de Sanctis*. Ejus meminit Fernandez in Concert. Prædic. Marracius in Bibliothecâ Marianâ, Fontanâ in Theatro p. 1. cap. 3. tit. 4. & cap. 4. tit. 36. n. 1. Spondanus in Annalib. Eccleſiaſt. ad annum 1272. n. 2. Vatic. Regeſt. Gregor. X. Epiſtol. 6. Ughellus in Italiâ Sacrâ

tom-

tom. 9. Plodius par. 2. lib. 5. Malvenda Annal. ad annum 1231. cap. 7. Luſitanus in Bibliothecâ Dominic. pag. 241. Valle in Compend. part. 1. Villegas, Lucarinus, & omnes Scriptores Prædicatorum. Ex Antonio Altamurano in Bibliothecâ Prædicat. ad annum 1276. pag. 48.

Thomam Agnum Leontinum Archiepiſcopum Meſſanenſem electum antè Bartholomæum Pignatellium poſt Joannem Columnam tradit Rocchus Pyrrhus in Notitiâ Eccleſiæ Meſſanenſis pag. 335. Bartholomæo Pignatellio Reginaldum Agnum Leontinum, Thomæ germanum fratrem, ejuſdem Ordinis Prædicatorum, ſuffectum à Clemente IV. per Rodulphum Epiſcopum Albanenſem, Apoſtolicæ Sedis in Italiâ Legatum, atque in Siciliæ Regno Eccleſiaſticarum rerum adminiſtrum, ad annum 1268. pag. 336. Ferè in idem conſentiunt Scriptores Meſſanenſes: addunt præterea Thomam patriâ Meſſanenſem fuiſſe nobiliſſimâ familiâ Agni-Leontino; quæ in cauſa fuit, ut ortu Leontinus ab imperitis crederetur. Ità Placidus Samperius Societatis Jeſu in Iconolog. Virgin. Meſſan. pag. 97. Joſephus de Ambroſio in Relat. Solemnitatis Epiſtol. Marian. pag. 316. Beati prænomen apponit Stephanus Maurus in Sicil. Protometropol. pag. 254. ubi de Archiepiſcopis Meſſan. tractat ex Paulo Minervâ in Relat. virorum ſanctitate illuſtrium Prædicator. pag. 18.

CCCXXXIV.

THOMAS CHIAULA CLAROMONTANUS.

CLarus Mons, Oppidum in prænuptis collibus à Manfredo Claromontio conditum, Gulfis olim dicebatur, cujus etiam vetuſtæ Urbis veſtigia, ædeſque ſacræ dirutæ hodiè viſuntur; Motycenſis Comitatus ditioni parens, Thomam Chiaula edidit. Is tempore Martini Regis Poëta Laureatus, *Tragœdiarum opus, ac bellum Macedonicum verſû Heroico libris XXV.* feliciter abſolvit. Id m. s. Fazellus aſſervabat. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 259.

CCCXXXV.

THOMAS DE HERBES CATANENSIS EPISCOPUS SYRACUSANUS.

THomas de Herbes Catanenſis, nobilibus parentibus ortus, Florâ, & Petrolo de Herbes, ſive Herbeo, Juris Pontificii conſultiſſimus, Monachus Benedictinus Cœnobii S. Agathæ Catanenſis, Bonifacii IX. Referendarius, deindè Syracuſanus Epiſcopus 4. Martii anno 1388. ex Pontificiis literis declaratur. Anno 1392. menſe Junio, cùm Diœceſim luſtraret, Terranovæ à piratis captus, in Africam abducitur, unde ingenti auri ſummâ exſolutâ Syracuſas remeavit. Poſt multas præclarè res geſtas Catanæ mortalibus valedixit 14. Martii 1419. Ex Roccho Pyrrho in Notit. Eccleſiæ Syracuſanæ pag. 172. ad pag. 176. & in Notitiâ Eccleſiæ Catan. pag. 93.

CCCXXXVI.

THOMAS MONCATA CATANENSIS, COMES ADERNIONENSIS.

THomas Moncata Catanenſis, Comes Adernionenſis, præclariſſimo generi, jam indè à Bavariæ Ducibus deducto, omnigenam literaturam adjunxit. Floruit ſeculo ſuperiori. Edidit *librum elegantiſſimarum Epiſtolarum*. Ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Catanenſis pag. 95.

CCCXXXVII.

THOMAS SAXUS MESSANENSIS.

THomas Saxus Meſſanenſis, quo tempore Italica Poëſis vagiebat in cunis, cecinit, & ſcripſit *Carmina Italica*, jucunda quidem, & lacteæ venæ. Ex Leone Allatio de Poëtis Italis Antiquioribus.

THO-

CCCXXXVIII.

THOMAS SCHIFALDUS LILYBOETANUS.

THomas Schifaldus Lilybœtanus, Ordinis Prædicatorum, Orator,& Theologus eximius, Generalis Inquiſitor in Regno Siciliæ ob virtutum, & literarum merita factus. Scripſit *de Viris Illuſtribus Dominicanis,& Vitâ Beati Petri Hieremiæ*,quę circumfertur Auctore Anonymo,ſed Synchrono,quęque ab Octavio Cajetano edita eſt tom.2. Vitarum Sanctorum Siculorum pag.254. Ex Jo. Baptiſtâ de Franchis in Vitâ B. Petri Hieremiæ.

CCCXXXIX.

THRASIMACHUS PANORMITANUS.

THraſimachus Panormitanus, Orator eloquentiſſimus, Gorgiæ auditor. Ex Philadelpho Mugnos in novo Laërtio.

Hunc Sophiſtam Carthaginienſem appellat Suidas, *periodum, & colon, ideſt, membrum Orationis* priùs monſtraſſe, tùm *modum,qui nunc eſt Rhetorices*,induxiſſe, idem tradit.Fuit diſcipulus Iſocratis. Ex eodem Suidâ.

CCCXL.

THYRSIS ÆTNÆUS.

THyrſis Ætnæus paſtor, & Daphnis Heræus paſtor, uterque paſtor, & Poëta, *Bucolicum Hexametrum* reperiſſe dicitur. Ex Plotio de Hexametro Bucolico.

Theocritus illius nomine primum Idyllion, Thyrſis, nuncupavit, in quo Thyrſis Daphnidis obitum deflet, quod & Maro imitatus eſt Eclogâ V. ex Antonio Mancinello in Eclogam V. Virgilii. Conſule Joannem Vigintimillium de Poëtis Siculis Bucolicis pag.60. 162. 164.

CCCXLI.

TIMAGORAS GELENSIS.

TImagoras Gelenſis, Philoſophus, ac Theophraſti diſcipulus, deindè Stilponis. Ex Conſtantino Laſcare.

CCCXLII.

TIMÆOPHON LEONTINUS.

TImæophon Leontinus, Philoſophus, & Hiſtoricus celeberrimus, Arconidis, & Timææ filius, Timæi Tauromenitani ex ſorore nepos, poſt navatam Philoſophiæ operam in patrio gymnaſio Romam contendit, ut Ciceronem Romanæ eloquentiæ principem audiret. Sed cum L. Metello Romano Prætore in Siciliam redit, Prætoris gratiâ multùm commendatus. Subindè ad Hiſtoriam conſcribendam animum appulit, ut Hermodorus in Variâ Hiſtoriâ tradit. Scripſit *Hiſtoriam duorum Pyrrhorum, alterius, qui Achillis Trojani filius, alterius, qui Rex Epirotarum fuit, atque in Italiam contra Romanos bellum geſſit*. Scripſit etiam *Vitas Tyrannorum Siciliæ, & patriæ Urbis Leontini*, ſecundùm Theophilum in ſuâ Siciliâ. Plures Philoſophos tùm in Philoſophiâ, tùm in arte Oratoriâ, è Siculis Civitatibus properantes, habuit, inter quos, Diodorum Agyrenſem. Sed hunc apud Cæſarem accuſavit, quòd ejus ſcripta ſibi per fraudem arrogaſſet. Exorta hinc ſimultas Timęophontem præceptorem Conſtantinopolim abire perſuaſit, Diodorum Diſcipulum Romam, ubi magnum porrò in Scriptorem evaſit. Cæterùm anno ætatis 86. paucos annos antè Chriſti Servatoris in terras adventum diſceſſit. Ex Philadelpho Mugnos in Raptu Proſerpinæ pag. 6. n. 9. in Novo Laertio pag. 102. & 103.

TIMO-

CCCXLIII.

TIMONACTES LEONTINUS.

Timonactes Leontinus, Herodici auditor, deindè Hippocratis, Medicus clariſſimus, primus omnium virtutes lapidum Siculos docuit. Abſtinentiam pro valetudine tuendâ commendabat, atque ad res adverſas ferendas ſubſtinentiam, illis verbis univerſam vitæ dirigendæ ad beatum finem rationem complectens: abſtine, & ſubſtine. Scripſit de morbo articulari. Vixit annos 98. ad annum mundi 3506. Ex Philadelpho Mugnos in Triumpho Leontino, in Raptu Proſerpinæ pag. 8. & in ſuo Novo Laërtio pag. 50. Philadelpho Mauro in Hiſtoriâ Sanctorum Fratrum pag. 71.

CCCXLIV.

TIMOTHEUS TAUROMENITANUS.

Timotheus Tauromenitanus, Orator ſatis mordax, quem Athenienſes Epithimeum, hoc eſt, Increpatorem vocabant. *Is libros 8. de Siciliæ, & Italiæ geſtis* compoſuit. Item *de argumentis, aliiſque neceſſariis artis Oratoriæ*. Item *de omnium Hiſtoricorum erroribus*, quos amariſſimè carpit. Ex Conſtantino Laſcare.

Hunc Timæum omnes appellant. Fuit autem Timæus Tauromenitanus, Andromachi, Naxiorum Chalcidenſium Principis, in antiquis Siciliæ monumentis, præſertim ob bella contrà Dionyſium geſta, & Tauromenitanam Urbem à fundamentis excitatam poſt Naxienſem cladem, clariſſimi, filius, Epithimei agnomen promeruit ob id, quòd laceſſendo, inſultandoque, non Platoni, non Ariſtoteli, non Thucydidi, neque alteri cuiquam vel Hiſtorico, vel Philoſopho parceret, ut Plutarchus in Niciâ refert. Ipſe verò, inquit Plutarchus ibidem, Siculâ quadam pinguedine delibutus, ad ridenda, minimèque ad Hiſtoriæ gravitatem pertinentia, digreditur. In quam ſententiam Diodorus videtur conſenſiſſe, dum illum nimium operæ in aliis redarguendis

guendis impendiſſe, contrà Ephorum præſertim, nimis res etiam minimas perſecutum, ſcribat. Verùm de Timæo Tauromenitano Cicero in libro de Oratore in hunc modum loquitur. Poſt Calliſthenem Timęus longè eruditiſſimus, & rerum copiâ, & ſententiarum varietate abundantiſſimus, & ipsâ compoſitione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad ſcribendum attulit, ſed nullum uſum forenſem. Idem 2. de nat. Deor. ſcribit: concinnè, ut multa Timæus, quùm in Hiſtoriâ dixiſſet, quâ nocte natus Alexander eſſet, eâdem Dianæ Epheſinæ templum deflagraſſe, adjunxit: minimè id eſſe mirandum, quòd Diana, quùm in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, abfuiſſet domo: Hic teſte Suidâ *Rhetoricæ facultatis argumenta, quamplurimùm neceſſaria,* literis commendavit. Scripſit *libros XX. de Rebus in Sicilia, & Italia geſtis*: quod opus Fazelli ætate, ut ipſe de Rebus Siculis Decad. 1. lib. 2. pag. 55. dicit, Græcum tantummodò habebatur. Scripſit & *Bellum Thebanum*, ut in Epiſtolâ quadam ad Luceium teſtatur Cicero, vixitque annos 96. Scripſit autem Athenis, quo exulaverat, ut Plutarchus de Exilio tradit, illum inter præclariſſimos viros reponens, qui procul à patriis laribus opera ſua poſteritati mandarunt. Nam, inquit, Thucydides Athenienſis Bellum Peloponneſiorum, & Athenienſium conſcripſit in Thraciâ apud Scapten Hylen, Xenophon in Scillunte Elidis, Philippus in Epiro, Timæus, Tauromenii in Siciliâ natus, Athenis, Androtion Athenienſis Megaræ, Bacchylides Poëta Ceus in Peloponneſo. Hi omnes, iiſque adhuc plures, patriâ ſuâ amiſsâ non deſponderunt animos, neque ſeſe projecerunt: ſed bonitate ſuorum ingeniorum uſi, tanquam commeatum fortunâ exilium ſuppeditante, apud omnes etiam poſt mortem famâ celebrantur. Sed Plutarchus præter ſuperiùs dicta plura de Timæo effundit, quæ & Timæi dignitatem dedecent, & ipſius Plutarchi gravitati deeſſe videntur. In Vitis Parallelis tom. 2. de Niciâ. Conſule Joannem Gerardum Voſſium de Hiſtoricis Græcis.

UBER-

CCCXLV.

UBERTINUS DE MARINIS ARCHIEPISCOPUS PANORMITANUS.

UBertinus de Marinis Panormitanus, genere illuſtris,ſed virtutis,& ſcientiæ laude nobilior,Regni Vice-Cancellarius, Regiſque Conſiliarius, Blanchæ Reginæ poſtulatis in Panormitanum Archiepiſcopum Canonicorum ſuffragiis electus, à Rom. Pont. Joanne XXIII. initiatus, ſolemni Pontificum ritu Panormum ingreſſus eſt 25. Octobris anno 1414. Creditâ Vicariâ poteſtate Blaſio Comiti, & Franciſco Urſino, Canonicis, ipſe cum Pactarum Epiſcopo Philippo Ferrarâ,& Joanne Moncatâ Barone,Siculorum Optimatum nomine ad Ferdinandum Regem Orator mittitur, de ſubſtituendo in demortui Martini Regis locum ſucceſſore. Deindè ab Rege ad Concilium Conſtantienſe Orator acceſſit.Joanne Vigintimillio Siciliæ Prorege, totius Regni Cancellarii munus adminiſtravit. Quibus functus egregiis factis extremum diem obivit anno 1434. Ejus ſepulcro in principe templo Panormitano hæc inſcriptio viſitur.

Requies Ubertini de Marinis,
Præſulis Panormitæ.

Scripſit *volumen*, quod m. s. citat Rocchus Pyrrhus in Indice Auctorum, quibus in digerendis Siciliæ Sacræ Annalibus uſus eſt. Ex Roccho Pyrrho in Indice Auctorum citato,in Chronologiâ Regum Siciliæ ad annum 1414.& in Notitiâ Eccleſiæ Panormitanæ pag.262. & 163.

CCCXLVI.

VERALDUS DE ROCCHO CATANENSIS.

VEraldus de Roccho Catanenſis, in linguâ vernaculâ Poëta ſingularis, à Matthæo Silvagio commendatur in Colloquio trium peregrinorum pag.152.

XAN-

CCCXLVII.

X A N T H U S.

XAnthus *Lyricorum verſuum* modulator, antiquior Steſichoro, quod ipſemet Steſichorus non inficiatur,ut Auctor eſt Megacleides. Multa quidem ex Xanti carminibus Steſichorus eſt mutuatus. Ex Athenæo.

Alium fuiſſe Xanthum Rerum Lydiorum Scriptorem plures opinantur: Sed de Xanthi Poëtæ patriâ nihil ferunt. Siculum fuiſſe non abs re quis putat ob Steſichori neceſſitudinem, cùm & legatum Steſichori Himeræi ſcribat Carolus Stephanus in Diction. Hiſtor. Poët. Geograph. ſecutus Volaterranum.

CCCXLVIII.

XENARCHUS SYRACUSANUS.

XEnarchus Syracuſanus, Sophronis filius, Poëta Comicus, & Mimographus, *plures* edidit *fabulas*, quarum *octo* recenſentur à Suidâ. Ex ipſius fabulis ſunt iſtæ: *Bucolion*, ut ait Athenæus lib.2. Dipnoſoph. *& Purpura, & Scythæ*, ut idem tradit, *& Didimi, ideſt, Gemini, & Pentathli, ideſt, quinquerciones, & Triapus, Somnus, Miles*. Scripſit prætereà *Mimos* ex Ariſtotele in Poëticâ. Ex Laurentio Craſſo de Poëtis Grecis.

CCCXLIX.

XENOCRATES AGRIGENTINUS.

XEnocrates Agrigentinus, Theronis germanus frater, cui Pindarus duas odas dicavit Pythiade 24. curru aurigandi arte victor evaſit Fazello teſte pag. 137. ex Roccho Pyrrho in Notitiâ Eccleſiæ Agrigentinæ pag.332.

XENO-

CCCL.

XENOPHANES.

COlophonem imponat Elogiis Veterum Siculorum, qui literis claruerunt, Xenophanes, patriâ Colophonius, domo Siculus, & ipſe vetuſtiſſimus, Poëticâ laureâ, & Philoſophico pallio inſignis in omni Græciâ, in quâ natus eſt, atque apud Siculos noſtros, apud quos in fata conceſſit.

Xenophanes Colophonius, Dexii, ſive, ut Apollodorus ait, Orthomenis filius, Botonis Athenienſis, aut Archelai ſecundùm alios, auditor fuit. Sunt, qui eum neminem audiviſſe dicant. Magnus Philoſophus, & Poëta effectus eſt, & ſtudio pertinaci, & ingenio ſatis erecto. Ex Diogene Laërtio de Vitis Philoſophorum in Xenocrate lib.9.

Quatuor eſſe rerum elementa dixit, mundos ſine fine, immutabiles, nubes concreſcere attractis vi ſolis ſurſum humoribus, & in ambiente locum capientibus. Dei ſubſtantiam eſſe ſphœricam, nihil homini ſimile habentem, & totum, quicquid ubique eſt, videre, atque audire, nec tamen ſpiritum ducere: ſimulque omnia eſſe, mentem, prudentiam, ac æternitatem. Primus affirmavit, quicquid gignitur, interitui eſſe obnoxium, & animam eſſe ſpiritum: dixit & pleraque inferiora eſſe mente, deterioraque. Cum Tyrannis, vel omninò ſermonem non eſſe habendum, vel quàm ſuaviſſimè. Empedocli dicenti, ſapientem haud temerè reperiri; reſpondit: rectè tu quidem, quippè ſapiens ſit, neceſſe eſt, qui ſapientis cognitionem habebit. Primus etiam dixit cuncta eſſe incompræhenſibilia. Ex Heſychio Mileſio.

Scripſit autem *Verſus, Elegias, & Jambos contra Heſiodum, atque Homerum,* ſubſannans ea, quæ de Diis dixere. Hinc laudatus à Timone dicitur, Homeri nobile flagrum. Ex Laertio.

Scripſit præterea *contrà Thaletem, contrà Pythagoram, ſed contrà Epimenidem duriùs. Item de rebus Colophoniorum, de Colonia Italica, & Sillos verſus, Poema mordax*. Ex Strabone.

Linguæ adeò amarulentæ, ſtylique adeò aculeati crimine actus in exilium, è patriâ in Siciliam, alteram Græciæ ſororem,

ſapientum aſylum,& altricē,venit.Diù moratus eſt Meſſanæ,atque in clariſſimâ Urbe Catanâ. Plures habuit filios,quos omnes ipſe ſuperſtes compoſuit. Floruit Olympiade ſexageſimâ juxtà Laërtium, quinquageſimâ ſextâ juxtà Euſebium, quinquageſimâ ſecundùm alios apud Voſſium.

In hac temporum varietate audi Caſaubonum in Annotationibus in Athenæum.Sunt è veteribus, qui claruiſſe Xenophanem tradant Olympiade quinquageſimâ.In his,ſi bene memini, Euſebius, meliùs Diogenes Laërtius, florebat Olympiade ſexageſimâ: quin hic quoque numerus juſto fortaſsè minor eſt.Fuit enim Xenophanes natu minor Pythagorâ, quem floruiſſe ſcribunt Olympiade Sexageſimâ; Marathonicha pugna, quâ Darii copiæ ab Athenienſibus devictæ, pugnata eſt anno ſecundo Olympiadis LXXII. Xerſis tranſitus in Græciam incidit in annum ſecundùm Olympiadis LXXI. Interceſſiſſe annos aliquot, putat XV. aut XX. ab eâ pugnâ, de quâ loquitur Poëta, ad id tempus, quo hæc ipſi componebantur, eſt viriſimile. Sedeat nunc ad calculum lector diligens, & temporum rationem ineat. Reperiet florem ætatis ſuæ non obtinuiſſe Xenophanem circà Olympiadem Sexageſimam.Etſi ſcio longęvum hunc virum fuiſſe, & ultrà XCII. annum vitam extendiſſe.

Plenus itaquè dierum obiit Catanæ, ibi nactus ſepulcrum, ubi non modò Sapientes innumeri, ſed & Reges, & Reginæ ſepulcrum habuerunt, & cunas. Teſtibus Appollodoro, & Fazello apud Joannem Baptiſtam de Groſſis in Dechacordo Catan. Cordâ 9. pag. 150.

Quotquot Siculorum, qui à mundi exordio ad exceſſum uſque Ferdinandi, cognomento Catholici, Hiſpaniarum, atque Siciliæ Regis, ſcientiarum laude floruerunt, ex probatis Auctoribus decerpta, expoſuimus Elogia: quæ omiſimus, appone ſuis locis, hinc nos tibi gratiam habituri, & Siculi, quos appones.

Poſt luſtratam Veterum Siculorum Bibliothecam, antequàm Recentis Bibliothecæ fores reſerantur, ut ſubeuntium oculis pateant animi lineamenta Siculorum, qui noſtrâ, vel noſtrorum memoriâ egregiis literarum monumentis claruerunt; Motycenſes Choreas agimus: ut in confinio ætatis antiquæ,

tùm

tùm novæ ſpectantia hinc, atque hinc ſecula erud itis patriç Civitatis ſpectaculis quodammodò recreentur.

De Choreis Motycenſibus.

Poſtremis his paginis Choreas Motycenſes ducendas, ſeu potiùs dicendas, duxi: decet enimverò ad patriæ amorem conteſtandum ſermonem inſtituere de Choreis, quas Motycenſis Reſpublica Magno Rogerio Nortmanno cecinit: cùm & id me à ſcribendo feſſum ſuaviter excipiat, & legentium faſtidium, ſi quod ex peractâ narratione irrepſerit, jucunda rerum facies abſtergat. Nec vereor præterito labori moleſtiam hanc adiicere, quæ parta ex rudi dictione occurret; cum illam ſingularis, quam adversùs me vel immerentem noſtrates, externique homines profitentur, benevolentia ſublevabit.

Magnus Rogerius Nortmannus poſt exactos Saracenos è Siciliâ, purgato jam Motycenſi ſolo Saracenicâ lue, cęlo milite cùm ipſa Cęlorum Imperatrix, Georgius Martyr, Cęlites alii, ſtipendia quodammodò meruerint apud invictiſſimum Ducem; triumphalem in morem, effuſis gratulationibus, geſtientibus præ gaudio Civibus, Motycam ingreditur. Ferebant ſe obviç tripudiantium catervæ, cuncta cantu, & crotalis perſonabant: liceat in eam pompam explicandam Latini Pacati verba leniter, ac modeſtè deducere. Hic Rogerio triumphum chorus, ille contrà Tyrannos funebres nænias, & carmen exequiale dicebat. Hic perpetuum victis abitum, ille victoribus crebrum optabat adventum. Jam, quòcumque intuliſſet gradum, ſequi, circumcurſare, præcedere, vias deniquè, quibus ferebatur, obſtruere turmatim populi. Quid referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ Nobilitatis occurſum? Conſpicuos veſte niveâ Senatores? reverendos municipali purpurâ Flamines? Inſignes apicibus Sacerdotes? Quid portas virentibus ſertis coronatas? Quid aulæis radiantes plateas, accenſiſquæ funalibus auctum diem? Quid gratulantes annis ſenes, pueros ſaltantes, matres lætas, virginesquè ſecuras? Quid referam Motycam univerſam immortalem voventem Rogerio ſervitutem?

Augebat triumphi ſplendorem Humbertus Abbas, qui aderat

rat tunc Motycenſis Eccleſiæ Inſpector. Inter Choreas, quas Motycenſes celebrarunt, modulamen quoddam in Rogerii Victoris laudem cecinêre, quod Humberto ſummoperè placuit. Quanquam enim barbariem neſcio quam ſapiat, nondum excuſſo literarum ſitu, accerſitâque latinitatis munditie; amabilem venuſtatem præſefert, atque Muſas ſub immani Saracenorum feritate in Urbe Motycenſi minimè interiiſſe, ſed vel exulaſſe, vel delituiſſe, incubante malorum procellâ, demonſtrat, eaſque prodiviſſe feſtivas in publicum conſpectum Numine aſpirante.

Titulum habet modulamen illud: *Jubilatus Chorearum, factus in tranſitu Felicis Comitis Rogerii, & Venerabili Imberto Abbati ſatis placitus, & præſentatus ſibi in hac Viſitatione Eccleſiæ Mohac, ubi cum magnitate fecit Pontificale.*

Tantę rei monumentum extabat in membranis priſcis characteribus exaratum in pervetuſto codice, quem Thomas Scarſus, Principis Eccleſiæ Motycenſis Divi Georgii Cantor, aſſervabat, feruntque inſcriptum: *Chronica beneficiorum Motucæ apud ſanctam Majorem Domum.* Res ibi perantiquæ, dignæ poſteris, notabantur: ſed è vivis diſcedente Cantore, inter domeſtica bona conſanguineorum direptioni patuit, periitque, nec ullâ poſthac diligentiâ inventus.

Verùm Placidus Carafa V. J. D. Patritius Moticenſis, quædam typis conſignavit Panormi anno 1655. non interiturâ ſorte, inſcripto libello: *Inſitium Hiſtoricum ad Annalia Siciliæ.* Cùm autem in Jubilatu Chorearum non obſcura mentio Epiſtolæ B. M. V. ad Meſſanenſes, per manus majorum tradita, intercurrat; in Meſſanenſes faſtos Motycenſem Jubilatum Meſſanenſes retulerunt. Præ cæteris Placidus Reina Meſſanenſis, Artium, & Medicinæ Doctor, Comes Palatinus, de patriis rebus benemerentiſſimus, fidè publicâ exſcriptum Jubilatum refert *in Notitiis Hiſtoricis Urbis Meſſanæ tom. 2. pag. 27. & 28.* ut Epiſtolæ Virgineæ veterem traditionem veteri monumento ſtabiliret: quanquàm alia multa non deeſſent, nec argumenta deſiderantur, in id Mariani amoris, ac tutelæ pignus à religioſis quorundam machinamentis aſſerendum. Literas fide publicâ obſignatas anno 1664. Aprilis 26. jurejurando firmavêre Placidus Carafa

ſuprà

ſuprà dictus, Franciſcus Caraſa, qui Principis Eccleſię Motycenſis D. Georgii Prępoſitus, & Abbas Benedictus, qui Sanctimonię famâ vitâ functus eſt menſe Januario anno 1688. Antonius de Pomis Canonicus, Franciſcus Jaconocto-Cannella Curio, Joſephus Thomaſius Curio ejuſdem ædis Maximæ Georgianæ, nec non teſtis interfuit Angelus Auguſta-Feriſius, Michaël Morada-Fraſca, & Balthaſar Raguſa, Parens meus, dum Fiſci partes ageret in Motycenſi Comitatu pro Magno Caſtellæ Architalaſſo, Motycæ Comite, cujus memoriam utinam mihi ab interitu vindicare liceret, ut lucis uſuram, quam à Parente accepi, uſurâ quodammodò redderem, ac fœnore compenſarem! Placidus Alecius, Apoſtolicus Tabellio, publicum inſtrumentum confecit, quem virum annos multos in aulâ noſtrorum Gubernatorum verſatum, experientiâ rerum actarum idoneum adminiſtrum, inter tot, ac tanta miſerorum Civium funera ſuperſtitem, vigentemque, proximâ tempeſtate veterum amicum amplexus ſum.

Exiſtimant quidam Humbertum Abbatem, Motycenſis Eccleſiæ Inſpectorem, illum fuiſſe, quem Monachum Tullenſem ex Sigiberto Gemblacenſi, pòſt anno 1051. Sublacenſis Cœnobii Abbatem ex ejuſdem Cœnobii Chronico Cæſar Baronius vocat. Romam è Lotharingiâ, non è Burgundiâ, evocatum à S. Leone IX. Rom. Pont. anteà Epiſcopo Tullenſi, atquè indè ablegatum in Siciliam, ut frigeſcentem pietatem cæleſti prædicatione inflammaret, & Siculorum reliquias, quæ Saracenico furori ſupereſſent, ſpe fortunæ melioris erigeret; Lanfrancus tradit in Commentario, quod adversùs Berengarium ſcripſit. Intereà Sicilienſem Archiepiſcopum creatum, deìn Epiſcopum Silvæ Candidæ, demùm Purpuratis Patribus adſcriptum, miſſumque ad Conſtantinopolitanum Imperatorem cum Legationis munere pro ſanciendâ Græcos inter, ac Latinos concordiâ, Rocchus Pyrrhus refert *in Notitia Eccleſiæ Panormitanæ pag. 86. ad annum* 1054. quo S. Leonem Rom. Pont. ad ſuperos demigraſſe Hiſtoria Pontificia teſtatur. Verùm ſubductis temporum calculis Humbertum hunc præceſſiſſe adventum Nortmannorum in Siciliam reperiemus. Nam expeditioni Siculæ initia ſatis proſpera dederunt Normannici ſanguinis Heroës annò inſtau-

rati

rati orbis 1059. Nicolao II. Rom. Pont. magnis verò cœptis quamvis animoſiùs inſtitiſſent, nec ſegniùs avxiliares copias benignum Numen immiſiſſet; attamen Roberti Viſcardi, & Rogerii Boſſi, Normannorum fratrum operâ Chriſtiano nomini reſtituta Sicilia dici cœpit anno 1072. poſt recuperatam Panormum, in quam hoſtes, tanquam in ampliſſimam Inſulæ Regiam, ſeſe receperant, & jam diù, tanquàm in Saracenici Dominatus arce firmiſſimâ, ſeſe continuerant. Poſt hæc admiranda facinora Motycenſem triumphum accidiſſe conſtat ex ipſo Jubilatu, incurriſſeque in tempora Alexandri II. Rom. Pont. poſt trium Pontificum, nimirum. Victoris II. Stephani X. & Nicolai II. à Leone IX. intercapedinem affirmat Placidus Reina *in Notitiis Hiſtoricis Urbis Meſſanæ pag.* 29. Cùm hæc ità ſint, alius fuit Humbertus Abbas, Motycenſis Eccleſiæ Inſpector, qui Motycenſibus Choreis interſuit, ab Humberto Monacho Tullenſi, & Sublacenſi Abbate, quem inter illuſtres Doctores, de Chriſtianâ religione merentiſſimum, Sigibertus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & Lanfrancus *in Commentario adversùs Berengarium* recenſent.

De Principe Templo Motycenſi, barbarè Matricem indigitant, jam indè à Magno Rogerio Normanno Divo Georgio ſacro, à Claromontanis Comitibus aucto, ſed Henriquio-Capreris dominantibus, confluentibus Civium ſtudiis in auguſtam ſanè baſilicam exſtructo, everſoque anno proximo 1693. Januarii XI. ingenti terræ motu, quid in hunc locum afferam, quod admirandæ ſtructuræ recordatione ſtuporem pariter, ac lacrymas, recrudeſcente illatæ cladis memoriâ non excutiat? Joannes Antonius Renda-Raguſa, Theologus Canonicus Georgianus ſacrorum tectorum ruinâ divino beneficio elapſus, cùm veſpertinas cantiones perſolveret, muris pontici ornatu, in quo caſus eum perculit, reliquum illius funeſtiſſimæ diei, totamque fermè noctem tranſegit, inter cęli, terræque minas, fluctuante adhuc ſolo, nimbos, ac tonitrua impendēte aëre, quà excipiendis permixtæ multitudinis confeſſionibus, quà effodiendis laceris corporibus circumcurſando undiquè, undiquè opportunam opem afferendo. Sed pacato tantarum calamitatum turbine cuncta reflorefcere cùm incipiant, & aſpectus venuſtior tùm rebus,

bus, tùm privatis ædibus redeat; Georgiano Templo inſtaurando impigrè Joannes Antonius incumbit, animo interim vaſtis curis non fatigato, quin ſacris miniſteriis obeundis ipſe par ſit. Miſerando illo naufragio Antonia, unica proles Placidi Calvarii, Baronis Nemoris, ex Januenſium Nobilium proſapiâ, unà cum viro ſuo Excellentiſſimo Carolo Grimaldo Principe, Januenſium Grimaldorum germine, ſublata eſt: ex quo Calvariæ domus opes,& frugifera latifundia jam ab ultimis tabulis Georgiano Templo à Placido Calvario legata, poſtquàm ſoboles extingueretur, obveniunt, quæ Joannis Antonii laborem, & induſtriam ſuſtentabunt. In hoc ſtudia veſtra intendite, Motycenſes, in hoc divitiarum cumulos impendite, ut ſplendida ædes Divis Tutelaribus aſſurgat, & erogatis identidem cimeliis præniteat, opulentiùs tamen affectu ſacrificante. Non quærenda per lites, civileſque diſſentiones Religionis gloria: cuncta enim ſacra, profanaque, agitantibus factionibus divulſa, labaſcunt, & intereunt.

Motyca, Patria mea, ex tribus florentiſſimis Urbibus ejuſdem nominis in Siciliâ una ſupereſt. Nam Motyca, Segeſtanorum olim, ac Panormitanorum finibus contermina, belli, paciſque ſtudiis celebris, altera in Agrigentino agro Agrigentinorum perfugium tutiſſimum; vix ulla dignitatis antiquæ veſtigia demonſtrant. Tàm altus glebæ tumulus, & luxuriantia ſtirpium ſepimenta potentiſſimorum populorum artem occulunt, & eludunt. Noſtra hodie Mediterranea, Pachyno Promontorio adiacens, ea ipſa eſt ex Noſtratium ſententiâ, quam ad Pachynum condidit Hercules ille Tyrannorum domitor, cui adhuc vivo divinos honores ob maxima in genus humanum promerita tota vetuſtas detulit, ut Motycæ, mulieri nobiliſſimæ, gratificaretur, quæ amiſſa boum armenta, & furum latibula quærenti detegit. Hanc poſteà Libyci, & Fœnices incoluerunt, Appollinis Libyſtini templo tunc claram. Poſt deletos Saracenos Regulo è Moſchiâ familiâ paruit, temporũ progreſſu Comites è Claromontanorum illuſtriſſimâ ſtirpe habuit, his Capreræ, quibus demùm, Henriquez, Caſtellæ Legioniſque Regibus oriundi, ſucceſſere, paterno materni ſanguinis cognomento annexo: undè Motycæ Comites Henriquez de Caprera nuncu-

nuncupari occœperunt. Noſtrorum Comitum Regalis Genealogia, & penè Regalis Dignitas, Motycenſis Comitatus amplitudo, & Motycæ Urbis majeſtas, ex inflicto ingenti vulnere nuperis terræ tremoribus jam jam convaleſcens, Commentarium ſibi poſtulant operoſius, quàm ad calcem Juvenilis Opellæ tenui filamento conſuatur. Horum quædam ſcribit Placidus Carafa, Patritius Motycenſis, *in Motyca Illuſtrata*, quædam Auguſtinus Invegius *in Hiſtoria Carthaginis Siculæ*, quædam alia Joſephus Spuccius Societatis Jeſu *in deſcriptione publicæ gratulationis, qua S. P. Q. Panormitanus Joannem Alphonſum Henriquez de Caprera, Magnum Caſtellæ Architalaſſum, Motycæ Comitem, &c. Siciliæ Proregem, excepit anno M DC XXXXI.*

INDEX
ONOMASTICUS.

A

Acheus Syracuſanus. pag. 9
Acron Agrigentinus. ibid.
Æſchylus Gelous. 10
Agatho Agrigentinus. 11
Agatho Leontinus, ibid.
S. *Agatho Panormitanus* P. O. M. ibid.
Agathocles Saccenſis, Rex Syracuſarum. 14
Alanus. 16
S. *Albertus Carmelitanus*. 17
Alcadinus. 18
Alcimenes Megarenſis. ibid.
Alcinus. 19
Alcman Meſſanenſis. ibid.
Alvarus Paternio Catanenſis. 20
Anchitus. 21
Andreas Panormitanus. ibid.
Andreas Barbatius Meſſanenſis. ib.
Andronus Catanenſis. 24
B. *Angelus Seniſius Catanenſis*. ib.
Anonymus I. 26
Anonymus II. ibid.
Anonymus III. Syracuſanus. 27
Anonymus IV. Catanenſis. 28
Anonymus V. Catanenſis. 30
Antiochus Syracuſanus. ibid.
Antonius Platamonius Catanenſis ibid.
Antonius Bononia Panormitanus. 31
Antonius Caſſarinus Netinus. 32
Antonius Corſettus Netinus Epiſcop. Melitenſis. 33
Antonius Mangian Meſſanenſis. 35
Antonius Piſcis Catanenſis. ibid.
Antonius Sanfilippus Platienſis. 36
Antonius Vinutus Netinus. ibid.
Appollodorus Gelenſis. 37
Apulejus Celſus Cēturipinus. ibid.
Archeſtratus Syracuſanus. 38
Archetymus Syracuſanus. 39
Archimedes Syracuſanus. ibid.
Archivus Agrigentinus. 43
Ariſtocles Meſſanenſis. ibid.
Ariſtolochus. 44
Ariſtoteles. ibid.
Ariſtoxenus Selinuntinus. 45
Arrius Chlorion Catanenſis. 46
Arſenius. ibid.
Artemius Catanenſis. 47
Artemius Drepanenſis. 48
S. *Athanaſius Catanenſis, Epiſcopus Methonenſis*. ibid.
B. *Athanaſius Claromontius Panormit. Patriar. Alexand.* 49

INDEX.

Athanes. 50
Athenagoras Syracuſanus. ibid.
B. Auguſtinus Novellus Thermitanus. 51

B

Bartholomæus de Neocaſtro Meſſan. 53
S. Baſſianus Syracuſanus, Epiſcop. Laudenſis. ibid.
Bernardus Ricius Meſſanenſis. 55
Bion Syracuſanus. ibid.
Blæſus. 56
Blandinus I. ibid.
Blandinus II. Catanenſis. 57
Bornaſius. ibid.
Botris Meſſanenſis. ibid.
Branca Catanenſis. 58

C

Cæcilius Calactianus. ibid.
Callias Syracuſanus. 59.
Callimachus Syracuſanus. 60
Callimachus Monſuiridis Mazaricnſis. ibid.
T. Calphurnius. ibid.
Capito Epiſcopus. 63
Carcinus Agrigentinus. ibid.
Caſſianus. 64
Charindus Soloentinus. ibid.
Charondas Catanenſis. ibid.
Charmus Syracuſanus. 65
L. Chriſtophorus Schobar. ibid.
Ciulius de Camo. 66
Cleon. 67
Comatas. ibid.
Conon Himerenſis. 68
Conradus. ibid.
Conſtantinus, Epiſcopus Leontinus. ibid.
Corax Syracuſanus. 69
Cornelius Severus Tauromen. 70
Coſmanus. ibid.
Creon Agrigentinus. ibid.
Cteſias Syracuſanus. 71
Cytherius Sidonius. ibid.

D

Daphnis Raguſanus. 72
Demetris. 82
Demetrius Calactianus. 84.
Demetrius Syracuſanus. ibid.
Demolchis Syracuſanus. ibid.
Demothelus Agrigentinus. 85
Deneſippus Erycinus. ibid.
Dicæarchus Meſſanenſis. ibid.
Dinolochus Syracuſanus. 87
Diocles Panormitanus. 88
Diodorus Agyrenſis. ibid.
Diomus. 90
Dion, Tyrannus Syracuſarum. 91
Dionyſius I. Tyrannus Syracuſarum. 93
Dionyſius II. Tyrannus Syracuſarum. 94
Ditromedes Syracuſanus. 99.
Dropidas Himerenſis. ibid.
Ducetius Netinus, Rex Siciliæ. ibid.

Elias

E

Elias Panormitanus. 100
S. Elias Syracuſanus Epiſcopus. ibid.
Elpis Meſſanenſis. 101
Empedocles I. Agrigentinus. 103
Empedocles II. Agrigentinus, 106
Entius Rex Sardiniæ. 107
Epycides, & Hippocrates Syracuſani. ibid.
Epicharmus Megarenſis. 108
Epicharmus Syracuſanus. ibid.
Evagrius. 109
Euclides Gelous. 111
Euclides Leontinus. 115
Eudoxus Syracuſanus. 116
Evhemerus Meſſanenſis. ibid.
Eumachus. 117
B. Euſebius Agyrenſis. ibid.

F

Fabius. 118
Felix, Epiſcopus Meſſanenſis. 119
Filiæ Steſichori Himerenſes. ibid.
Flaccus, ibid.
Flavius Vopiſcus Syracuſanus, 120
Floridicus Ennenſis. 121
Franciſcus Joannellus Meſſanenſis, ibid.
Franciſcus Pharaonius Meſſanenſis. 122
Fridericus II. Panormitanus, Imperator, & Rex Siciliæ. ibid.
Frontinus. 124
Fulgidas Gelenſis. ibid.

G

Georgius I. ibid.
Georgius II. Epiſcopus Syracuſanus, 124
Goffredus Rizarus Catanenſis. 126
Gorgias Leontinus. ibid.
Gorgodorus Leontinus. 129
S. Gregorius, Epiſcopus Agrigentinus. ibid.
Gregorius Cerameus, Archiepiſcopus Tauromenitanus. 135
Gualterius Paternio Catanen. ibid.
Guido Columna Meſſanenſis 136

H

Halianactes Himerenſis. ibid.
Hegeſias Syracuſanus. ibid.
Henricus Ariſtippus Catanen. 137
Henricus de Simone Drepanen. ibid.
Henricus Teſta Leontinus. ibid.
Hermocrates Syracuſanus. ibid.
Hermodorus Panormitanus. 138
Herodicus Leontinus. ibid.
Hicetas Syracuſanus. ibid.
Hieron Leontinus. 139
Hieron, Tyrannus Syracuſarū. ibid.
Hieronymus, Tyrannus Syracuſarum. 140
Hieronymus, Gradius Syracuſan. ib.

Hipparchus Soloentinus. 141
S. Hippolytus Epiſcopus. ibid.
Honuphrius Maremma Catanenſis. 142

I

Jacobus Leontinus. ibid.
Jacobus Humana Netinus, Epiſcopus Scutarenſis. ibid.
Jacobus Reda Drepanenſis. 143
Jacobus Ribaldus Netinus. ibid.
Ibycus Meſſanenſis. 144
Idis Agrigentinus. 146
Joannes Anſalonius Catanen. 147
Joannes Antonius Cozius Netinus. ibid.
Joannes Antonius Provina Netinus. ibid.
Joannes Aurispa Netinus. 148
Joannes Burgius Calatajeronenſis, Archiepiſcopus Panormitanus. 149
Joanes Baptiſta Platamonius Catanenſis, Siciliæ Prorex. 151
Joannes Candidus Syracuſanus. ib.
Joannes Gattus Meſſanenſis, Epiſcopus Catanenſis. 152
Joannes Marrhaſius Netinus. 153
Joannes Matthæus Sortinus Netinus. ibid.
Joannes Paternio Catanen. Archiepiſcopus Panormit. Cardinalis deſignatus, Siciliæ Prorex. ibid.
Joannes Piſcis Catanenſis Epiſcopus Catanenſis. 154
Joannes Præcopius Panormitanus. 155
Joannes Primus Catanenſis Cardinalis. 156
Joannes Ricca Netinus. 157
Joannes Roſa Calatajeronenſis, Epiſcopus Mazarienſis. ibid.
Joannes Scalambrus Leontinus. 158
Joannes Seniſius Catanenſis. 159
Joannes Thamagninus Netinus. ibid.
S. Joſephus Hymnographus Syracuſanus. 161
Iſaacus Agyrenſis. 164
S. Iſidorus Epiſcopus. ibid.
B. Julianus Majalis Panormitanus. 165
Julius Cæſar. 166
Julius Firmicus Maternus I. 167
Julius Firmicus Maternus II. ibid.
Juſtinus Epiſcopus. 168

L

Landulphus. ibid.
Laurentius Ferrarius Panormitanus. 169
S. Leo, P. M. ibid.
Leo Centuripinus. 171
Leo Corinthus Troinenſis. 172
Leonidas Leontinus. ibid.
Licinius Leontinus. 173
S. Lucas Demennenſis. ibid.
S. Lucianus, Epiſcopus Leontinus. 174
Lupus Meſſanenſis. ibid.

Lycus Meſſanenſis. ibid.
Lyſias Syracuſanus. 175
Lyſinus. 177

M

Maldatus. ibid.
Mamerchus. 178
Mamertinus Meſſanenſis. ibid.
S. Mamilianus, Archiepiſcop. Panormitanus. 179
L. Manlius Soſi Catanenſis. 181
Marachus Syracuſanus. ibid.
B. Marcus. 182
Marcus Baſilius Plancarenus Meſſanenſis. ibid.
Marianus Accardus Netinus. ibid.
Marinus Himerenſis. 183
MatthæusCandidus Leontinus. ibid.
Matthæus Riccus Meſſanenſis. ibid.
Matthæus Silvagius Catanen. 184
Mauritius, Epiſcopus Catanenſis. ibid.
S. Maximianus Epiſcopus Syracuſanus. 185
Menecrates Syracuſanus. ibid.
Meſo. 186
Metellus Agrigentinus. 187
Michael Platienſis. ibid.
Michael Glycas. ibid.
Midas. 188
Monymus Syracuſanus. ibid.
Moſchion Syracuſanus. 189
Moſchus Syracuſanus. ibid.
Muſæus. 190

N

Nicolaus Bitronus Catanenſis. ibid.
Nicolaus de Coſciis Meſſanen. ibid.
Nicolaus Datus Netinus. 191
Nicolaus Marinus Catanen. ibid.
Nicolaus Specialis Netinus, Siciliæ Prorex. 192
Nicolaus Terranova Drepanenſis. 193
Nicolaus Tedeſchius Catanenſis, Archiepiſcopus Panormitanus, Cardinalis. 194
Nicolaus Toſcanus Erycinus. 200
Nicophenus Leontinus. 201
Nina Meſſanenſis. ibid.
Nymphodorus Syracuſanus. ibid.

O

Odo Columna Meſſanenſis. 202
Orpheus Camarinenſis. ibid.

P

Pamphilus. 203
S. Pantanus Meſſanen. 204
Paphnutius. 205
S. Paſchaſius, Epiſcopus Lylibætanus. 206
Paulus Abbadeſſa Meſſanen. 209
Paulus Mazonius Netinus. ibid.

Paulus Vicecomes, Archiepiſcopus Panormitanus. 210
Pauſanias Gelous. 211
Pelotus. ibid.
S. Peregrinus Syracuſanus, Epiſcopus Triocalitanus. ibid.
Petrus, Epiſcopus Argivorum. 213
Petrus Diſcordanus Catanen. 214.
B. Petrus Hieremias Panormitanus. ibid.
Petrus Gravina Catanenſis. 216
Petrus Oddus Netinus. 218
Petrus Ranzanus Panormitanus, Epiſcopus Lucerinus. ibid.
Petrus Sancteramus Meſſanenſis. 219
Phalaris, Tyrannus Agrigentinorum. 220
Philemon I. Syracuſanus. 223
Philemon II. Syracuſanus. 224
Philemon III Syracuſanus. ibid.
S. Philippus Panormitanus. ibid.
Philippus Syracuſanus. 225
Philippus Creſpus Meſſanenſis. ibid.
Philippus Perdicarus. ibid.
Philiſtion Catanenſis. 226
Philiſtus I. Syracuſanus. ibid.
Philiſtus II. Syracuſanus. ibid.
Philo Mazarienſis. 227.
Philolaus Syracuſanus. ibid.
Philonides Ennenſis. ibid.
Philonides Catanenſis. 228
Philoxenus Syracuſanus. ibid.
Phirmion Triocalitanus. 229
Phocylides Mylenſis. ibid.
Phormus Syracuſanus. 230
Phrynicus. 231
Phtiander Catanen. ibid.
Polus Agrigentinus. ibid.
Polycletus Meſſanenſis. 232
Polycritus. 233
Polyzelus Meſſanenſis. 234
Porphyrius. ibid.
Praxides Leontinus. 235
Probus Lilybætanus. ibid.
Ptolomæus Gallina Catanen. ibid.
Pythias, & Damon. 236
Python Catanen. ibid.

R

Rainerius Panormitan. ibid.
Raynaldus de Montauro Netinus Epiſcopus Cephalœditanus. 237
Richardus Grizetta Meſſanenſis, Epiſcopus Cœphaleditan. 238
Rintho Syracuſanus. 239
Rogerius Panormitanus. ibid.

S

Sabas Graphæus Meſſanen. 240
Salvus Caſſetta Panormitanus. 241
Scopas Syracuſanus. 242
Sanctus Sergius Panormitanus P. O. M. ibid.
Sergius Saccenſis. 245
Seutonius Murgantinus. ibid.
Sextus Clodius. ibid.
Sibylla Lilybætana. 246

Silenus Calactianus. 247
Simon Bononia Panormitanus, Archiepiſcopus Panormitanus, Siciliæ Prorex, Cardinalis poſtulatus. ibid.
Simon I. Leontinus. 248
Simon II. Leontinus. 249
Simon Piſcis Catanenſis, Sardiniæ Prorex. 250
Sophocles Agrigent. ibid.
Sophron Syracuſanus. 251
Soſicles Syracuſanus. 252
Soſitheus Syracuſanus. 253
Spurion Murgantinus. ibid.
S. Stephanus Syracuſanus, P. O. M. 254
Stephanus Protonotarius Meſſanenſis. 255
Steſichorus Himerenſis. ibid.
Sthenius Thermitanus. 257
Suſarion Megarenſis. 259
Symmias Syracuſanus. ibid.

T

Telemachus, Tyrannus Agrigentinorum. 260
Thales Calactianus. 261
S. Thecla Leontina. ibid.
Theleſtes Selinuntinus. 263
Themiſtogenes Syracuſanus. 264.
Theocritus Syracuſanus. ibid.
Theodectes Minous. 267
Theodoridas Syracuſanus. 268
Theodorus Syracuſanus. 269.
Theodoſius I. Epiſcopus Syracuſanus. ibid.
Theodoſius II. Syracuſanus. ibid.
Theognis Megarenſis. 270
Theophanes Syracuſanus, Patriarcha Anthiochenus. ibid.
Theophanes Cerameus, Archiepiſcop. Tauromenitanus. 271
Theximonides Herbeſſenſis. ibid.
Thomas Agnus Leontinus, Patriarcha Hieroſolymitanus. 272
Thomas Chiaula Claromont. 273
Thomas de Herbes Catanenſis, Epiſcop. Syracuſanus. 274
Thomas Moncata Catanenſis, Comes Adernionenſis. ibid.
Thomas Saxus Meſſanenſis. ibid.
Thomas Schifaldus Lilybætanus. 275
Thraſimachus Panormitanus. ibid.
Thyrſis Ætnæus. ibid.
Timagoras Gelenſis. 276
Timæophon Leontinus. ibid.
Timonactes Leontinus. 277
Timotheus Tauromenitanus. ibid.

V

Ubertinus Marinus, Archiepiſcopus Panormitanus. 279
Veraldus de Roccho Catanen. ibid.

X

Xanthus. 280
Xenarchus Syracuſanus. ibid.
Xenocrates Agrigentinus. ibid.
Xenophanes. 281

IN-

INDEX
TOPICUS

Siculi veteri memoriâ Literis Illuſtres, incertæ Patriæ LX.

Alanus.	pag. 16
S. Albertus.	17
Alcadinus.	18
Alcinus.	19
Anchitus.	21
Anonymus I.	26
Anonymus II.	ibid.
Ariſtolochus.	44
Ariſtotiles.	ibid.
Arſenius.	46
Athanes.	50
Blæſus.	56
Blandinus I.	ibid.
Bornaſius.	57
T. Calphurnius.	60
Capito.	63
Caſſianus.	64
L. Chriſtophorus Scobar.	65
Ciulus de Camo.	66
Cleon.	67
Comatas.	ibid.
Conradus.	68
Coſmanus.	70
Cytherius Sidonius.	71
Demetris.	82
Domus.	90
Entius.	107
Evagrius.	109
Eumachus.	117
Fabius.	118
Flaccus.	119
Frontinus.	124
Georgius I.	ibid.
S. Hippolytus.	141
S. Iſidorus.	164
Julius Cæſar.	166
Julius Firmicus Maternus I.	167
Iulius Firmicus Maternus II.	ibid.
Iuſtinus.	168
Landulphus.	ibid.
S. Leo.	169
Lyſinus.	177
Maldatus.	ibid.
Mamerchus.	178
B. Marcus.	182
Meſo.	186
Michael Glycas.	187
Midas.	188
Muſæus.	100
Pamphilus.	203
Paphnutius.	205
Pelotus.	211
Petrus.	213
Philippus Perdicarus.	225
Phrynicus.	231
Polycritus.	233
Porphyrius.	234
Pythias, & Damon.	236
Sextus Clodius.	245
Xanthus.	280

INDEX.

Siculi veteri memoriâ Literis Illuſtres ſecundùm ordinem uniuſcuiuſque Patriæ CCXC.

Æ T N A, Mons Siciliæ, ſatis ignibus ſuis clariſſimus vulgò Mõgibello, & ejuſdem nominis oppidum nunc dirutum, olim Ineſſum, & Ineſſa, & Enneſia, dictum. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. IX. num. VII.

ÆTNÆUS I.

Thyrſis. 275

AGRIGENTUM, Græcis Acragas, & Agragas, g. antis, Urbs olim civium numero, & opulentiâ celeberrima, Vulgò nunc Girgenti. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 15. num. 4.

AGRIGENTINI XVI.

Acron. pag. 9
Agatho. 11
Archivus. 43
Carcinus. 63
Creon. 70
Demotelus. 85
Empedocles I. 103
Empedocles II. 106
S. Gregorius. 129
Idis. 146
Metellus. 187
Phalaris. 220
Polus. 231
Sophocles 250
Telemachus. 260
Xenocrates, 280

AGYRA olim Agyrium, Agurium: & Agyrena, nunc Sanphilippus. Urbs Regia. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 6. num. 4. Vide in Elogio B. Euſebii.

AGYRENSES III.

Diodorus. 88
B. Euſebius. 117
Iſaacus. 164

CALACTA, & Calacte, Oppidum nunc dirutum. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 4. num. 5. Vide in Elogio Cæcilii.

CALACTIANI IV.

Cæcilius. 58
Demetrius. 84

Sile-

Silenus. 247
Thales. 261

Calataieron, g. onis, & Calatagironum, vulgò nunc Calatagirone. Conſule Marium Pacium de Antiquitate Calatagironi, & Petrum Paulum Morrettam de Calatagirono.

CALATAJERONENSES II.

Joannes Burgius. 149
Joannes Roſa. 157

Camerina, Urbs nunc diruta. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 14. num. 6. Vide in Elogio Orphei.

CAMERINENSIS I.

Orpheus. 202

Casmaena, g. æ, & Caſmenę g. arum. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 10. num. 16. Marianum Perellum de Antiquitate Caſmenæ. Vide in Elogio Symmiæ.

Catana, & Catina, Urbs nunc Clariſſima, vetuſtiſſima, eaque nobiliſſimâ Academiâ ſatis illuſtris. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 9. num. 4. Petrum Carreram, & Joannem Baptiſtam de Groſſis in Monumentis Hiſtoricis Catan.

CATANENSES XL.

Alvarus Paternio. 20
Andronus. 24
B. Angelus Seniſius. ibid.
Anonymus IV. 28
Anonymus V. 30
Antonius Platamonius. ibid.
Antonius Piſcis. 35
Arrius Chlorion. 46
Arthemius. 47
S. Athanaſius. 48
Blandinus II. 57
Branca. 58
Charondas. 64
Goffredus Rizarus. 126
Gualterius Paternio. 135
Henricus Arippus. 137
Honuphrius Maremma. 142
Joannes Anſalonius. 147
Jo. Baptiſta Platamonius. 151
Joannes Paternio. 153
Joannes Piſcis. 154
Joannes Primus. 156
Joannes Seniſius. 159
L. Manlius Soſi. 181
Matthæus Silvagius. 184
Mauritius. ibid.
Nicolaus Bitronus. 190
Nicolaus Marinus. 191
Nicolaus Tedeſchius. 194

Petrus Diſcordanus. 214
Petrus Gravina. 216
Philiſthion. 226
Philonides. 228
Phtiander. 231
Ptolemæus Gallina. 235
Python. 236
Simon Piſcis. 250
Thomas de Herbes. 274
Thomas Moncata. *ibid.*
Veraldus de Roccho. 279

Centuripa, g. orum, & Centuripæ g. arum, Urbs olim celebris, nunc propè nulla, vulgò Centorbe, ſed Congregationis Siculæ Reformatæ Auguſtinianorum Eremitarum incunabulis clara. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 6. num. 3. & Monumenta Hiſtorica Congregationis Reformatæ Siculæ Centuripinæ Auguſtinianæ.

CENTURIPINI II.

Apulejus Celſus. 37
Leo. 171

Clarus Mons, recens oppidolum intrà fines Motycenſis Comitatus. Vide in Elogio Thomæ Chiaulæ.

CLAROMONTANUS I.

Thomas Chiaula. 4

Demenna, oppidum nunc dirutum. Vide in Elogio S. Lucæ.

DEMENNENSIS I.

S. Lucas. 173

Drepanum, olim Drepana, ſingulari, & plurali numero, Urbs nunc inviÆiſſima, vulgò Trapani. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 1. num. 2.

DREPANENSES IV.

Artemius. 48
Henricus de Simone. 137
Jacobus Reda. 143
Nicolaus Terranova. 193

Enna, Urbs quondam celebris, nunc Caſtrum Ennæ, & Caſtrum Joannis, vulgò Caſtrojanni, & Caſtrogiovanni. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 7. num. 1.

ENNENSES II.

Floridicus. 121
Philonides. 227

Eryx, Mons, & Oppidum; in quo Veneris Erycinæ fanum ho-

hodie Latinis Eryx, & Mons S. Juliani, ſed vernaculè Monte, aut Monte di Trapani. Cōſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. Cap. 1. num. 4. Bonaventuram Provenſalem de Antiquit. Montis Erycini. Vidi in Elogio Nicolai Toſcani.

ERYCINI II.

Deneſippus. 85
Nicolaus Toſcanus. 200

Gela, Fluvius, & Urbs quondam ampliſſima, Lindi, g. orum, anteà dicta, nunc everſa. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 15. nu. 1. Jo. Paulum Clarandaum in Hiſtoriâ Platienſi. Vide in Elogio Euclidis.

GELENSES, AUT GELOI VI

Æſchylus. 10
Appollodorus. 37
Euclides. 111
Fulgidas. 124
Pauſanias. 211
Timagoras. 276

Herbessus, & Herbeſſum, aut aſpiratione abiectâ, Erbeſſus, & Erbeſſum, cujus vetuſtiſſima memoria extat apud Diodorum lib. 14. Oppidum modò nullum, niſi fuiſſe illud mavis, quod hodie dicimus, Gruttas, Ducatus titulo familiæ Platienſi Sanfilippo parens. Cōſule Philippum Cluverium de Antiquâ Siciliâ lib. 2. cap. 10. num. 20. Vide in Elogio Sophoclis.

HERBESSENSIS I.

Teximonides. 271

Himera, fluvius, & Oppidum, quod poſteà Termæ Himerenſes, vulgò nunc Termine. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 3. num. 6. Vincentium Solitum de Thermis Himerenſibus.

HIMERENSES VI.

Conon. 68
Dropidas. 99
Filia Steſichori 119
Halianactes. 136
Marinus. 183
Steſichorus 255

Leontinum, & Leontium, & Leontini, g. orum. Urbs olim maxima, & potentiſſima, nunc vulgò Lentini. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ

liâ

liâ Antiquâ lib. 1. cap. 10. nu. 4.

LEONTINI XXII.

Agatho. 11
Conſtantinus. 68
Euclides. 115
Gorgias. 126
Gorgodorus. 129
Henricus Teſta. 137
Herodicus. 138
Hieron. 139
Jacobus. 142
Joannes Scalambrus. 158
Leonidas. 172
Licinius. 173
S. Lucianus. 174
Matthæus Candidus. 183
Nicophemus. 201
Praxides. 235
Simon I. 248
Simon II. 249
S. Tecla. 261
B. Thomas Agnus. 272
Timæophon. 276
Timonactes. 277

LILYBOEUM, Promontorium, & Oppidum, nunc Promontorium vernaculè Capo Beo nuncupatur, Urbs ſplendida Marſala, Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 1. num. 1. Vide in Elogio S. Paſchaſini.

LILYBOETANI IV.

S. Paſchaſinus. 208
Probus. 235
Sibylla. 246
Thomas Schifaldus. 275

MAZARIA, & Mazara ſingularis numeri, Flumen, & Oppidum, antiquiſſimum Selinuntinorũ emporium, nunc Urbs Epiſcopalis, vulgò Mazara. Conſule Philippum Cluveriũ de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 18 num. 1.

MAZARIENSES II.

Callimachus Monſviridis. 60
Philo. 227

MEGARIS, gidis, & Megara ſingularis numeri, Urbs nunc everſa. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 11. num. 3. Vide in Elogio Alcimenis.

MEGARENSES IV.

Alcimenes. 18
Epicharmus. 108
Suſarion. 259
Theognis. 270

MESSANA, olim Mamertinum, & Zancla. Urbs etiamnum florentiſſima, vulgò Meſſina. Con-

Conſule Philippum Cluveriũ de Antiquâ Siciliâ lib. 1. cap. 6. num. 4. Placidum Reinam de Monumentis Hiſtor. Meſſanæ Urbis.

MESSANENSES XXXIV.

Alcman. 19
Andreas Barbatius. 21
Antonius Mangian 35
Ariſtocles. 43
Bartholomæus de Neocaſtro. 53
Bernardus Ricius. 55
Botris. 57
Dicæarchus. 85
Elpis. 101
Evhemerus. 116
Felix. 119
Franciſcus Joannellus. 121
Franciſcus Pharaonius. 122
Guido Columna. 136
Ibycus. 144
Joannes Gattus. 152
Lupus. 174
Lycus. *ibid.*
Mamertinus. 178
Marcus Baſilius Plancarenus. 182
Matthæus Riccus. 183
Nicolaus de Coſciis. 190
Nina. 201
Odo Columna. 202
S. Pantænus. 204
Paulus Abbadeſſa. 209
Petrus Sanceramus. 219
Philippus Creſpus. 225
Polycletus. 232
Polyzelus. 234
Richardus Grizetta. 238
Sabas Graphæus. 240
Stephanus Protonotarius. 255
Thomas Saxus. 274

Minoa, nunc diruta. Vide in Elogio Theodectis.

MINOUS I.

Theodectes. 267

Motyca, Patria mea, Romanis Auctoribus ſcribebatur Mutyca, & Mutuca, unde etiam Ptolomæo eſt Motuca. Oppidani Plinio lib. 3. cap. 6. ſunt Motycenſes, & Mutycenſes: in vetuſto exemplari etiam ſunt Muticenſes: quomodo etiam apud Ciceronem in Verrinâ 3. memoratur Muticenſis ager. Græcis Motycæi, apud Diodorum corrupto vocabulo leguntur Madinenſes. Nuncupatur etiamnum Motyes, & Motyce, Saracenicè Mohac. Urbs nunc Populoſa, titulo ampliſſimi Comitatus gaudet, vulgò Modica. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 10. num. 14. Placidum Carafam de Motycâ Illuſtratâ. Vide de Choreis Motycenſibus.

Murgantia, & Morgentia, & Morgantium, & Morgentium, nunc.

nunc everſa. Conſule Philippum Cluverium de Antiquâ Siciliâ lib. 2. cap. 8. numer. 9. Vide in Elogio Spurionis.

MURGANTINI II.

Scutonius. 245

Spurion. 253

Mylae, g. arum, Siculis Milazzo. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 5. num. 6.

MYLENSIS I.

Phocilides. 229

Netum, Urbs nunc ingenioſiſſima, vulgò Noto. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 2. cap. 10. num. 15. Vincentium Littaram de Rebus Netinis.

NETINI XIX.

Antonius Caſſarinus. 32

Antonius Corſettus. 33

Antonius Vinutus. 36

Ducetius. 99

Jacobus Humana. 142

Jacobus Ribaldus. 143

Joannes Antonius Cozius. 147

Joannes Antonius Provina. ibid.

Ioannes Aurispa. 148

Ioannes Marrhaſius. 153

Ioannes Matthæus Sortinus. ibid.

Ioannes Riccha. 157

Ioannes Thamagninus. 159

Marianus Accardus. 182

Nicolaus Datus. 191

Nicolaus Specialis. 192

Paulus Mazonius. 209

Petrus Oddus. 218

Raynaldus de Montauro. 237

Panormus, olim Panormum & Panormium, vulgò Palermo, nunc Sicularum Urbium Princeps, maxima, ac ſplendidiſſima. Conſule Philippum Cluverium de Antiquâ Siciliâ lib. 2. cap. 3. num. 1. Thomam Fazellum Decade 1. Rerum Sicularum lib. 8. per totum, Marianum Valguarneram de Antiquit. Panorm. Franciſcum Baronium de Majeſtate Panormit. Auguſtinum Invegium tom. 1. Annal. Panormit.

PANORMITANI XXIII.

S. Agatho. 11

Andreas, 21

Antonius Bononia. 31

B. Athanaſius Claromontius. 49

Diocles. 88

Elias. 100

Fridericus II. 122

Hermodorus. 138

Ioannes Pracopius. 155

B. Iulianus Majalis. 165
Laurentius Ferrarius. 169
S. Mamilianus. 179
Paulus Vicecomes. 210
B. Petrus Hieremias. 214
Petrus Ranzanus. 218
S. Philippus. 224
Rainerius. 236
Rogerius. 239
Salvus Caſſetta. 241
S. Sergius. 242
Simon Bononia. 247
Thraſimachus. 275
Vbertinus Marinus. 279

Platia, olim Plutia, hodiè vernaculè, Piazza, & Chiazza. Conſule Joannem Paulum Clarandaum in Hiſtoriâ Platienſi.

PLATIENSES II.

Antonius Sanfilippus. 36
Michael. 187

Ragusa, Urbs Motycenſis Comitatus illuſtris. Vide in Elogio Daphnis.

RAGUSANUS I.

Daphnis. 72

Sacca, hodie Sciacca. Vide in Elogio Agathoclis.

SACCENSES II.

Agathocles. 14
Sergius. 245

Selinus, g. untis, g. f. & Selinus, g. i. g. m. Urbs quondam celeberrima, & inprimis potens, nunc vix apparens. Selinus amnis, Latinis Apiarius, vernaculè Madiuni. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 18. nu. 2. Vide in Elogio Theleſtis.

SELINUNTINI II.

Ariſtoxenus. 45
Theleſtes. 263

Soloentum, Soluntum, & Solentum, Solois, & Solûs, g. untis, Vrbs vetuſtiſſima, hodie prorsùs jacens. Nunc ei ſubeſt arx, vulgò Solanto, thynnorum piſcatu celebris. Conſule Philippum Cluverium de Antiquâ Siciliâ lib. 2. cap. 3. num. 5. Vide in Elogio Charindi.

SOLOENTINI II.

Charindus. 64
Hipparcas. 141

INDEX.

SYRACUSAE, g. arum, maxima juxtà, ac potentiſſima quōdam nobiliſſimaque totius Siciliæ Urbs, cujus ambitum ſtadiorum 180. ideſt, millium 22. cum dimidio, fuiſſe tradit Strabo lib. 6. Æqualem omnibus partibus fuiſſe Athenis plures Auctores ſcribunt. Nunc veteris magnitudinis veſtigia quædam ſervat, vulgò nuncupatur Siracuſa, & Saraguſa. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 12. per totum, Vincentium Mirabellam de Antiquitate Syracuſ. Jacobum Bonannum in Monumentis Syracuſanis.

SYRACUSANI LXVIII.

Acheus. 9
Anonymus III. 27
Antiochus. 30
Archeſtratus. 38
Archetymus. 39
Archimedes. ibid.
Athenagoras. 50
S. Baſſianus. 53
Bion. 55
Callias. 59
Callimachus. 60
Charmus. 65
Corax, 69
Cteſias. 71
Demetrius. 84
Demolchis. ibid.
Dinolochus. 87
Dion. 91
Dionyſius I. 93
Dionyſius II. 94
Ditromedes. 99
S. Elias. 100
Epicharmus. 108
Epycides, & Hippocrates. ibid.
Eudoxus. 116
Flavius Vopiſcus. 120
Georgius II. 124
Hegeſias. 136
Hermocrates. 137
Hicetas. 138
Hieron. 139
Hieronymus. 140
Hieronymus Grandius. ibid.
Ioannes Candidus. 151
S. Ioſephus Hymnographus. 161
Lyſias. 175
Marachus. 181
S. Maximianus. 185
Menecrates. ibid.
Monymus. 188
Moſchion. 189
Moſchus. ibid.
Nymphodorus. 201
S. Peregrinus. 211
Philemon I. 223
Philemon II. 224
Philemon III. ibid.
Philippus. 225
Philiſtus I. 226
Philiſtus II. ibid.
Philolaus. 227
Philoxenus. 228

Phor-

Phormus. 230
Rintho. 239
Scopas. 242
Sophron. 251
Soſicles. 252
Soſitheus. 253
S. Stephanus. 254
Symmias. 259
Themiſtogenes. 264
Theocritus. *ibid.*
Theodoridas. 268
Theodorus. 269
Theodoſius I. *ibid.*
Theodoſius II. *ibid.*
Theophanes. 271
Xenarchus. 280

Tauromenium, Romanorũ Colonia, teſte Diodoro, Plinio, & Solino, nunc vulgò Taormina. Conſule Philippum Cluverium de Siciliâ Antiquâ lib. 1. cap. 7. num. 1.

TAUROMENITANI IV.

Cornelius Severus. 70
Gregorius Cerameus. 135
Theophanes Cerameus. 271
Timotheus. 277

Thermae, g. arum, hodie Termine. Vide Himeram.

THERMITANI II.

B. Auguſtinus Novellus. 51
Sthenius. 257

Triocala nunc everſa. Vide in Elogio S. Peregrini.

TRIOCALITANUS I.

Phirmion. 229

Troina Urbs vetuſtiſſima, vulgò Traina poſt expulſos Saracenos Epiſcopali ſede decorata, ſed eâ pòſt, Meſſanam tranſlatâ etiamnum Archiepiſcopo Meſſanenſi paret. Conſule Thomam Fazellum, decad. 2. lib. 7. c. 1. Rocchum Pyrrhum. in Notitiâ octavâ Eccleſ. Troinenſis, pag. 450.

TROINENSIS I.

Leo Corinthus. 172

His omnibus pro Colophone adde

Xenophanem Colophonium. 281

INDEX TESTIUM

Quos pro Elogiis Veterum Siculorum Auctor allegat.

A

Abrahamus Bzovius.
Ælianus.
Æneas Silvius Piccolomineus.
Albertus Leander.
Alcimus.
Alcydamas.
Aldus Manutius.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Calamatus Siculus.
Alexander de Nevo.
Aloyſius Lellus.
Aloyſius Novarinus.
Alphonſus Ciacconius.
Ambron.
Ambroſius Calepinus.
Ambroſius de Cora.
Ambroſius Gozeus.
Ammianus Marcellinus.
Anaſtaſius Bibliothecarius.
Andreas Barbatius Siculus.
Andreas Brunnerus Societatis Jeſu
Andreas Gelſominus.
Andreas Tacquet Societatis Jeſu.
Andreas Tiraquellus.
Angelus Politianus.
Angelus Rocca.
Antipater.
S. Antoninus.
Antoninus Pius Imperator.
Antonius Amicus Siculus.
Antonius Cicarellus.
Antonius Mancinellus.
Antonius Poſſevinus Societ. Ieſu.
Antonius Senenſis.
Apollodorus.
Archangelus Maraſiottus.
Ariſtippus.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Ariſtoxenus.
Arnobius.
Arnoldus Pontanus.
Arnoldus Vuion.
Artemidorus.
Aſconius Pædianus.
Athenæus.
Aubertus Miræus.
S. Auguſtinus.
Auguſtinus Barboſa.

Augu-

Auguſtinus Floritus Sicul. Soc. Ieſ.
Auguſtinus Fontana.
Auguſtinus Inveges Siculus.
Auguſtinus Oldoinus Soc. Ieſ.
Aulus Gellius.

B

Balthaſar Bonifacius.
Balthaſar Mazara Siculus Soc. Ieſ.
Bartholomæus Platina.
Benedictus Britannus.
Bernardinus de Buſtis.
Bernardus Riera Siculus.
Bonaventura Provenſalis Siculus.
Braudius, potiùs, Draudius A. D.
Braullon Cæſarauguſtanus.

C

Cælius Rhodiginus.
Cæſar Baronius.
Cæſar Scaliger A. D.
Cæſar Volphangus Pighius.
Carolus Antonius Converſanus Siculus.
Carolus Magrus.
Carolus Morabitus Siculus.
Carolus Stephanus A. D.
Cenſorinus.
Chriſtophorus Clavius Soc. Ieſ.
Chriſtophorus Scannellus.
L. Chriſtophorus Schobar.
Cicero.
Claudianus.
Claudius Franciſcus de Chales Soc. Ieſ.
Claudius Marius Aretius Siculus.
Clemens Alexandrinus.
Columella.
Conradus Geſnerus A. D.
Conſtantinus Laſcaris.
Crates.

D

Delecampius A. D.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
Dionyſius Africanus.
Dominicus Honorius Caramella Siculus.
Dominicus Magrus.
Dominus Niger.

E

Eliſius Calentius.
Empedocles Siculus.
Epicharmus Siculus.
Eraſmus Roterodamus A. D.
Euphorion.
Euſebius.
Euſtathius.

F

Ferdinandus Scholaſticus.
Ferdinandus Ughellus.

Fla-

Flavius Vopiſcus Siculus.
Franciſcus Aparus Siculus.
Franciſcus Baronius Siculus.
Franciſcus Carrera Siculus Soc. Ieſ.
Franciſcus Maurolycus Siculus.
Franciſcus Mogius.
Franciſcus Paternio Siculus.
Franciſcus Patritius.
Franciſcus Pharaonius Siculus.
Franciſcus Philelphus.
Franciſcus Scorſus Siculus Soc. Ieſ.

G

Gabriel Bucellinus.
Gabriel Sarayna.
Gaſpar Bartius.
Gentianus Hervetus.
Georgius Matthias Konigius A. D.
Gilibertus Genebrardus.
S. Gregorius Magnus.
Gregorius Polydorus.
Guido Pancirolus.
Guilelmus Pernus Siculus.

H

Henricus Valeſius.
Hephestion.
Heraclides.
Heraclitus.
Heribertus Roſuveydus Soc. Ieſ.
Hermippus.
Hermodorus.
Herodotus.
Heſychius Mileſius.
S. Hieronymus.
Hieronymus Bruſonius.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Columna.
Hieronymus Philoſophus.
Hieronymus Surita.
Hippolitus Marraccius.
Honuphrius Panuinus.
Horatius Flaccus.
Hortenſius Scammacca Siculus Soc. Jeſu.
Hubertus Goltzius.
Hyginus.

I

Jacobus de la Baune Soc. Jeſ.
Iacobus Bonannus Siculus.
Iacobus Coccius.
Iacobus Gretſerus Soc. Jeſ.
Iacobus Mazonius.
Iacobus Muccionius Siculus.
Iacobus Phriſius.
Iacobus Sirmundus Soc. Jeſ.
Iacobus Spigelius A. D.
Ianus Vitalis Siculus.
S. Idelphonſus.
Ioannes Antonides Vander-Linden A. D.
Ioannes Aragona Siculus.
Ioannes Baptiſta Cantalmajus.
Io. Baptiſta de Franchis Siculus.
Ioannes Baptiſta de Groſſis Siculus.
Ioannes Baptiſta Mantuanus.
Io. Baptiſta Ricciolius Soc. Jeſu.

Ioannes Beleth.
Ioannes Bunon.
Ioannes de Buſſieres Soc. Ieſ.
Ioannes Criſpinus.
Ioannes Diaconus.
Ioannes Franciſcus Abela.
Ioannes Geraldus Voſſius A. D.
Ioannes Gottfridus Olearius A. D.
Ioannes Iacobus Adria Siculus.
Ioannes Latomus.
Ioannes Lucidus.
Ioannes Maria Politianus.
Ioannes Mariana Soc. Ieſ.
Ioannes Paleonydorus.
Ioannes Paſſeratius A. D.
Ioannes Paulus Clarandaus Siculus Soc. Ieſ.
Io. Petrus Villadicanus Siculus.
Ioannes Raviſius Textor.
Ioannes Ritonius Siculus.
Ioannes Vigintimillius Siculus.
Iordanus de Saxonia.
Ioſephus de Ambroſio Siculus.
Ioſephus Bonaſia Siculus.
Ioſephus Bonfilius Siculus.
Ioſephus Carnilivarius.
Ioſephus Hebræus.
Ioſephus Mazara Siculus Soc. Ieſu.
Ioſephus Pamphilus.
Ioſephus de S. Iuliano Siculus.
Ioſephus Spuccius Siculus Soc. Ieſ.
Iovinianus Pontanus.
Iſaacus Caſaubonus A. D.
S. Iſidorus.
Iulianus Monteſuſcus Siculus.
Iulius Firmicus Maternus Siculus.
Iuſtinus.

L

LActantius Firmianus.
Lanfrancus.
Laurentius Abbas Siculus.
Laurentius Beyerlink.
Laurentius Craſſus.
Laurentius Surius.
Laurentius Valla.
Leo Allatius.
Leonardus Aretinus.
Leonardus de Lege.
Leonardus Orlandinus Siculus.
Leonidas.
Leontius Presbyter.
Lilius Gregorius Gyraldus.
Livius.
Lucarinus Fernandius.
Lucas Vvadingus.
Lucius Marinæus Siculus.
Lucianus.
Ludovicus Morerius.
Ludovicus Paramus.
Ludovicus Vives.
Luitprandus Cremonenſis.

M

MAlvenda.
Marcellus Burdigallen.
Marcus Baſilius Plancarenus Siculus.
Marcus Battalinus.
Marianus Accardus Siculus.

Ma-

Marianus Perellus Siculus.
Marianus Valguarnera Siculus.
Marius Pacius Soc. Ieſu.
Martinus Phleticus.
Martyrologium Romanum.
Maſurius.
Matthæus Raderus Soc. Ieſu.
Mattheus Silvagius Siculus.
Mauritius Tertius.
Melchior Incofer Soc. Ieſu.
Menologium Grecorum.
Menæa Græcorum.
Metaphraſtes.
Michael Pius.
Moſcus Siculus.
Munſter. A. D.
Mutius Panſa.

N

Nathanael Sotuellus Soc. Ieſ.
Neanthes Cyzicenus.
Nicephorus.
Nicolaus Angelus *Caferrus.*
Nicolaus Coſcia Siculus.
Nicolaus la Roſa Siculus.
Nicolaus Scutellius.
Nicolaus Toppius.

O

Octavius Cajetanus Siculus Soc. Ieſu.
Ovidius Naſo.

P

*P*Alemon.
Pandulphus Collenucius.
Parthenius.
Paterculus.
Paulus Aydonius *Siculus.*
Paulus Bellius Siculus Soc. Ieſu.
Paulus Franc. Perremutus Siculus.
Paulus Iovius.
Paulus Minerva.
Pauſanias.
Pelagius.
Petrus Ægidius.
Petrus Anſalonius *Siculus.*
Petrus Carrera Siculus.
Petrus Crinitus.
Petrus Fortis Siculus.
Petrus Gregorius Tholoſanus.
Petrus Paulus Moretta Siculus.
Petrus Ramus.
Petrus Siculus.
Phalaris Siculus.
Phavorinus.
Philadelphus Mugnos Siculus.
Philippus Alegambe Soc. Ieſ.
Philippus Bergomas.
Philippus Çagliola.
Philippus Cluverius.
Philippus Ferrarius.
Philippus Labbè Soc. Ieſ.
Philoſtratus.
Phlegon Trallianus.
Pindarus.
Placidus Carafa Siculus.
Placidus Reina Siculus.
Placidus Samperius SiculusSoc.Ieſ
Plato.
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus.
Polybius.

INDEX.

Polycritus.
Pompejus Feſtus.
Pontificia Diplomata.
Proclus Lycius.
Pythagoras.

Q

Quintilianus.

R

Raphael Volaterranus.
Regiæ Tabulæ.
Rivaltus.
Robertus Bellarminus Soc. Ieſ.
Robertus Titius.
Rocchus Pyrrhus Siculus.
Rodericus Svarez.
Ruffinus.

S

Satyrus.
Scribonius Largus.
Seraphinus Razius.
Servius.
Sextus Empiricus.
Sigibertus Gemblacenſis.
Silvius Italicus.
Silveſter Maurolycus Siculus.
Socrates.
Solinus.
Statius.
Stephanus Maurus Siculus.
Strabo.
Svetonius Tranquillus.
Suidas.
Synodus Toletana.

T

Thelauges.
Theophanes Monachus.
Theophilus.
Theophilus Raynaudus Soc. Ieſ.
Thomas Dempſterus A. D.
Thomas Fazellus Siculus.
Thomas Porcachius.
Thomas Trugillus.
Tucydides.
Timæus Siculus.
Timon Philiaſius.
Tritemius.
Tzezes.

V

Valerius Maximus.
Varro.
Ugolinus Martellius.
Vibius.
Vincentius Alias Siculus Soc. Ieſ.
Vincentius Auria Siculus.
Vincentius Barbarus Siculus.
Vincentius Ferrarottus Siculus.
Vincentius Maria Fontana.
Vincentius Littara Siculus.
Vincentius Mirabella Siculus.
Vincentius Solitus Siculus.
Virgilius Maro.
Volcatius Gallicanus.
Vvilielmus Goeſius.

A. M. D. G.

FINIS.

ERRATA,

Quæ Auctoris abſentiâ irrepſerunt, correcta hìc habes, cætera verò minoris notæ proprio Marte corrige ſis benigne Lector.

Pag.	lin.	ERRATA	LEGE
10	19	calvaria	calvariæ
11	3	præfectu	præfectus
21	12	lin. 8.	lib. 8.
24	12	Senenſium	Seneſium
29	16	clareſcere	clareſcere
ibid.	25	illuſcrat	illuſcrat
31	6	clatè	elatè
33	1	annos	annuo
38	29	Sardanopoli	Sardanapali
41	20	Alexandrinæ	Alexandrinó
45	8	Ariſtotelis Stagirites	Ariſtoteles Stagirites
51	19	caritate	charitate
52	32	cumque	eumque
ibid.	34	B. Auguſtinum eſſe	B. Auguſtinum Thermitanum eſſe
59	2	de Caltagironi	de Calatagirono
73	26	Sorephus	Joſephus
79	25	*inventa*	*juventa*
82	26	noſtræ	noſtra
84	16	Sicilia	Siciliæ
100	16	ſuperſtite	ſuperſtite
103	11	doctrinarum	doctrinarum peritiam
104	16	ulum	uſum
107	19	non longi	non longè
108	24	veneit	vincit
109	18	incitatus eſt	imitatus eſt
122	18	cahors	cohors
123	24	arca	areâ
130	32	Agrigent.	Agrigentino

Pag.

Pag.	lin.	Errata	Lege
ibid.	33	locoirum	locorum
136	5	italicæ	italicè
141	2	Hipparchides t	Hipparchides
161	12	Chriſtiana	Chriſtianæ
171	5	Atlantis	Atlanti
184	6	ob ſita	obſita
214	17	Ymnographus	Hymnographus
216	17	à ſcirico	à ſerico
238	32	poſt liminic	poſtliminio
240	8	Meſſ næ	Meſſanæ
282	16	putat	putà
283	11	quæ	ſi qua

582202

15.